This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

Chr Dogm

Theological School
IN CAMBRIDGE.

The Gift of
COL. BENJAMIN LORING.

HULDRICI ZUINGLII

OPERA

COMPLETA EDITIO PRIMA

CURANTIBUS

MELCHIORE SCHULERO ET IO. SCHULTHESSIO

VOLUMINIS SEXTI TOMUS SECUNDUS

LATINORUM SCRIPTORUM

PARS SEXTA

EXEGETICA NOVI TESTAMENTI RESIDUA.

DIVINITY SCHOOL
LIBRARY.
HARVARD UNIVERSITY

TURICI EX OFFICINA SCHULTHESSIANA
1838.

608.2
Z98.1
1828
V.6,pt.2
Cop.1

BREVIS COMMEMORATIO MORTIS CHRISTI

EX QUATUOR EVANGELISTIS

PER

HULDRICUM ZUINGLIUM

IN UNAM SERIEM CONCINNATA.

PRAEFATIO ET *ΠΑΡΑΣΚΕΩΗ*
in historiam dominicae passionis ac mortis.

Quandoquidem mors Christi electorum omnium vita est, praestat habere cognitum, qua ratione nobis fiat salutaris, quae in sese non potest non esse salutaris. Christus enim (ut Symeon testatur) ut multis in resurrectionem, ita et multis rursus in ruinam positus est. Fit hoc (quod alias plerumque) ut quod antidotum nobis datum est; vitio nostro in venenum et perniciem vertatur. Sunt qui crucem ac mortem Christi servatoris carnali quodam affectu cogitant, officio se egregie functos, et deo obsequium gratum praestitisse putantes, si Christo morienti singulis annis condoleant, et fletibus id testentur. Hi cogitare debent Christum non sui causa fletum a mulieribus postulasse. Dicit enim: Nolite flere super me aut mei causa, sed calamitatis admonuisse, quae ob ingratitudinem et infidelitatem illis obventura erat, et ob hoc subiicit: Flete vestri causa, venient enim dies etc. Taceo iam quod fere ambitionem in huiusmodi simulato dolore quaesivimus, voluimus enim videri tales qui Christo condoleremus, quum nihil minus essemus. Alii preculas quasdam frigidas in memoriam passionis demurmurant, alii in singulos dies aut horas certas passionis seriem partiuntur, alii ea tanquam magicis incantamentis, ad gloriam, ad cupiditatem abutuntur, non Christum sed sese quaerentes. Cogitemus seu potius meditemur et expendamus cur Christus mortuus sit: hic se aperient venae fidei et caritatis. Sic (inquit Ioannes) dilexit deus mundum, ut unigenitum filium suum daret pro eo, ut quicunque in eum credunt non pereant, sed habeant vitam aeternam. Eximiae ergo caritatis est, quod deus in mortem dat unigenitum suum, pro miseris et damnatis servulis, quae expensa, corda nostra accendit, et totos nos deo devincit. Quidquid vero praeter se dedisset, minus nobis fuisset; etiamsi excellentissimam dedisset creaturam non fuisset satisfactum carni. Sese ergo dedit nobis in filio, ut de eius caritate et gratia nihil dubitaremus. Moritur autem,

ut nos vivamus: cruci affigitur, ut nos liberemur, ipse enim peccata nostra in corpore suo portavit, et omnes infirmitates nostras in se suscepit, cuius livore sanati sumus. Ipse precium est quod pro redemptione nostra datum est, per ipsum iniustitia nostra deleta est et obliterata coram deo. In ipso iustitia dei placatur, in ipso credentibus vita donatur. Harum rerum meditatio ducet nos non solum in venas divinae bonitatis, sed et in scaturigines peccatorum nostrorum. Hoc ergo in Christo apprehendamus, propter quod nobis a deo est donatus. Christus ergo non solum docet, ut penitius nos cognoscamus, nempe impuros, iniustos et damnatos, sed simul sinum misericordiae tanquam certissimum asylum nobis aperit, simúlque consolatur desperabundas, et onere peccatorum degravatas conscientias, pace et tranquillitate suos donans. Qui enim filium dedit, quid is negare posthac posset? In cruce ergo Christi hoc primum cogitemus, Christum esse precium redemptionis nostrae, hostiam pro peccatis, satisfactionem nostram, iustitiam nostram, vitam, sanctificationem, ostium et viam ad deum, pignus salutis et vitae aeternae, mediatorem, intercessorem, reconciliatorem unicum, per quem nobis aditus ad deum patet, in cuius morte peccata nostra moriuntur et intereunt. Cogitemus deinde, quid nobis praeferat dux et imperator vitae nostrae, qui datus est nobis a deo patre non solum redemptor, sed et praeitor et viae dux, ut reiectis omnibus, vestigiis eius inhaereamus, et defixis in eum oculis extra castra eum sequamur, ferentes opprobrium eius, conformes fiamus imagini filii dei, abnegata omni impietate, et noxiis desideriis, imo nobis ipsis abnegatis, crucem feramus post ipsum, inserti eius morti, mortificemus membra quae super terram sunt, et quae prius iniustitiae accommodavimus, accommodemus iam iustitiae et sanctimoniae. Neque vero Christus exemplar est pictum aut sculptum, adeoque mortuum, sed vivum exemplar et efficax, quod in fidelibus relucet, exprimitur, et vere operatur, quod sese in omnibus dictis et factis totaque vitae actione exerit. Exemplar inquam vivum et expressum omnium coelestium virtutum caritatis, obedientiae, modestiae, longanimitatis, mansuetudinis, tolerantiae, puritatis, constantiae, quo non est aliud perfectius aut absolutius. Quae enim maior caritas, quam mortem obire pro hostibus suis? neque id in iuventa ut pueri ab Herode interfecti: neque divitum aut honoratorum more, sed turpissimam et abiectissimam, nempe crucis, idque inter duos latrones. Mori inquam morte turpissimorum et sceleratorum hominum ut seductorem. Ad haec assumpsit in se Christus quidquid est durum, vile, et adversum in hoc mundo: hoc inquam elegit Christus, et in sese pro nobis assumpsit, ne quid caro conqueri posset. Quidvis patiuntur homines, ut mortem effugiant, Christus super omnia mala etiam mortem eamque acerbissimam pertulit. Quidquid est magnum et pretiosum in hoc mundo contemnit, quidquid est carni ingratum et adversum eligit et patitur, paupertatem, ignominiam, infamiam, convitia, blasphemias, verbera, vincula, vulnera, mortem denique, ut nos disceremus mundum cum omnibus oblectamentis suis contemnere, et gravia quaeque ob ipsum cum gaudio ferre. Neque enim coelestia appetere possumus, nisi abiiciamus et contemnamus terrena. Qui mundum

amat, deum amare non potest: qui mundum et quidquid in mundo est spernit, huic sapiunt aeterna et divina. Talem hominem nihil adversi perturbare aut deiicere, nihil laeti efferre poterit. Humilitas et obedientia eius exemplo carent, qui cum deus esset, descendit, et nostram infirmitatem in se suscipit, obediens patri usque in mortem. Ex his quae praemisimus satis (ut opinor) apparet, qua ratione mors Christi a nobis meditanda, quid nobis ex ea discendum propositum sit, quidque sit condolere ei, nempe, ut vestigia ipsius insequamur, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius, qui maledictis lacessitus, maledicta non regessit: affectus malis, non minatus est, sed tradidit vindictam ei qui iudicat iuste. Discamus et nos talia, ut fortes intrepidi et constantes simus, si quid patiendum est pro Christo, pro veritate, pro iustitia, ut infracto animo feramus ignominias, contumelias, mortem, ut nihil sit tam arduum, nihil tam grave, quod pro ipso ferre non simus parati. Hoc est conformem fieri Christo, pati quod ipse passus est, facere quod ipse fecit, gloriari et gaudere si quid ferendum pro Christo acciderit. Absit enim ut gloriam aliam quaeramus in hoc mundo, quam in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem nobis mundus crucifixus sit, et nos mundo: cuius stigmata portemus in corpore nostro, in tolerantia multa, in afflictionibus, in necessitatibus, in anxietatibus, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in puritate etc. Semper in mortem tradamur propter Iesum, ut et vita Iesu manifestetur in mortali carne nostra. Caritas dei constringat nos, hoc perpendentes, quod si unus pro omnibus mortuus fuit, omnes nos fuisse mortuos, mortuumque esse unum pro omnibus, ut qui vivunt posthac non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. Ne defatigemur unquam, licet enim externus homo noster corrumpatur, internus tamen renovabitur in dies singulos. Nam momentanea levitas afflictionis nostrae, supra modum aeternum pondus gloriae pariet nobis, dum non spectamus ea quae videntur, nempe temporaria, sed ea quae non videntur, nempe aeterna. Cum igitur Christus passus sit pro nobis carne, nos quoque eadem cogitatione armemur, quod qui patitur in carne destitit a peccato, in hoc ut iam non concupiscentiis hominum, sed voluntati dei, quod superest in carne tempus, vivat. Sat enim nobis sit, quod anteacto vitae tempore voluntatem gentium patraverimus, quum versaremur in lasciviis, concupiscentiis, vinolentiis, comessationibus, compotationibus, et nefariis simulachrorum cultibus. Ne miremur quasi novum aliquid nobis obtingat, dum per ignem exploramur, fit enim hoc ad experimentum nostri: quin gaudeamus, quod dignos nos censet deus, ut pro ipso aliquid patiamur, et consortes reddamur afflictionum Christi, in cuius gloriae revelatione gaudebimus quoque exultantes. Si probris afficimur pro nomine Christi, beati sumus, quoniam gloria et spiritus dei super nos requiescit. Si enim commortui fuerimus Christo, et convivemus: si sufferimus, et conregnabimus. Et nemo coronatur, nisi qui legitime certat. Feramus igitur afflictionem, ut boni milites Christi, qui nomen dedimus Christo in sacramento baptismatis, in militiam eius ascripti, insiti in mortem eius. Ne ergo implicemur vitae negotiis, ne mundanis

desideriis polluamur, curramus per tolerantiam in proposito nobis certamine, respicientes ad fidei ducem et consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio pertulit crucem ignominia contempta. Expendamus quod is talem sustinuerit a peccatoribus contradictionem, ne animis nostris defatigati deficiamus. Cogitemus quam sit turpe ab imperatore tanto deficere, aut quum ipse tam fortiter et strenue pugnat, ignavos nos esse: quam dedeceat membra esse superba, fastuosa, invida, quum caput sic se demittat, et caritate tanta ardeat; quanta sit ignominia ducem in se suscipere tot vulnera, et mortem denique, milites vero stertere et luxu diffluere. Quicunque ergo pie volunt vivere in Christo Iesu ad persequutiones ferendas se parent, et per multas tribulationes contendant ad vitam aeternam, stent in timore dei, et praeparent animos suos ad tentationes, immunesque se custodiant ab hoc saeculo. Exemplum enim dedit nobis Christus, ut quemadmodum ipse fecit, et nos faciamus.

Instabat autem dies festus azymorum, qui dicitur pascha, nempe post biduum.

Praeceptum erat Iudaeis ut festo die paschae, quum agnum ederent, septem diebus azymis placentis deinceps vescerentur. Quem typum Paulus, 1. Cor. 5. aperit, et ostendit expurgandum esse vetus fermentum, quum paululum fermenti totam conspersionem fermentet. Decet in Christo renatos nova et innocens vita, ut sint quasi nova quaedam conspersio et infermentata. Nam et pascha nostrum (inquit) immolatus est Christus, agnus sine macula. Festum itaque diem celebremus, non in fermento veteri, nec in fermento malitiae et nequitiae, sed in panibus fermento carentibus, hoc est, sinceritate et veritate. Pascha Iudaeorum typum praefert futurae per Christum libertatis. Ut enim olim deus filios Israel in Aegypto a caede, qua puniebantur Aegyptii, servavit, nempe quorum ostia illita sanguine agni fuerunt, et deinde eos potenti manu per mare rubrum illaesos et salvos eduxit, iugoque gravissimo Pharaonis exemit: ita et credentes per Christum a morte perpetua servat, et a potestate tenebrarum eripuit, transferens eos in regnum filii sibi dilecti, per quem habent redemptionem, per sanguinem scilicet ipsius, remissionem peccatorum. Et haec causa est, quod hoc potissimum tempore Christus mori voluit, ut intelligeremus eum esse agnum illum dei, qui peccatum mundi esset sublaturus, cuius sanguine qui loti fuerint, tuti erunt a vastatore. Sic enim deus mundum dilexit ut unigenitum suum daret pro eo, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Qui enim in Christum credunt, in iudicium aut poenam nullam veniunt, sed a morte in vitam transierunt: etiamsi mortui fuerint, vivent tamen in eo qui resurrectio est et vita. Quod autem Marcus dicit: Erat pascha, Matthaeus autem, Post biduum dicit futurum pascha, Lucas exponit et dicit: Imminebat, aut Instabat dies festus paschatis, hoc est: In propinquo erat, nempe, post biduum. Anticipatio ergo est temporis. Festum vero paschatis Ioanni videtur

esse dies sequens esum agni. Sic dies azymorum ponuntur pro pascha te, quia simul concurrebant.

Tum congregati erant summi sacerdotes et seniores in domo summi sacerdotis, qui dicebatur Caiaphas, consultantes, quomodo eum dolo caperent, et interficerent, metuebant autem plebem. Ob hoc dixerunt inter sese: Non in die festo, ne forte tumultus fiat in populo.

Τότε, tum, vel tunc, non refertur ad tempus quo haec loquitur, sed quum illi essent congregati. Audacia carnis hic notatur, quae veritati dum insidias struit, varia captat consilia, atque his consiliis occasionem temporis eligit et observat. Ergo de capiundo Christo tum consultant, quum omnis populus in parando agno esset occupatus. Qui veritati resistunt concursant et concilium cogunt contra dominum, ut eum perdant, quia contrarius erat operibus eorum. Varias cogitant causas quibus accusent, scientes mox ut captus erit, populum totum ab eo defecturum. At utcunque impudens est caro, metuit tamen sibi ubi nihil metuendum. Quum enim consultarent eum non capiendum esse in die festo, fit consilio dei ut in die festo capiatur, et sine tumultu. Et evenit plerumque impiis quod metuunt, et quod consiliis suis amoliri moliuntur. Hoc cernere licet in consilio Caiaphae, qui satius putat esse, ut unus tollatur, quam ut tota gens pereat, deinde si tollatur Christus, caveri ne Romani eos opprimant. At dum vitant stulti vitia in contraria currunt. Sperabant Iudaei Christo sublato, populum defecturum. Sed post mortem Christi multo plures crediderunt et Christo accesserunt quam antea, quum uno die multa millia fidem reciperent. Metuebant ne eo vivo Romani ab eis locum et gentem tollerent, quod eis post quadraginta annos evenit. Ita ridet deus consilia impiorum, et efficit ut in consiliis suis capiant. Hodie non secus faciunt Papa, Cardinales, Episcopi, Monachi, Senatores mali, tegunt autem consilia sua, imo decorant titulo honestatis et religionis.

Satan autem introierat in cor Iudae Iscariotis, qui erat unus e duodecim. Is abiit ad summos sacerdotes et magistratus hoc scilicet animo, ut traderet eum illis. Convenit quoque cum illis de modo quo eum esset traditurus, dicens: Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? Hoc audientes, gavisi sunt, pacti cum eo, polliciti sunt se daturos ei triginta argenteos. Quum ergo hoc eis esset pollicitus, occasionem et opportunitatem quaerebat, ut eum traderet illis sine turba.

Evangelista Ioannes per occasionem recenset, quid moverit Iudam ut Christum proderet, nempe quod sibi quiddam decedere dolebat de pecunia pretii illius ungenti, quod Maria super Christum effuderat. Voluit ergo damnum hoc aliunde sarcire avarissimus homo. Describit ergo coenam quae Christo parata erat in domo Simonis cuiusdam, deinde quae ibidem gesta sunt commemorat. Si cui videtur attexat eam historiam nostrae, nos brevitati studentes, quaedam necessaria tantum excerpsimus. Matthaeus qui et huius causae obiter meminit, dicit discipulos murmurasse, quod per synecdochen dictum esse videtur, nam

Ioannes disertis verbis dicit Iudam indignatum fuisse, causasseque pauperes, quum illi pauperes nihil curae essent, sed quaestus eum exagitaret, erat enim fur et loculos gerebat. Beneficentiam et misericordiam in pauperes praetexit avaritiae suae. Sic faciunt, qui veterem religionem scilicet, tueri se dicunt, praetexunt dei honorem, divorum cultum, sacramentorum autoritatem etc. Discamus hic quo tandem agat hominem cupiditas et pecuniae studium. Damnamus omnes Iudam et execramur, sed videndum erat, an non et nos essemus tales, qui per fas et nefas opes corradimus, mentimur, fallimus, et iustitiam deserimus. Nocentiores autem sunt illi, qui fraudem committunt in bonis ecclesiasticis et iis quae pauperibus sunt dicata. Parati iam erant animi utrimque in rem quam moliebantur, exerciti nimirum invidia et cupiditate lucri. Sic est natura comparatum, ut promptiores et alacriores omnes simus in privatis rebus quam in rebus publicis. Hoc usu venit, quod omnes cogitatus nostros, omnia consilia nostra, omnes denique nervos huc tendimus, ut res nostrae augescant, in hoc dies noctesque consumimus. Quum ergo cogitationes nostrae et rationes omnes in hoc sunt ut nostra quaeramus et servemus, minus attentiores sumus ad ea quae publicam spectant utilitatem. Et quia ignis amoris in nos totus est conversus, non potest flammam exerere in proximos. Et quando nostram gloriam in omnibus quaerimus, fieri non potest, ut gloriam dei ex animo quaeramus. Si consultandum est aut deliberandum inter senatores de vino Tigurino quo pretio vendi debeat, aut quanti sit aestimandum, quisque multis ante diebus cogitavit et expendit apud se, quomodo rem suam sit curaturus et lucrum suum aucturus. Hinc fit, ut coacti in senatum omnes et singuli promptissime et expeditissime dicant et pronuncient. Si in negotiis publicis, in negotiis religionis et pietatis tam essemus diligentes et seduli, si sic de illis ut de privatis die noctuque cogitaremus, promptiores essemus nimirum et alacriores, quum de illis esset consultandum. Sed proh dolor in his flaccessimus, et inertes sumus, negligentes, ignavi, socordes, nostra tantum, non quae Iesu Christi sunt quaerentes. Hinc tantum frigus in his qui vel religioni, vel politiae praefecti sunt. Hinc tanta in plebe scelerum turba. Qui enim ditescere volunt, incidunt in laqueos diaboli, et in varias tentationes, ut vere idem dicat, radicem omnium malorum esse cupiditatem. Animus cupiditati deditus nihil recti agit, nihil honesti: excussit enim metum dei, et desponsus est in omne scelus. Sed cur summos sacerdotes adit? Quum nebulones cum nebulonibus loqui et agere volunt, oportet intervenire aliquam occasionem et commoditatem. Nemo tam audax est, ut alterum ad latrocinandum advocet, de quo non antea persuasus sit animo, latronem esse, vel saltem latronibus favere, idque ex quibusdam notis foris deprehensis, quae internum animum, qualis sit, produnt. Nullus honestam matronam de stupro compellat: nullus virginem, nisi ex moribus aut gestibus illius, occasio aliqua ei obiecta fuerit. Si pudor virginalis esset inadulabilis, nullus procaciter eos impeteret. Adit ergo Iudas eos, quos Christo infensos sciebat, cum his sua consilia confert, quorum animus odio flagrabat in Christum, qui de nece Christi iamdudum consultaverant. Tales esse sacerdotes,

multis iam argumentis didicerat, non ergo veretur illos accedere, quin prius eos sollicitat, quam ab eis fuisset vocatus. Quid vultis mihi dare, inquit. O impudentiam! Sic carnifices illi et latrones, qui militiam exercent et sequuntur, qui corruptoria munera ab exteris accipiunt, non erubescunt a Caesaribus a regibus et principibus petere, ne pudeat illos, qui iis opus habent, liceri. Unde agantur huiusmodi homines Iudae consortes et partiarii, Evangelistae satis indicant, quum dicunt satanam introiisse in cor Iudae, is enim ut cor occupat, in omnia scelera homines praecipitat. Actus ergo a daemone, actus a cupiditate proditionem domini et servatoris sui meditatur, illius inquam, qui eum ad apostolatum allegerat, qui eum rebus suis praefecerat, et summo amore fuerat complexus. Concepto scelere, media ad conficiendum scelus adornat, et strenue exequitur. Sine turba, ut scilicet non multi id rescirent: quaerebat enim occasionem Iudas, ut eum hoc tempore hoc loco caperet, ubi turba populi quae frequenter comitabatur Christum, non esset cum eo.

Ante festum diem paschatis sciens Iesus, quod venisset hora ipsius, ut transiret ex hoc mundo ad patrem, quum dilexisset suos qui erant in mundo, usque in finem dilexit eos.

Superius dixi: Ioanni pascha accipi, pro die quae esum agni sequitur. Arte rhetorica Evangelista excellentiam Christi amplificat, ut profundior agnoscatur eius demissio. Ille, inquit, qui omnia novit, ille qui mortis suae conscius erat, ille cui pater omnia in manus tradiderat, qui a deo exierat etc. is inquam lavit pedes discipulorum. Ab hoc doctore discant omnes prophetae, episcopi, reipublicae moderatores, et populorum duces, fidem scilicet, amorem et sollicitudinem erga eos qui eis sunt commissi. Christus usque in mortem diligit suos, nunquam deserit, nunquam cessat, qui semel amare coeperat. Obedit patri in mortem usque, ut nobis exemplum proponeret humilitatis et beneficentiae etc.

Primo die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes ei: Ubi vis paremus tibi pascha. At ille dixit: Ite in civitatem et parate nobis ut edamus pascha. At illi dixerunt: Ubi parabimus? Respondit Iesus: Ite in civitatem ad quendam! en introeuntibus vobis obviam veniet quispiam, lagenam aquae gestans, hunc sequimini in domum quam ingreditur, et dicite patrifamilias: Magister mandat tibi, tempus meum prope est, ut apud te edam pascha cum discipulis meis. Ubi est diversorium ubi pascha cum discipulis meis edam? Et ille ostendet vobis triclinium magnum stratum, paratum! illic parate nobis. Et exierunt discipuli eius, et venerunt, quemadmodum dixerat illis, paraveruntque pascha.

Nihil hic fortuito, nihil fit temere, omnia sunt a providentia dei ab aeterno praevisa et ordinata, omnia eius consilio et voluntate geruntur. Haec ab Evangelistis ideo scribuntur, ut intelligamus, Christum non vi aut necessitate adactum esse in mortem, sed sua sponte et patris voluntate. Et quoniam veteris testamenti umbrae omnes in Christo

evanuerunt, ostenditur simul Christum esse agnum illum qui veteri illo fuit praefiguratus, ut Paulus docet 1. Corinth. 5. cap. Capitur autem Passa variis modis: modo proprie, pro ipsa transilitione aut praeteritione angeli in Aegypto, quum caederet primogenita, pepercit autem Israelitis in quorum ostiis sanguis agni aspersus erat: modo pro ipso die festo: modo pro agno qui mactabatur, et hoc metonymicos, ut hic, cum dicitur mactare, edere aut parare pascha. Sic passa pro agno ponitur, et rursum agnus passa dicitur, quum tantum memoraculum esset praeteritionis. Sic panis corpus Christi in posterioribus dicitur, quum symbolum sit duntaxat corporis, et circuncisio foedus cuius fuit signum. Discimus etiam paupertatem Christi, qui non habens ubi caput suum reclinet, cogitur in alienis aedibus cum discipulis suis pauperum more coenam accipere.

Et cum iam vespera esset, venit Iesus cum duodecim, et cum iam tempus, esset accubuit, et duodecim cum eo, et ait illis: Desiderio desideravi hoc pascha comedere vobiscum antequam patiar. Dico enim vobis, posthac non edam ex eo donec compleatur in regno dei. Edentibus autem illis, accepit Iesus panem, et gratiis actis, fregit, deditque eum discipulis suis, dicens: Accipite et comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, facite hoc in mei commemorationem. Et accepto poculo, gratias egit, et dixit: Accipite hoc, et dividite inter vos, hoc poculum novum testamentum per sanguinem meum, qui pro vobis effunditur. Dico enim vobis, quod non bibam posthac ex hoc fructu vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno patris mei: et bibebant ex eo omnes.

Describitur exacte ab Evangelistis omnibus, qualiter Christus post typicam coenam sacramentum sui corporis et sanguinis instituerit, ut ostenderet in se compleri et finiri veteris testamenti typos, renovari omnia, ut et sui memoraculum haberent eximii illius beneficii in cruce exhibiti, non minus quam veteres illi in edendo paschate habuissent, ut nova alluderent priscis, et tenebris lux succederet. Ostendit primo quanto cum desiderio hanc coenam cum eis edat, nempe vehementi et supra modum ardenti. Hoc enim valet schema illud Hebraicum: Desiderio seu desiderando desideravi, id est, ingenti et magno desiderio expetivi hoc pascha edere, id est, hunc agnum memorialem, nec minus desideravi novam istam coenam vobiscum edere, in qua meae mortis memoriam vobis commendabo perpetuo peragendam. Quotiescunque enim (ut Paulus exponit) hunc panem simul edetitis, et hoc vinum simul biberitis, mortis meae estote memores. Nunquam excidat vobis tanti beneficii memoria, nunquam exolescat, semper viva resideat in cordibus vestris, semper hoc os vestrum resonet et annunciet, hoc ubique praedicate, hoc incessanter celebrate, pro hoc ingentes gratias agite. Non enim convenit, ut meae mortis oblivio vos unquam capiat, qui tanto desiderio pro vobis mortem oppeto, qui vestrae salutis tam avidus sum, ut animam meam pro vobis devoveam, corpus meum hostiam pro peccatis vestris cruci affigam, et sanguinem meum in vestri

ablutionem effundam. Tanti estis mihi, ut morte mea vos a morte aeterna redimere paratus sim. Huius beneficii, huius redemptionis vobis symbola propono, quae a vobis comesta, mei memoriam refricabunt, quibus corporis et sanguinis mei nomina impono, ut fortius moveant etiam sensus vestros. Mors mea vita vestra est, si modo credideritis morte mea me pro vobis perlitasse, sanguinem meum peccata vestra abluisse, hoc vos intus alet et saginabit, hoc vera fide expensum animos vestros exhilarabit et tranquillabit, accipite ergo et edite, et faciatis hoc in mei memoriam. Abeo iam a vobis, ut non liceat mihi posthac vobiscum pristino more edere et bibere. Confirmaturus sum sanguine meo effuso testamentum illud, quod cum Abrahamo aliquando ferii, sed novo quodam modo, non pecudum sanguine ut olim, sed proprio sanguine. Nec cum Iudaeis tantum stabit foedus meum, sed cum universo mortalium genere. Germen aut fructus vitis, periphrasis est vini, et significat non solum vinum esse id quod Christus in cratere bibit et eis praebet, sed simul ostendit non esse sanguinem, sed id quod ex vite generatur, non ex corpore profluit. Ut si dicat quis: Hoc est ex fructu tritici, panem is circumloquitur, sed simul indicat non modo quod panis sit, sed quod panis sit triticeus non alterius frumenti: est enim et panis siligineus et avenaceus etc. Et hanc emphasim habent periphrases omnes, praesertim Hebraicae. Sic quum Christus se filium hominis appellat. Dicit ergo Christus: A modo ultra non edam nec bibam (Verisimile ergo est Christum quoque edisse et bibisse) vobiscum, hoc scilicet modo, sed alio quodam et novo, scilicet, post resurrectionem, et tum quum vos simul edetis mecum in regno patris mei super mensa mea, edam quidem vobiscum, sed non eo modo quo corpora solent cibari, sed in statu immortalitatis. Regnum ergo dei, aut tempus est post resurrectionem, aut cognitio Christi plenior, aut certe vita aeterna post hanc vitam, in qua super mensa Christi esuri et bibituri sunt fideles cum Christo nectar illud dulcissimum, ut est Luc. 22. cap. De sensu verborum Christi: Hoc est corpus meum, et de cibo animae, satis alias a nobis dictum est. Non disputemus quomodo panis sit corpus Christi, sed potius cogitemus beneficium quod nobis per corpus Christi praestitum est, ut intus in mentibus nostris satiati, sursum corda erigamus ad eum qui sedet ad dexteram patris, hoc est, in certo quodam coeli loco finito, ut diligamus invicem, ut innocenter vivamus, ut gratias domino agamus et digne vocatione nostra ambulemus. Corpus Christi manducare, nihil aliud est, quam credere quod corpus eius traditum sit in mortem, ut nos a peccatis expiaret. Sanguinem Christi bibere, nihil aliud est, quam credere, quod Christi sanguis effusus sit in cruce ad ablutionem nostrorum peccatorum. Nec est alia manducatio corporis Christi, quam ea quae per fidem fit, de qua loquitur Christus Ioannis sexto capite, neque a quoquam fieri potest nisi a piis. Manducatio vero symbolici et mystici panis, piis et impiis communis est, licet ratione diversa. Sunt enim qui indigne panem coenae edunt, et vinum indigne bibunt, adeoque mortem et iudicium, id est, poenam sibi conciliant. Et hi, licet sacramenta corporis et sanguinis dominici ore edant ac bibant, corpus tamen Christi nequaquam edunt, nec eius

sanguinem bibunt, nisi Christus mentiatur (quod ab aeterna et infallibili veritate longissime absit) cum dicit: Qui edunt carnem meam et sanguinem meum bibunt, in me manent, et ego in eis. Hoc convenire impiis nemo sanae mentis (ut opinor) affirmat. Pii vero non solum symbola dentibus premunt, nec nuda habent symbola, sed ultra symbolorum manducationem quae ore corporis fit, intus in mentibus suis corpore et sanguine Christi per fidei manducationem pascuntur. Quam fidem spiritus Christi intus accendit, quando, quantum, et quibus ipse voluerit. Neque enim operatio eius symbolis alligata est, neque gratia indita, ut quasi vehiculo quodam et illis adferatur, sed Christus ipse summus et aeternus Pontifex corpore suo et sanguine pascit fideles, ministro foris sacramenta tantum administrante, quibus ipse ob oculos ponit, refricat, et nunciat dei gratiam, non advehit, non exhibet, non dispertit. Corpus ergo et sanguinem mens fidelis percipit, et percepta, spiritus dei calore concoquit, et in interiora animae viscera traiicit, ex quo intima et mirifica piae menti refectio exoritur. Coenam ergo seu eucharistiam quum celebramus, sacrificii illius unici in cruce oblati eum gratiarum actione recordamur. Admonemur enim quod carne et sanguine unigeniti filii dei pro nobis in cruce oblatis, ab aeterna simus morte redempti, et quod ista in cibum spiritualem nobis sint facta, qui nos in aeternam vitam alat et servet. Quandoquidem vero Christus sese hostiam, tradito in mortem corpore suo, pro nobis patri gratissimam obtulit, sanguinemque suum nobis abluendis effudit, dignum omnino est, ut tantam caritatem, tamque eximium beneficium meditemur et depraedicemus, et pro tam vivifica morte gratias agamus. Hinc auctior in deum patrem fides, amor quoque eius et studium in nobis magis magisque accenditur. Admonemur deinde in hac sacrosancta coena, ut totos nos corpore simul et anima, Christo, qui pro nobis vivificandis mortem oppetiit, vicissim sacrificium offeramus et devoveamus, novitatem vitae meditantes, cupiamus iam non nobis, sed Christo vivere. Postremo corporis traditi, fusique sanguinis memoria in sacris coena symbolis in hoc proponitur ecclesiae Christi, quo certius redemptionis suae, veluti tesseram quandam recipiat, et in animum revocet, ita nos in unum corpus compactos esse per fidem, ut membra simus unius capitis Christi. Dignum ergo est ut summa cum caritate inter nos simus constricti, beneficentiaque mutua invicem devincti. Mors ergo Christi nunquam pectoribus nostris excidat, semper cogitemus Christum totum nostrum factum, ut nos simus ipsius per fidem et caritatem, proximi per caritatem, inque eo maneamus per fidem, et ipse in nobis per caritatem, omnia faciamus et feramus propter eum qui nostri causa mortuus est.

Et coena facta, quum diabolus iam immisisset in cor Iudae Simonis Iscariotae ut proderet eum, sciens Iesus quod omnia dedisset pater sibi in manus, et quod a deo exisset, et ad deum iret, surgit a coena, et ponit vestimenta, et quum accepisset linteum praecinxit se, deinde misit aquam in pelvim, et coepit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quo erat praecinctus.

Exemplar nobis in Christo proponit deus, quod nunquam ab oculis nostris recedere debet, omnium scilicet virtutum. Expendamus ineffabilem caritatem simul cum summa deiectione. Docet ergo deus in Christo caritatem, humilitatem, beneficentiam, mansuetudinem, fortitudinem, tolerantiam, constantiam. Benefaciamus omnibus et amicis et hostibus, nec aliud pro beneficiis nostris exspectemus, quam odium et gravissimam persequutionem, nec tamen interim absterreamur a benefaciendo, nec unquam cessemus. Hoc est quod Paulus dicit: Omnes qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persequutionem patientur. Qui virtutes plantare, iustitiam inter mortales promovere voluerit, sese totum omnium odiis exponat, et pro iustitia se devoveat. At quemadmodum Christus a iustitia et veritate, a caritate et beneficentia nullis calumniis aut odiis avelli potuit, quin patri usque in mortem obediret, et constanter ferret quaecunque impii inferrent, adeoque suos usque in finem diligeret: ita et omnibus piis faciendum erit, ut constanter inter omnia mala benefacere pergant, nec unquam malorum odiis victi deficiant aut defatigentur. Christus in mortem usque amat et benefacit, omnibus servit et prodest, et nihil inde quam extremum odium et mortem acerbissimam reportat. Transire ex hoc mundo, et ire ad patrem, mortis est periphrasis. Ac si dicat: Sciens Iesus se moriturum iam. At, quemadmodum diximus: Hebraicae periphrases magnas habent emphases, et plus energiae quam si sermo sine figura et simpliciter proponeretur. His enim verbis magnam fidelibus consolationem ostendit ac indicat, nempe quod mors fidelium aliud nihil sit, quam relinquere mundum et ire ad deum. An vero hoc non magnam habet consolationem, relinquere mundum, id est, omnia scelera, omnem perfidiam, omnem laborem et afflictionem, et ire ad deum optimum maximum, et pientissimum patrem? Quis non exultaret quum hoc audiret, se omnibus malis per mortem liberari, et omnibus bonis perfundi? At mori Christianis nihil aliud est, quam mundum relinquere; et ire ad deum, quum alioqui si extra Christum moriendum sit, mors terribilissima sit omni carni. Evangelista ergo hisce verbis suavem nobis et gratam facit mortem, et ostendit, quid mors, quae peccati poena est, per Christum nobis facta sit, nempe, exitus malorum omnium, et vitae novae ac aeternae initium. Merito ergo dicit David, pretiosam esse mortem sanctorum in conspectu dei, quum interim mors peccatorum sit pessima. Quo plus a mundo abscedimus, hoc propius accedimus ad deum. Rursus, quo magis mundo accedimus et addicti sumus, hoc plus recedimus a deo. Inter haec duo medium nullum est, nec est quod utrique adhaerere velis. Quod vero Evangelista dicit, diabolum immisisse in cor Iudae proditionem, indicare voluit, pessima ista scelera et flagitia autore diabolo fieri, per organa nempe eius. Sunt quidem affectus in homine boni a deo creati, at culpa vitiati, et mali facti, ut cupiditas rerum. Hos affectus ad se rapit daemon, et quidquid arripere potest ad se trahit, et ad suam voluntatem utitur. Sic quod bene creatum erat in nobis a deo, daemon ad nostram perniciem pertrahit. Ponit vestimenta etc. Hypotyposis est, quae rem graphice describit, et quasi ob oculos ponit.

Venit ergo ad Simonem Petrum, et dicit ei Petrus: Tu mihi lavas pedes? Respondit Iesus: Quod ego facio, tu nescis nunc, sciés autem postea. Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in aeternum. Respondit Iesus: Si non lavero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput. Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non opus habet, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus, et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quis nam esset, qui proderet se, propterea dixit: Non estis mundi omnes.

In Christo summae caritatis et humilitatis proponitur exemplum, in Petro humanae sapientiae caecitas et curiositas. Quod Christus verbo docet, hoc idem facto praestat, nam in Matthaeo 11. cap. dicit: Discite a me quia mitis sum et humilis corde. Humilitatem ergo in sese exprimit. Quae enim maior deiectio quam filium dei, regem regum sese demittere ad servulorum pedes? Hinc discamus nos deiicere, nihil nobis tribuere, nihil iactare, et quo fuerimus altiores, hoc magis nos demittamus. Sic Paulus Roma. 12. et Philip. 2. At in Petro ostenditur carnis contumacia, quae curiose omnia inquirit, nec obsequitur deo, sed suae rationi: at captivare oportet intellectum in obsequium Christi. Intelligebat quidem Petrus quid faceret Christus; videbat enim sibi lavari pedes, at non intelligebat quid Christus sibi hac lotione volebat. Ergo dicit Christus: Quod facio, id est, quod intendo, nescis, id est, non intelligis, non capis. Nos tam stupidi sumus et ignavi, ut longe post intelligamus quae facta vidimus, nec cognovimus quid significarint. Saepe externo aliquo deus significat, quod prima fronte non intelligimus, ut videre est in prophetis, quibus per paradigmata quaedam ostendit, quae deinde aperit et explicat. Sic in coena panem dat et vinum, ut his rebus ac symbolis suae mortis eis memoriam commendet. Lavat pedes, non hoc agens, ut sordes abluat pedum, sed ut significet, se illum unum esse, qui nos purificet: altius quiddam proponens, quod ex responsione eius ad Petrum, et aliis verbis clare perspicitur. Multi enim partem habent et capiunt cum Christo, quibus Christus pedes non lavit: at nemo gloriae Christi et vitae aeternae particeps fuerit, qui sanguine Christi lótus non fuerit, quorum affectus ipsius gratia non fuerint repurgati. Deinde caritatem suis commendat, ut alter alteri per dilectionem mutuam serviat, non modo pedes lavando, si ita ferat necessitas, sed in omnibus, proximis serviendo. Hoc vero diligenter observandum, eos qui fideles sunt, adhuc opus habere ut pedes lavent, id est, ut quotidianos lapsus abluant et affectus in carne repullulantes repurgent, quod quidam non expendentes eo dementiae ac superbiae veniunt, ut audeant se sine peccato esse affirmare, quum tamen Ioannes dixerit: Si quis dicit se sine peccato esse, is mendax est, et se seducit. Paulus aliam legem in membris se invenire conqueritur, repugnantem legi mentis et spiritus. Aut quomodo isti quotidie orant: Remitte nobis debita nostra, quum nulla agnoscant? Docet ergo Christus fide purificari credentes, aspersione scilicet sui sanguinis. Deinde purificatos et mundos nihilominus lotione pedum egere, hactenusque impuros esse. Postremo satis clare

pronunciat, non omnes esse mundos, qui in coetu externo discipulorum Christi versantur. Dicit enim: Mundi estis, sed non omnes, Iudam notans, qui inter apostolos corpore aderat, sed mens eius et cor cum pharisaeis sentiebat. Lotum ergo esse aut mundum, quod idem est, est vere et indubitato credere, se Christi sanguine ablutum et purificatum. Abluere pedes, est quotidiana delicta, coram deo gemendo et detestando agnoscere et confiteri, et subinde post lapsum ad deum accurrere per poenitentiam. Viam enim hanc dum hic vivimus lutosam et salebrosam, in tanta carnis infirmitate et lubricitate, inter tot hostes sine lapsu perficere non possumus. At utcunque pedes vacillent, si caput fidei salvum est, bene habet res, neque enim in huiusmodi lapsibus fideles colliduntur, supponente domino manum suam.

Postquam ergo lavisset pedes eorum, receptisque vestibus suis accubuisset, iterum dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me magistrum et dominum, et bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros dominus ac magister, vos quoque debetis invicem alii aliorum lavare pedes. Exemplum enim praebui vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis. Amen amen dico vobis, non est servus maior domino suo, neque legatus maior est eo, qui legavit ipsum. Si haec novistis, beati estis, si feceritis ea.

Exemplo hoc humilitatis et beneficentiae pudefacit dominus fastum nostrum et frigus, qui ut honores ambimus et opes, et nobis etiam ea arrogamus quae non habemus, ita quoque conservos despicimus ac negligimus, nec tantum negligimus, sed insuper laedimus et iniuria afficimus. Imitemur ergo domini nostri Iesu Christi exemplum, ponamus fastum, deiiciamus animos, caritate ardenti complectamur fratres, feramus aliorum infirmitates et onera, parati omnibus nos submittere propter eum, qui nostri causa se tantum demisit. Cogitemus semper domini praeceptum de caritate fraterna, et de beneficentia in pauperes. Misericordiam enim vult, non sacrificium. Praescribit quidem Christus nobis absolutissimam vitae formam, quum dicit: Sic diligatis mutuo, quemadmodum ego vos dilexi, adeoque nobis impossibilem: at si imitari eam studuerimus, si tentaverimus iuxta eius praescriptum facere, quantum ipse sua gratia largitus fuerit si non assequimur (ut nunquam assequimur) errata nostra benigne condonabit. Non satis est haec novisse, audisse, praedicasse sed oportet etiam facere, hoc est, oportet hisce rebus studere et incumbere, sese in his exercere, et cum proximo quasi bene merendo contendere. Sic evademus in his aliquando docti et exerciti.

Facta autem est et contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eis, et qui potestatem habent super eas, benefici vocantur; vos autem non sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut iunior, et qui princeps est sicut qui ministrat. Nam uter est maior, qui accumbit, an qui ministrat? Nonne qui accumbit? At ego in medio vestrum sum, ut qui ministrat. Vos autem estis qui permansistis mecum

in tentationibus meis, et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Quando misi vos sine sacculo et pera et calciamentis, num quid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram, et qui non habet vendat tunicam suam et emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est: Et cum iniquis deputatum est, oportet perfici in me. Etenim ea quae de me sunt, finem habent. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladii hic. At ille dixit eis: Satis est.

Quum Christus maximam docet humilitatem, caro exaltari quaerit et maga esse. Ita natura nostra est corrupta, ut nihil aliud quam sua cogitet, etiam quum maxime seria aguntur. Docet Christus ut se aliis subiiciant, mutuo ament, alter alteri per caritatem serviat, et interim non pudet illos de primatu disputare. Movit autem eos ad hanc quaestionem, quod Christus de morte sua disseruit. Christus autem magna gravitate fastum illum comprimit, et ad submissionem hortatur, ostendens quis vere sit magnus in ecclesia, is nempe, qui sese omnibus subiicit, omnibus servit. Quandoquidem autem ad verbi praedicationem electi erant, avocat animos eorum a fastu quo fere tument principes mundi. Princeps gentium, loquutio est, pro principes nationum: Die weltlichen fürſten. Non hi tantum quod gentibus aut infidelibus imperitant, ut exponunt Catabaptistarum coryphaei, quum probare ex verbis Christi conantur, Christianum hominem non posse gerere magistratum. At Christus hisce verbis eorum opinionem non adiuvat, sed magis subvertit, de quo suo loco. Christus discipulorum suorum, quos ad evangelii praedicationem elegerat, animos contra noxios carnis affectus praemunit, inter quos non parvas vires habet honoris studium, et morbus ambitionis, quae si animos antistitum religionis invaserint, damna innumera secum ferunt. Nec est alia pestis nocentior ecclesiae quam ambitionis studium, fastus, et sui confidentia. Nec enim vere pius est qui sibi fidit. Istis autem affectibus etiam apostoli laborabant, id permittente domino, ut sese hoc magis cognoscere et deiicere discant. Dicit ergo: Vos non ex eorum numero estis, o discipuli mei, qui principes et magistratus sunt in mundo, vobis aliud munus demandatur. Principes iuxta facta sua nomina sortiuntur et habent interim aliquod imperium in eos, qui suae curae commissi sunt. Is affectus dominandi et imperitandi aliis etiam in regibus et primoribus non debet esse, quin potius bene merendo de suis nomina beneficorum acquirunt, ut Evergetes, et pater patriae, Abimelech etc. At fit frequentius, ut plus premant suos, quam ut oneribus levent. Hoc tametsi malum sit, ferendum tamen est in his qui in mundo imperant, non in regno coelorum. Nam dum arma sumunt, hostem profligant, malos puniunt, gladio suo etiam Christo serviunt, cum mundi negociis tamen aliquousque contaminantur et commune quid habent, ut non possint omnino defecati esse, et coelestibus semper intenti. Vos vero, qui lux estis mundi, a me

vera luce accensi, maiòr decet integritas, maior puritas, vos lucerna fidei et caritatis aliis praeluceatis, non verbo solum, sed exemplo vitae. Corda vestra non terrena spectent, sed ab omni terrenae fecis contagio defecata, ignis in modum sursum ferantur ad coelestia. Procul ergo absitis ab ambitione, a pecuniae studio, et ab omnibus his, quae animos vestros terrenis rebus implicare possent. Ne ambiatis gloriam ac imperium in mundo, praefeci vos regno coelorum, hoc est praedicationi gratiae et veritatis. Ne ergo aliis rebus sitis intenti quae vos ab officio vestro avocent. Alii quaerant ut domini sint, vos hoc unum curate, ut aliis serviatis: hoc vos ad aeternam gloriam subvehet, et vere potentes faciet. Me respicite, qui non veni ut dominer aut magnus sim, quin potius inter vos versor ut abiectissimus servulus ministrans vobis, pedesque vestros lavans. Reliqui coelum et descendi ad vos, vestri causa omnem paupertatem et afflictionem in me suscipiens. Cur ergo vos pudeat mei causa aliis servire? Parum quidem est quod vos hactenus mecum mansistis, mihique adhaesistis, quod tamen vestrum non est: Neque enim me elegistis, sed ego e solio paterno descendens, vocavi et elegi vos: quidquid ergo habetis boni, non vobis ipsis, sed mihi transscribite universum. Sublevate animos vestros ad futura, non frustra feceritis si permanseritis mecum, ego plenissime id rependam: ut socii fuistis afflictionum, ita et gaudii consortes eritis, modo sitis constantes in eo quod vobis demando, nec animum ad alias res adieceritis. Non enim satis est mihi hactenus utcunque haesisse, velitationes fuerunt et leves pugnae, instant iam graviores conflictationes. Tempus iam adest, ut satan omnem impetum suum, omnia arma sua in me et in vos vertat. Scitis, quum antea vos sine viatico et inermes extruderem, nihil vobis defuisse? Constantes ergo estote et firmiter state, tanta enim malorum turba obruet, ut gladiis videatur opus esse. Oportet enim ea quae de me scripta sunt, omnino absolvi. At vos intrepide in praedicatione veritatis pergite, ego nunquam deero vobis: ut antea defendi, ita posthac defendam: ego curam vestri geram, et omnia quae desunt suppeditabo. Hisce verbis dominus animis discipulorum carnis affectus quo tangebantur eximit, et simul eos ad futura certamina praeparat ac animat. Maiora enim erant post abitum passuri, quum omnium odia in se veritatis praedicatione essent concitaturi. Quorum malorum in praesens in se ipso specimen exhibuit, ostendens eis atque omnibus piis, quid ipsis in hoc mundo pro veritate sit ferendum, at ingentem esse mercedem paratam omnibus qui in finem usque perdurarint. Quod vero dicit: Vendat tunicam et emat gladium, loquutio est, qua significatur maximum imminere periculum. Ac si diceret Christus: Si in me sic furiunt, vobis non parcent, estote ergo fortes et constantes. Sic enim in vos grassabuntur, ut gladiis videatur opus. Interim dominus non iubet gladio pugnare, qui prius tam diligenter vetuerat ne malo resisterent, ut alapam danti alteram maxillam obverterent, et postea Petrum distringentem in Malchum gladium recondere iubet. Nec est ut Papistae ecclesiasticum et profanum gladium hinc probent. Christus simpliciter periculum praedicit, quod sibi et discipulis suis imminet. Docens obiter ut gladio utriusque testamenti, gladio scilicet spiritus, omnia ista vincant

et amoliantur. Non est opus ut gladiis pugnent viri apostolici, sed si diligenter praedicationi veritatis insistunt, gladios omnium impiorum in se concitabunt, quos ipsi rursus gladio spiritus excipient, et in hac pugna feliciter domino adiuvante vincent.

Non de omnibus vobis loquor, ego scio quos elegerim, sed ut impleatur scriptura: Qui edit mecum panem, sustulit adversum me calcaneum suum. Nunc dico vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis quod ego sum.

Quum de pedum lotione sermonem habuerat, interim per anagogam ad mentis puritatem ascendit, et hinc commode ad impuritatem Iudae proditoris inclinat sermonem. Est autem Analepsis seu Epanodos. Electio facit filios dei. Fides autem signum est electionis. Fidem enim nemo habet nisi electi. His vero verbis Iudae cor ferit, sunt enim in ecclesia multi semper, qui fidem simulant, alioqui pessimi. Hi cogitent se deum non posse latere, etiamsi homines aliquando fallant, homo enim tantum externa videt, deus cor intuetur et probat. Levare pedem aut calcaneum, figurata loquutione significat, aliquem insidias struere, offendere, opprimere, contemnere, laedere, atque pedibus ad haec accelerare. Germani non absimili tropo utuntur: Er ſchlecht mit dem lätzen ſchändel. Sic in Psalmo: Pedes eorum festinant, ut sanguinem effundant etc. Edere panem cum aliquo, est mensae esse participem, adeoque symbolice familiarem esse et in amicitiam receptum penitiorem. Sic Iudas allectus erat in numerum apostolicum, et cum domino coenam ederat, attamen non pudet perfidum hominem et ingratum dominum suum et tantum benefactorem prodere. Adgravat hisce verbis crimen proditoris, sed ut eum a proposito benignitatis mentione revocet.

Cum Iesus haec dixisset, turbatus est spiritu, et dixit: Amen amen dico vobis quod unus ex vobis traditurus est me, nam manus tradentis me mecum est in mensa. Quin omnes vos scandalum patiemini in me ista nocte: scriptum est enim: Percutiam pastorem et dispergentur oves gregis, post quam autem resurrexero, praecedam vos in Galilaeam. Petrus autem respondens ait illi: Et si omnes scandalum passi fuerint in te, ego tamen nunquam scandalum patiar. Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quod in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt. Ait autem dominus: Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, et tu conversus aliquando, confirma fratres tuos. At ille dixit ei: Domine paratus sum tecum et in carcerem et in mortem ire. At ille dixit: Dico tibi Petre, non canet hodie gallus, priusquam ter abneges te nosse me. Amen dico vobis, quod unus vestrum me proditurus est. Et moesti redditi vehementer, coeperunt singuli dicere ei: Numquid ego sum domine? Aspiciebant autem se invicen discipuli, haesitantes de quo diceret. At ipse respondens ait: Qui intinxit mecum manum in catino,

hic me proditurus est. Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de illo, vae autem homini illi, per quem filius hominis proditur, bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. Dixit autem et Iudas qui prodidit eum: Num ego sum Rabbi? Ait illi: Tu dixisti. Erat autem unus ex discipulis Iesu recumbens in sinu ipsius, nimirum is quem diligebat Iesus. Innuit ergo huic Simon Petrus, ut sciscitaretur, quis esset de quo loqueretur. Itaque quum recubuisset ille super pectus Iesu, dicit ei: Domine, quis est? Respondet Iesus: Ille est cui ego intinctum panem porrexero. Et quum intinxisset panem, dedit Iudae Simonis Iscariotae. Et post offulam, ingressus est in eum satan. Dicit igitur Iesus ei: Quod facis fac citius. Hoc autem nemo intelligebat discumbentium ad quid dixisset ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus: Eme ea quae opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret. Quum ergo accepisset ille offulam, exivit continuo: erat autem nox.

Regni coelestis rex Christus, qui regnum coelorum hominibus in mundo (quos tamen ipse e mundo elegerat) praedicaturus et oblaturus venerat, quique apostolis suis, ut ad hoc regnum omnes vocarent mandarat, primum ex pectoribus eorum omnes morbos eximit, quos a regno coelorum procul abesse convenit, carnis scilicet et mundi cupiditates, ut in se primum exprimant, quod alios erant docturi. Transtulit enim nos deus, inquit Paulus, ex regno tenebrarum in regnum dilecti filii sui, in admirabilem lucem suam, ut simus iam filii dei, qui veteri Adae renunciantes, et omnem impietatem et saecularia desideria abnegantes, pie, iuste, et sobrie vivamus in hoc saeculo, exspectantes beatam illam spem, et apparitionem gloriae magni dei, et servatoris nostri Iesu Christi. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus, nempe coelestem illam Hierosolymam, in qua sumus cives ascripti, concives sanctorum, et domestici dei. Decet autem ut advenae et peregrini in hoc saeculo, abstineant a carnalibus concupiscentiis, quae militant adversus animam, conversationem habentes honestam inter gentes, ut hi qui nobis obtrectant ut maleficis, ex bonis operibus nos aestimantes, glorificent deum in die visitationis. Superiori sermone ambitionem et cupiditatem taxavit, iam sui fiduciam, et pecuniae studium taxat, quorum alterum in Petro, alterum in Iuda et discipulis erat. Petrus non expensis viribus suis maiora pollicetur quam possit praestare, nec admonenti domino credit, quin et aliis omnibus contemptis se solum fortem iactat. Iudas qui scelus horrendum animo conceperat, avocantem dominum non audit. Sic facit caro nostra, quum sibi permittitur. Nemo errorem suum agnoscit, nemo admonenti cedit. Quisque se latere posse sperat, dum nominatim non appellatur, utcunque intus conscientia reclamet. Variis autem modis Iudam aggreditur Christus, ut eum a proposito revocet, in quo admirabilis Christi et mansuetudo et caritas notatur, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Sed quo magis suam benignitatem ostendit et exerit Christus, hoc magis

impietas obduratur, ut etiam impudentissime dicere audeat: Num ego sum? Audet se insuper sacro coetui et mensae domini ingerere sceleratissimus nequam, non veritus mentiri ei qui omnia novit. Tanta res est hypocrisis, et pectus avaritia occupatum. Sic et nos audemus aliquando sacrae communioni interesse cum Iuda, ostentantes nos pios, quum simus intus impiissimi. Licet vero et Petrus et Iudas uterque ceciderit, magna tamen est inter Petri negationem, et Iudae proditionem diversitas. Petrus ex metu et pusillanimitate subito terrore obrutus peccat, Iudas vero ex destinata malitia: occuparat enim daemon pectus eius. Ergo dicit Christus Petri fidem non omnino excidisse, nam utcunque foris ore Christum negat, cor tamen eius a Christo non deficit. Sinit autem deus ut pii aliquando labantur, ut sese penitius noscant, animo deiiciantur, infirmitatem suam discant et agnoscant, et post casum fortiores et alacriores resurgant. Discant sibi nihil fidere, aliorum casibus condolere, et magis solliciti esse. Hinc Christus dicit: Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Iudam agitabat satan, ut supra audivimus, ut non solum a Christo deficeret, sed insuper eum hostibus proderet perdendum. Et hic dicitur post offulam diabolum in eum introiisse, quod sic intelligendum est, diabolum qui eum antea occuparat, iam plenius possedisse, et magis ursisse, ut conceptum scelus perficeret. Sunt enim quemadmodum in fide, ita et in infidelitate aut perfidia gradus quidam. Nemo repente fit optimus: sic nemo repente fit pessimus. Sensim delabimur in praecipitium, si non vigilaverimus, si principiis non obstiterimus, si minora neglexerimus. Mox reducendus pes est e luto peccatorum, ne altius infigatur: illico reclamandum affectibus, ne nobis dominentur. Non dormit satan, nunquam cessat, sed obambulat ut leo rugiens, sicubi praedam nanciscatur, cui resistamus in fide, et fugiet a nobis. Fortis est dominus ut eripiat nos ex ore leonis, modo confestim ad eum toto corde confugerimus, et nos totos integra fide in eum conieccrimus. Caveamus ab esca et bolo quem obiicit versutissimus hostis, ne eo devorato aeternam noctem incidamus cum Iuda.

Quum ergo exisset, dixit Iesus: Nunc glorificatus est filius hominis, et deus glorificatus est per eum, et deus glorificabit eum per se, et continuo glorificabit eum. Filioli adhuc paulisper vobiscum sum. Quaeretis me, et sicut dixi Iudaeis: Quo ego vado, vos non potestis venire, ita et vobis dico nunc. Praeceptum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei sitis, si caritatem habueritis inter vos mutuam. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis? Respondit ei Iesus: Quo ego vado, non potes me nunc sequi, sequeris autem postea. Dicit ei Petrus: Domine, quare non possum te sequi nunc? Animam pro te ponam. Respondit Iesus: Animam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi: non canet gallus, donec ter me negaveris.

Post abitum proditoris Christus de glorificatione sua mentionem non sine gaudio et spiritus exultatione facit. Nunc glorificatus est

filius hominis. De futuro et imminenti tanquam de praeterito iam loquitur, ut videamus certitudinem divinae providentiae. Tempus iam adest quo novo modo filius hominis clarus reddatur, per mortem scilicet, crucem, resurrectionem, et ascensionem, et cetera quae sequuta sunt spiritus missionem, miracula, gentium conversionem etc. Hinc Paulus dicit in Epistola ad Romanos filium dei, qui genitus fuit ex semine Davidis secundum carnem, declaratum fuisse filium dei cum potentia, secundum spiritum sanctificationis, ex eo quod resurrexit e mortuis. Potentia autem haec resurrectionis, de qua et hic loquitur Christus, post paucos dies sequutura erat, quae scilicet non per angelum fiebat, aut aliquam creaturam, sed virtute patris, ut Paulus testatur ad Colos. 2. quum dicit: Qui excitavit illum etc. Ideo Christus dicit: Et deus glorificabit eum. Consolatur autem et hisce verbis discipulorum animos qui iam nonnihil turbati erant ob mortis mentionem. Quasi dicat: Tempus quidem est ut perficiam voluntatem patris mei, id est, ut moriar, sed haec mea mors gloria erit patri meo. Ne ergo sitis turbati. Videbitis, idque continuo, quanta gloria donaturus sit me pater. Docemur hisce verbis non dolere, si quae nobis ab impiis mala infliguntur, nam crux et mors piis maximam gloriam conciliant, quum nihil accidat piis, quod non bona patris voluntate destinatum sit, quod non sit eis gloriam ingentem allaturum. Deinde gloria dei per ea, quae nos ob nomen eius patimur, provehitur. Quis vero est, qui gloriam dei non exoptet vel damno et periculo suo promotam? Quum vero hypocritae e coetu fidelium exeunt, ecclesia maximo malo liberatur, ut merito exultent fideles, qui dei gloriam promotam cupiunt. Quandoquidem autem Christus tanta mala suis eventura supra praedixerat, periculumque illud quod ex falsis fratribus essent accepturi, quorum typus in Iuda praecessit, indicarat, interim consolatur eos et animat, ne animis concidant, aut consternentur. Docens qua re consistere et tuti esse possint contra omnia imminentia mala, nempe concordia et mutua inter se caritate. Quasi dicat: Utcunque incidant variae tempestates, utcunque in vos fremant impii, vos unum hoc curate, quod inprimis vobis mando, ut ardenti caritate inter vos sitis devincti. Sic enim firmi stabitis contra menos hostium insultus. Hoc vinculo si fueritis colligati, nemo vobis nocere poterit. Hoc certissimum erit signum, vos esse discipulos meos, si praeceptoris vestri in vobis dilectionem deprehendent. Gloriatio carnis et praesumptio cernitur in Petro, quae ut eximeretur, dominus cadere eum sinit, ut sese discat agnoscere, et in timore postea ac modestia vivat. Interim tamen observanda dei caritas, quae nos non omnino propter infirmitatem nostram reiicit, sed stultitiam nostram boni consulit, et in bonum vertit. Quae Ioannes iam habet a capite 14. usque in caput 18. consulto omisimus, ne liber in immensum excresceret, et quod in Ioannem haec exposuimus. Qui ergo haec desiderat, in Ioanne ea legat, et huc applicet.

Quum haec loquutus esset Iesus, egressus est iuxta consuetudinem suam cum discipulis suis trans torrentem Cedron, in montem scilicet Olivarum, ubi erat ortus in quem introivit ipse et

discipuli eius. Noverat autem et Iudas qui prodebat eum, locum, quia frequenter Iesus convenerat illuc cum discipulis suis. Et quum pervenisset ad locum cuius nomen Gethsemani, dixit illis: Sedete hic, donec digressus oravero. Et assumit Petrum, et Iacobum, et Ioannem secum, coepitque expavescere et angi, et dicit illis: Dolore afficitur anima mea usque ad mortem, manete hic et vigilate mecum, orate ne intretis in tentationem, et progressus paululum, avulsus ab eis ferme ad iactum lapidis, procidit in terram, prostratusque positis genibus orabat, dicens: Abba pater, omnia possibilia sunt tibi, si possibile est transfer a me poculum hoc, veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.

Armaverat Christus discipulos suos contra futuras persequutiones, docueratque quibus gladiis eas essent excepturi, nempe, utriusque testamenti cognitione, et gladio spiritus qui est verbum dei, gladio ancipiti et utrinque scindente et usque in interiora penetrante. Deinde ne quid de cura et bonitate eius diffiderent admonuerat, quo protegente tuti sint futuri, quemadmodum et antea semper: utcunque enim corpore sit abiturus, non tamen ipsum relicturum esse eos unquam, quin adesse velit spiritu suo usque ad mundi finem. Porro affectus quoque eis eximere voluit, quibus natura est vitiata, ut toti penderent ab ipso, mundo renunciantes, coelestibus essent intenti. Iam in sese exemplar proponit, quo animo, qua constantia crux piis omnibus excipienda sit: morti obviam egreditur, ut ostendat se non invite, sed sponte et ex caritate mori, non dissimulans interim infirmitatem et timorem suum, ne nos desperemus, si quando caro nostra imminentibus tentationibus et periculis terreatur, dolore tangatur, aut adversa horreat, modo ne turpiter fugiamus et deficiamus. Cadit quidem et in pios ac constantes homines metus aliquis carnis; at dei metus qui est in illis, et fides in deum, carnis metum excutit ac vincit. Hoc in Christo clare videmus, qui ut nostri causa in se infirmitatem carnis suscepit fratribus per omnia similis factus, ita non pudet eum metum suum et dolorem discipulis suis fateri. Ut semper haberemus consolationem in omni tentatione, sciremusque deum nos propter infirmitatem carnis nos non reiecturum esse, modo ad eum toto corde et integra fide confugerimus. Nobis enim dolet, nobis moestus est, nobis ad patrem orat, ut in eo discamus quid nobis in periculis faciendum, et quo confugiendum. Ostendit se verum hominem esse, qui mortis sensu tangatur, interim tamen se totum voluntati patris consecrat, cuius voluntati voluntatem suam subiicit. Hoc idem faciendum nobis quum tempestates ingruunt, agnoscamus nostram imbecillitatem, nihil tribuamus viribus nostris, ne nobis fidamus, interim non desperemus, utcunque saeviat daemon, caro, mundus, utcunque premat et urgeat hostis. Procidamus coram pientissimo patre nostro, imploremus opem eius, nostris affectibus abnegatis totos nos ei consecremus, in eum nos totos coniiciamus. Placuit patri nostro coelesti, ut infirmitas haec in carne nostra hic maneret, ut multis et variis afflictionibus ac pressuris essemus expositi, obiectique periculis undique ingruentibus, non secus ac dum oves inter lupos extruduntur, ut scilicet

caro nostra contumax aliquo saltem modo coerceretur, atque ut equus ferox et indomitus frenis quibusdam cohiberetur, ut discceremus in humilitate et timore domini semper versari, et mundi pressuris exagitati respicere in eum in quo solo pacem habemus. Agnoscamus ergo in omni afflictione et tentatione optimam patris nostri voluntatem, qui nos per aquam et ignem ducit, sed in refrigerium, qui in fornace tentationum scoriam nostram excoquit, ut fiamus pura vasa ad gloriam eius et nominis sui sanctificationem. Expendamus fructum qui hinc nobis provenit hic et in futuro saeculo. Et quod pater noster semper nobis adest, nec sinit nos tentari supra vires nostras, quin cum tentatione simul eventum ostendit, aut fortitudinem et constantiam conferendo in pugna, et imbecillitatem nostram confortando, aut certe ex malis et periculis eruendo et liberando. Convenit omnino, ut nobis ipsis abnegatis, totos nos eius voluntati sacrificemus et consecremus. Sine cruce esse omnino, non prodest nobis: ducit ergo nos optimus pater, inter metum et spem, et crucem nobis imponit, ne pro nostra libidine feramur, sed Christum filium eius caput nostrum sequamur. In hisce autem omnibus saepe animi nostri pro carnis imbecillitate moerent, dolent, et impatientia exagitantur, sed interim fides sustinet hanc carnis infirmitatem, ne omnino concidat aut deficiat, et virtus dei in nostra infirmitate clarius se exerit, dum nobis praebita manu erigit et suffulcit. Docet praeterea Christus, qua animi et corporis submissione, quo ardore, quoque corporis etiam habitu orandum sit, quis locus aptus et commodus orationi, ad quem dirigenda oratio, et qualiter fieri debeat, quando orandum etc. Licet enim omni tempore piorum mens in deum intenta esse debeat, maxime tamen, quum hostis ingruit, ne in agone concidant. Quoque magis angimur et vexamur, hoc ardentius precibus est insistendum. Et quum oratio sit serium fidelis pectoris cum deo colloquium, locus huic rei commodus eligatur, qui turbis et strepitu omni careat, ne quid sit quod hominem vel tantillum disturbet aut a deo avocet, ut mens indivulse deo haerere possit. Quanta vero submissione coram divina maiestate et throno gratiae homo mortalis apparere debeat, Christus corporis prostratione et genuum flexione satis indicat. Ardens vero oratio non manus solum, sed et oculos et cor in deum extollit, in montes videlicet unde venit auxilium. Deinde non lacrymas modo oculis, sed et sanguinis guttas e corpore exprimit seria et devota oratio, ut in trepidatione Christi cernere est. Discimus ergo in capite nostro, quum tentationes ingruunt, de auxilio divino nequaquam desperare; et si quando acedia quaedam aut impatientia animos nostros subit, non concidere, sed potius certa fide ad deum accurrere, et huic causam nostram proponere, eum rogare ut in tentatione exitum ostendat, et spiritu suo nostram imbecillitatem fulciat.

Venit itaque Iesus iterum ad discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dixit Petro: Simon dormis? an non potuistis una hora mecum vigilare? Vigilate et orate, ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

Ostenditur hic qualiter se fragilitas carnis gerat erga immensam et

ineffabilem Christi gratiam, quam simus ingrati tantis beneficiis. Christus orat et sanguinem sudat, totus in promovenda suorum salute. Ipsi vero dormiunt securi, obliti egregiae istius pollicitationis, quam fecerant antea. Submonet ergo eos Christus, ut discant sese agnoscere, et pro robore ad deum accurrere. Saepe voluntas nostra prona est, et impetu subito erumpit, at in praestando segnes admodum sumus. Christus ergo, qui nos intus et in cute novit, modestiam docet, et omnem temeritatem a nobis pellit. Docet nos ut memores fragilitatis nostrae, ardentes simus in oratione ad patrem, sine quo nihil, in quo omnia possumus; ne carni nimium indulgeamus, ne nostris viribus aliquid arrogemus. Oportet semper stare accinctum in statione fideles, non dormit satan, ergo nec nobis est dormiendum sed vigilandum, et fortiter resistendum. Tempus adhuc est pugnae, omnia periculis et insidiis plena, non ergo stertendum, sed ardenti fide, et fideli oratione vigilandum et pugnandum. Docet interim Christus ut finito colloquio cum deo, proximorum habeamus rationem, et maxime infirmorum, ut eos adhortemur et excitemus. A fide in caritatem est reditus, et a caritate in fidem rursus est circulus, nec enim iisdem negotiis semper est homo occupatus, sunt rerum vicissitudines. Haec oratio: Orate ne intretis in tentationem, bifariam exponitur, aut quod oratione fideli tentatio vincatur. Quo magis oratis, hoc minus tentamini: aut quod orandum sit ne dominus inducat in tentationem, ut Matth. 6. in dominica oratione. Spiritus fidelium spiritu dei imbutus promptus est, at caro adhuc infirmitatem habet adiunctam quae renititur spiritui: reperit enim fidelis aliam legem in membris suis repugnantem legi spiritus, utcunque delectetur homo interior lege dei. Quasi dicat: Multa estis polliciti, sed parum praestatis.

Et rursus digressus orabat eundem sermonem: Pater mi, si hoc poculum a me transire non potest quin illud bibam, fiat voluntas tua. Et reversus reperit eos dormientes, erant enim oculi eorum gravati, neque sciebant quid illi responderent. Et relictis illis abiit iterum, et oravit tertio eundem sermonem, dicens: Pater si vis transfer a me calicem istum, at non mea, sed tua voluntas fiat. Apparuit autem ei angelus de coelo, confortans eum. Et correptus labore prolixius orabat, et erat sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentes in terram. Et quum surrexisset a deprecatione, venissetque ad discipulos suos, reperit eos dormientes prae moestitudine, et ait illis: Quid? dormitis? Dormite iam et requiescite. Sufficit, surgite, vigilate, et orate ne intretis in tentationem. Ecce hora appropinquat, et filius hominis prodetur, et tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus, ecce, qui me prodit appropinquat.

Ante omnia caritatem Christi expendamus, qui nos in mortem usque diligit, sollicitus pro suorum salute, a quibus tamen parum gratitudinis recipit. Suscepit in se quidquid est adversum carni, fratribus per omnia similis absque peccato. In gravissimis vero periculis ad patrem semper accurrit, hunc unum implorat, ab hoc consolationem exspectat. Nec interim obliviscitur suorum, qui infirmi et imbecilles

laborabant, quos revisit, consolatur et confirmat. Agnoscamus nos nihil habere, quam fragilitatem et peccata! haec patri nostro proponamus, petamus ab eo auxilium: nam in hoc tentat nos, ut ad ipsum accurramus, et totos nos in eum conjiciamus, indubie ab eo opem exspectantes. Quemadmodum enim filio adfuit, et angelum ei confortantem misit: sic semper aderit nobis, modo eius auxilium imploremus, et nusquam ab eo deficiamus. Quid valeat repetita indefessa et ardens oratio apud deum, facile exemplo Christi discimus. Semper ergo piis orandum et vigilandum, ut imminentes tentationes vincamus, et futuras caveamus. Dormite iam et requiescite, aut Sarcasmos est, aut quaedam paterna indulgentia erga infirmos.

Iudas ergo quum accepisset cohortem, et a pontificibus ac pharisaeis ministros, venit illuc cum laternis ac facibus et armis: adhuc eo loquente, inquam, Iudas Iscariotes unus ex duodecim venit, et cum eo turba magna cum gladiis ac fustibus, missi a principibus sacerdotum, et senioribus populi, et scribis. Iudas autem antecedebat eos, et is dederat eis signum, dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est. Tenete ac comprehendite eum, ac ducite caute. Quum ergo Iudas appropinquasset Iesu, ut oscularetur eum, dixit: Ave Rabbi, et osculatus est eum. Iesus autem dixit ei: Amice, ad quid venisti? o Iuda, osculone prodis filium hominis? Iesus itaque sciens omnia, quae ventura erant super se, processit et dixit eis: Quem quaeritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit eis: Ego sum. Stabat autem et Iudas qui prodebat ipsum cum eis. Ut ergo dixit: Ego sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogavit eos: Quem quaeritis? Illi autem dixerunt: Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: Dixi vobis quod ego sum; si ergo me quaeritis, sinite hos abire, ut compleretur sermo quem dixerat: Ex iis quos dedisti mihi non perdidi quenquam.

Post ardentem illam orationem, qua ut imminens periculum deprecatus fuit, ita se totum in voluntatem patris, sua abnegata, coniecit, obedientiam ac constantiam suam in aggrediendo hostes ostendit, idque volens et prompto animo, ut Esaias praedixerat: nemo enim ei animam suam eripere potuisset, si ipse non volens eam posuisset. Discamus et nos a capite nostro, post orationem qua nos patri committimus, et opem eius postulamus, fortiter pugnare et summa cum tolerantia in pugna perseverare, nihil dubitantes patrem nostrum nobis filiis suis adfuturum, quemadmodum filio suo adfuit, hoc cogitantes: Non esse in manu hostium ut nos opprimant, quum ipsis visum est, sed tum demum, quum pater noster voluerit, qui curam nostri gerit. Nec enim nocere nobis hostis quicquam poterit, donec deus hoc ei permittat, quod in Iobis tentatione clarum fit, manifestius autem in Christo et discipulis suis. Quoties enim eum neci dare voluerunt? sed ante horam a patre destinatam, nihil iuris in eum obtinere poterant. Et quum Christum caperent, discipulis tamen manus inferre non licuit, pro quibus

Christus curam gerens iussit, ut incolumes abire sinerent. Quod si patri nostro visum fuerit ut nos filii sui cruciatus participes faciat, expendamus caritatem eius et benevolentiam erga nos, qui proprio filio suo non pepercit, sed in mortem eum dedit pro nobis. Cur ergo recusaremus pro gloria eius pati et affligi? Quin gratias agamus patri, qui nos cum filio suo variis tentationibus et afflictionibus obiicit. Si enim mortis et passionis eius fuerimus participes, et resurrectionis erimus: si compatimur, et conregnabimus. Hoc sit nobis certo persuasum, patrem nostrum sic nos amare, ut nihil nobis accidere sinat, quod non sit ad suam gloriam, et nostram salutem facturum, nihil nobis accidere absque eius voluntate, cui refragari et obstrepere turpissimum nobis fuerit, qui filii dei nominamur et sumus. Nec solum fortiter aggredi, et pericula ob Christum illata excipere debemus, sed etiam alacriter, cum mansuetudine, humilitate, obedientia, tolerantia et summa caritate. Observandum hoc in Christo, qui non uti voluit potestate sua, qua hostes adventantes perdere poterat, sed summa cum mansuetudine et caritate illos excipit, patri obediens usque ad mortem. Sic et nos iuri nostro cedamus, nec resistamus malo, sed vincamus bono malum. Pectus nostrum armatum sit patientia, ardeat caritate, et praeditum sit mansuetudine, ut in patientia nostra animas nostras possideamus. Quam amanter excipit proditorem? quam blande alloquitur eum et compellat amicum? quam comiter osculo eum dignatur? quam dulciter proditorium animum a proposito ad poenitentiam invitat? In Iudae exemplo, praeter haec quae superius dicta sunt, divinum iudicium expendamus, et discamus humiliter de nobis sentire, cum magno timore et tremore coram deo versari. Qui enim stat, inquit Paulus, videat ne cadat. Nihil tutum a casu, nihil ex omni parte beatum: quum tantus Christi discipulus labitur, quis sibi fidere posthac poterit? Caveamus ab hypocrisi, ne inter oves Christi lupi simus, et falsi fratres in coetu piorum. Nihil deo magis adversum quam hypocrisis et insinceritas, nihil magis nos a deo abalienat quam rerum cupiditas. Ne ergo a gratia dei deficiamus, ne a tanta dignitate filiorum dei relabamur, ne deseramus nostri aggregationem. Quam turpe enim fuerit, deciscere a deo vivente, a patre tam amantissimo, a tanto benefactore excidere, et sese iungere satellitio daemonis, atque ad hostem Christi transfugere? Ah quanta ingratitudo, sanguine Christi lotos, et spiritu dei sanctificatos, commercium inire cum impiis et sceleratis, et ex filiis dei fieri servos satanae? Quod cum armis veniunt, typum praeferunt in hoc eorum qui violentia non veritate fulti pugnare volunt contra veritatem.

Tunc accesserunt, et manus iniecerunt in Iesum, et ceperunt eum. Videntes autem, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, percutimusne gladio? Respondens autem Iesus, ait: Sinite huc usque. Et ecce unus ex his qui cum ipso erant Simon Petrus, extendens manum, exemit gladium suum, et percutiens servum principis sacerdotum, amputavit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen servo Malchus. Tunc ait Iesus Petro: Repone gladium tuum in vaginam! An non vis ut

poculum bibam, quod dedit mihi pater? Converte igitur gladium in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas quod non possim rogare nunc patrem meum, et exhibebit mihi plus quam duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implerentur scripturae? oportet sic fieri. Et quum Iesus tetigisset auriculam eius, sanavit eam.

Caro in adversis non ad deum, sed ad arma sua confugere solet, hoc taxat Christus in Petro. Quasi dicat: Non armis iam, sed tolerantia et mansuetudine pugnandum. Non est tempus ut hostem iam feriamus ense, sed voluntati dei obtemperemus. Si armis esset opus et copiis, possem subito ingentes et infinitas habere cohortes a patre meo paratas ad praesidium meum. Ego quidem non hic sum, nec huc veni, ut gladio pugnem, sed ut morte mea vos redimam, et exemplum patientiae vobis praeferam. Hisce verbis Christus nos patientiam docet, ut in privatis rebus si quis nos laesit, non nos ipsos vindicemus, sed toleranter et aequo animo illatas iniurias feramus: non tamen adimit magistratui gladium, qui hoc iuxta leges ferit, ad defensionem bonorum, et malorum excidium. Dicit enim: Qui acceperit gladium, intellige, sua sponte, temere, pravo affectu commotus. Magistratus non sic accipit gladium, sed deo tradente et committente accipit, et accipit eum, ut eo iuste et iuxta voluntatem dei utatur, feriatque cum eo nocentes, quoties opus est, hoc est, quoties dei gloria et salus piorum hoc requirit. Magistratus dum gladio legitime utitur, non ipse ferit, sed deus per ipsum. Utitur enim magistratu deus ut ministro suo. Omnia tempus suum habent, certis hominibus certa officia sunt definita, ut non sit cuiusvis gladium arripere et ferire, neque omni tempore. Tempus illud erat, quo ostensurus erat Christus maximam erga genus humanum caritatem, quo se servatorem orbis declarare, quo se deiicere, et omnibus malis exponere voluit, non quo usurus erat potentia et iustissimo iudicio suo. Zelum ergo Petri ardentem quidem, sed non secundum deum directum cohibet ac compescit Christus, ostendens se non venisse ut laedat aut noceat, sed ut servet, et ut obediat paternae voluntati in omnibus. Capitur Iesus, ut nos liberemur: ligatur, ut nos vinculis peccatorum explicemur: venditur impiis, ut nos venundati sub peccatum, in libertatem filiorum dei asseramur. Hoc Christi exemplum semper oculis nostris obversetur, profundeque pectoribus nostris infigatur, ut discamus collum nostrum contumax, et cervicem nostram praefractam sub iugum Christi submittere, ne detrectemus vincula divinae legis, libenter serviamus deo et proximo, ne simus contentiosi, praefracti, contumaces et vindictae cupidi, sed incedamus in humilitate, obedientia ac animi submissione, tanquam oves occisioni et neci destinatae.

In illa hora dixit Iesus turbis, et his qui ad se venerant principibus sacerdotum ac magistratibus templi et senioribus: Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus ad me comprehendendum: quotidie apud vos sedebam in templo docens, et non comprehendistis me: sed haec est hora illa vestra, et potestas tenebrarum. Hoc autem totum factum est, ut complerentur scripturae

prophetarum. Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. Et unus quispiam adolescentulus sequebatur illum, circumamictus sindone super nudum, et comprehenderunt illum adolescentuli. Ille vero relicta sindone, nudus effugit ab illis.

Christus ut paratus est omnia ferre, quae isti inferre cogitarunt: ita non cessat eos a praecepta malitia revocare, nec probat eorum institutum, utcunque aequo animo ferat. Simul ostendens quam nihil potestatis in eum haberent si ipse noluisset. Quasi dicat: An non intelligitis vos nihil adversum me posse, quum quotidie vobiscum sim versatus, nec tamen me comprehendistis, etiam cum aliquando tentaretis. Iam noctem ad hoc elegistis, nec immerito: estis enim tenebriones et filii tenebrarum, princeps tenebrarum vos captivos ducit et exagitat, ut me et discipulos persequamini, et hoc iamdudum a prophetis praedictum est. Ita oportet nos ferre malorum insultus, idque cum summa animi mansuetudine ac tolerantia, nec vindicem manum exerere, sed interim impiis scelera sua sic ob oculos ponere, ut intelligant quantum peccent in deum et nos, si quo modo eos a concepta malitia revocare, et domino lucrifacere possimus, aut saltem, ut eripiamus illis occasionem omnem peccata sua excusandi.

Cohors autem et tribunus ac ministri Iudaeorum comprehenderunt Iesum et ligaverunt eum, et abduxerunt eum ad Annam primum: erat enim socer Caiaphae, qui erat Pontifex illius anni. Erat autem Caiaphas is, qui consilium dederat Iudaeis, quod expediret unum hominem mori pro populo. Annas vero misit eum vinctum ad Caiapham Pontificem summum. Illi ergo comprehensum Iesum duxerunt ad Caiapham principem sacerdotum, ubi scribae, summi sacerdotes, et seniores convenerant.

Lucas Evangelista dicit: Duxerunt et induxerunt eum, idque (ut videtur) non sine Emphasi. Quasi dicat: Duxerunt eum, qui omnes sanaverat, qui omnia continebat et ducebat, qui si eos non duxisset, omnes interiissent. Lucas et ceteri Annae domum omittunt, cuius Ioannes diserte meminit: sed nihil omissum est ab Evangelistis, quod ad historiae veritatem pertinet. Videtur autem interrogationem de discipulis et doctrina Christi factam esse in domo Caiaphae, non Annae. Nam quod ad Annam ducitur obiter fit in itinere honorisque gratia. Ceterum inquisitio de doctrina et discipulis ad Caiapham pertinebat, illius anni summum Pontificem. Mox ergo amandavit eum Annas ad generum suum, qui tum erat in officio. Et Petri negationes omnes in atrio Pontificis factas esse iudico, quod ex serie historiae Ioannis aliorumque, si expendantur, facile fuerit colligere. Ioannes obiter Annae meminit, deinde ad Caiapham revertitur. Quod dum non animadvertitur, videri poterat haec omnia in domo Annae gesta esse, quae tamen alii tres in domo Caiaphae gesta esse commemorant. Erat autem Caiaphas. Egressio est ad personae descriptionem. Caiaphae consilium, quod clarius ponitur Ioan. 11. sic ab eo proponitur, ac si futurum esset reipublicae salutare, quum tamen is animo in necem Christi intenderet. Quod veritatem loquebatur, ex spiritu sancto erat. At ipse dolo et

invidia hoc loquebatur: nam hanc vocem amaritudo animi ei expressit. Interim ornat invidiam suam, et publicam salutem dolo praetexit. Utitur autem verbis quae apud sui similes multum ponderis habebant. Videbant indies suam autoritatem minui sacerdotes, Christo haerere plures, metuunt ergo rebus suis. Hoc ergo argumento utitur Caiaphas, et hunc arietem adhibet, quibus maxime illorum corda permovere poterat. Quid cunctamini, inquit? an non videtis collabi nostram autoritatem, idque per hominem istum? Si salvum esse vultis statum vestrum, tollite hunc. Ignavi estis et cunctatores, quod tandem in vestrum exitium verget etc. Is ergo primus autor est mortis Christi, ceterosque ad conceptum scelus animat; apta ergo domus eius ad impiorum concilium. Aptemus haec nostris temporibus, et discamus discernere inter bonum civem, fidelem senatorem, et proditorem ac perfidum. Qui proditorios habent animos, semper reipublicae salutem consiliis suis praetexunt, quum exitium omnibus bonis moliantur. Atque in illorum domibus noctuae convolant, ubi libere loqui audent. Huiusmodi conventicula, concursationes et conspirationes in urbibus, certissimae causae sunt interitus reipublicae, quod cuique vel mediocriter in historiis versato facillimum erit iudicare. Quod si vos, o Quirites, haec ignoratis, nimium imprudentes, et rerum inexperti estis. Si vero novistis haec, nec cavetis ac non punitis, nimium iniusti, iniqui, et patriae osores. Contra hos dum sic clamamus, non in hoc tantum clamamus ut in eos animadvertatis (quia ut metuo frustra), sed quod hoc nostri est officii. Quandoquidem certo praevidemus fore, ut huiusmodi homines perdituri sint rempublicam, monere opus est, ne simus speculatores caeci, et muti canes.

Petrus autem sequebatur eum procul usque in atrium principis sacerdotum. Sequebatur autem et alius discipulus, qui notus erat summo pontifici, qui cum Iesu ingrediebatur in domum summi pontificis. Petrus autem stabat foris ad ostium. Exivit ergo discipulus ille alter, qui erat notus pontifici, et loquutus est ostiariae, et introduxit Petrum. Et ingressus Petrus intro sedebat cum ministris, ut videret finem. Quum autem accendissent ignem in medio aulae, atque una consedissent, sedit et Petrus inter illos, et calefiebat ad lumen. Stabant autem servi et ministri, qui prunas congesserant, quia frigus erat, et calefaciebant se. Erat autem cum eis et Petrus stans et calefaciens se. Quem cum vidisset ancilla quaedam summi pontificis ostiaria sedentem ad lumen, defixis in illum oculis, dixit: Et tu cum Iesu Galilaeo eras? Tum alius quispiam dixit: Et hic cum illo erat. At Petrus coram omnibus negavit, et dixit: Mulier, non novi eum, neque scio quid dicas. Et exivit foras in vestibulum, et gallus cecinit. Et videns eum alia ancilla, et ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Iesu Nazareno. Et iterum negavit cum iureiurando, dicens: Non novi hominem. Et intervallo interiecto fere unius horae, viderunt eum alii qui illic astabant, et dixerunt: Profecto et tu

ex illis es, nam Galilaeus es, et loquela tua te manifestum facit. Tum dixit unus ex servis summi pontificis, cognatus eius cui Petrus aurem absciderat: An non te vidi in horto cum illo? Tunc coepit detestari et iurare, quod non nosset hominem. Et continuo adhuc illo loquente cecinit gallus. Et conversus dominus intuitus est Petrum. Et recordatus est Petrus verbi quod dixerat Iesus ad eum: Priusquam gallus bis cecinerit, ter me negabis. Et egressus Petrus foras, flevit amare.

Discimus hic humanam inconstantiam et mutabilitatem. Sed hanc relinquit dominus in nobis, ne quid nobis arrogemus, ut post casum alacriores resurgamus, et cautiores simus, ut discamus toti a deo pendere, viribus nostris nihil fidere. Haec exempla in hoc eduntur, ut vel stantes casum formidemus ac caveamus, aut post casum ne desperemus, sed cum Petro reversi peccata nostra defleamus. Novit dominus lapsibus suorum uti ad suam gloriam. Si peccavimus cum Petro, cum Petro resipiscamus, et amare fleamus. Nam electi post casum admoniti mox resurgunt, non gloriantur in peccatis, non exultant cum malefecerunt, non contemnunt divinam admonitionem. Quod Christus Petrum in peccatorum medio respicit, docet, deum non oblivisci suorum, sed foris et intus monere. Observemus etiam gradus qui sunt in peccatis, et qualiter Petrus ex alia in aliam negationem cadat, ac se gravius semper immergat. Tanti refert nullum habere commercium cum impiis et malis hominibus. Cito referamus pedem, si in huiusmodi homines inciderimus. Principiis est obstandum, nec diutius haerendum in coetu peccatorum. Nam si moram apud illos traxerimus, non potest hoc fieri absque ingenti salutis nostrae et innocentiae dispendio. Petrus tacet partim, partim negat, non ex perfidia quidem, sed ex imbecillitate et timore. Nam fides eius non omnino extincta fuit. Similes Petro sunt qui aequum et iustum norunt, prodire tamen et hoc promovere non audent, quum est opus. Illis verbum Christi expendendum est, ubi dicit: Quem mei puduerit coram prava ista generatione, huius et me pudebit coram patre meo. Et haec intelligamus, dum gloria dei et salus proximi postulat. Fieri enim posset ut aliquando praestaret tacere et dissimulare. Rursus locus est, ubi dissimulare sit Christum cum Iuda prodere. Scriptura cum sanctorum casus nobis proponit, non docet peierare, negareque, sed si quis in ista ex timore aliquo cecidisset, hunc potius consolatur, et ad poenitentiam invitat, dum sinum misericordiae divinae apertum ostendit magnis peccatoribus. Cantu galli, qui naturalis est, Christus non solum pro signo negationis Petri utitur, sed etiam simul hoc cantu admonet Petrum ut resipiscat. Videmus in re tam minuta dei providentiam minime cessare: ostenditur praeterea creaturas instrumenta esse divinae gratiae et virtutis. Gallus nihil scit de Petro, sed fertur natura sua et canit. At deus scit, imo destinavit eum ad hoc. Observemus et hoc, multum interesse inter eos, qui ex infirmitate et metu, et inter eos qui ex destinata malitia peccant. Peccatum infirmorum non est ad mortem, peccatum vero impiorum in spiritum sanctum committitur, adeoque irremissibile est. Qui cadunt

aut labuntur vel gravissime, post casum vero admoniti resipiscunt, seque peccatis explicant, relinquunt impietatem et impios, plorant, ac signa verae resipiscentiae ostendunt, hos electos et pios esse, et ex infirmitate peccasse constat. Non consistunt diutius in coeno peccatorum, mox ut sese recipiunt, pedem in viam iustitiae referunt, ad divinam misericordiam pro venia accurrunt, redduntur humiliores, cautiores et diligentiores. Qui vero admonitiones piorum contemnunt, nec post casum ad asylum divinae gratiae recurrunt, sed gaudent et gloriantur in peccatis, flagitia flagitiis addentes, nec ulla ratione revocari possunt, inter impios et hostes veritatis non solum versantur, sed duces se et imperatores contra veritatem praebent, huiusmodi impios esse et ex destinata malitia peccasse manifestum fit. Utriusque exempla in Davide et Petro, in Saulo et Iuda cernere licet.

Summus pontifex interrogabat Iesum de discipulis suis, et de doctrina ipsius. Respondit ei Iesus: Ego palam loquutus sum mundo, ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Iudaei conveniunt, et in occulto loquutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos; qui audierunt, quid loquutus sim eis, ecce hi sciunt quid dixerim ego. Haec autem quum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Siccine respondes pontifici? Respondit ei Iesus, si male loquutus sum, testare de malo: sin bene, cur me caedis?

In responsione sua Christus docet qua libertate verbi divini praeco loqui coram magistratu et ecclesia debeat dum interrogatur et gloria dei hoc requirit. Dicit ergo: Nihil in occulto loquutus sum, id est non dixi quidquam quod voluerim esse occultum, aut cuius me pudeat. Doctrina mea ex deo est, vera et sincera: omnibus ergo eam proposui quae omnium interest, et quae omnibus est salutaris. Deinde non quaesivi latibulum aliquod, sed in loco publico ubi populus convenit praedicavi. Ad pastorem ergo et verbi ministrum pertinet, ut sinceram dei doctrinam libere et publice populo proponat, in vitia libere et graviter invehat, ut vel pudore deterreantur, qui amore iustitiae non moventur, ut vel recta faciant vel mala omittant. Ad eum enim pertinet, ut dum opus est scelera magna autoritate taxet. Nam qui tum dissimulat aut negat, sive metu id fiat, sive ex alio affectu, Petri peccatum incurrit. Non satis est fidem corde servare, et dum locus postulat, ore negare: alioqui quid peccasset Petrus? Sic Paulus dicit: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Deinde reiicit iudicium et testimonium in audientes, ubi indicat, audientium esse iudicium et testimonium, si quid quaestionis de doctrina inciderit, nec unum aut alterum contra episcopum esse audiendum, sed totam ecclesiam. Quaerat quis, cur Christus non alteram percutientibus praebuerit maxillam, quod tamen ipse antea docuerat? Hic videmus verba Christi non ad externam quandam speciem et hypocrisim esse trahenda, sed ad animi praeparationem. Hoc denique magnum est et sublime, sic paratum esse animum, ut non solum unam aut alteram, sed maiores iniurias perferre velit, modo gloriam dei promoveat, et proximo utili-

tatem aliquam afferat. Hoc si non fuerit, praestat praeponere minus maiori. Hic ergo non expediit praebere alteram, quum hac re nihil aliud effecisset, quam ut ansam dedisset maiori iniuriae. Omnia ad aedificationem fieri a credentibus debent. Quid vero in nebulone isto spei reliquum fuit? quid a pontifice exspectandum iniquissimo? qui contra ius et leges vinctum et non convictum ferire aut iubet aut permittit? Idque in eo loco ubi innocentibus est asylum quaerendum. Est ergo locus ubi patienter ferre debemus, est contra locus ubi malitiae et impietati in mortem usque est repugnandum. Caritas haec docebit, et modum praescribet in omnibus. Fidelis spiritus dictat ubi parcendum, ubi feriendum, ubi resistendum. Fuit ergo iniquus hic servus graviter obiurgandus a Christo, ut iniquitatem suam agnosceret, nec tamen Christus a caritate vel tolerantia pilum latum usquam discedit, quin fortiter iniuriam ferat illatam, graviorem ferre paratus. Breviter sic ferenda sunt omnia, ut Christi gloria et veritas asseratur, et nostra constantia appareat.

Principes autem sacerdotum et seniores, et totum concilium quaerebant falsum testimonium contra Iesum, ut morti eum traderent, et non inveniebant. Etiam quum multi falsi testes accessissent, non inveniebant, nam multi falsum testimonium dixerant adversus illum, nec erant satis idonea. Novissime autem venerunt duo falsi testes, et dixerunt: Nos audivimus eum dicentem: Ego diruam templum hoc quod manibus factum est, et tribus diebus aliud sine manibus factum exstruam, et nec sic quidem satis idonea erant testimonia illorum. Et surgens summus sacerdos in medium, et interrogabat Iesum dicens: Non respondes quidquam? quid isti adversum te dicunt testimonia? Iesus autem tacebat, nec quidquam respondebat. Rursum summus sacerdos interrogavit, et dicit illi: Adiuro te per deum vivum, ut dicas nobis, an tu sis Christus filius dei? Dicit illi Iesus: Tu dixisti, ego sum. Veruntamen dico vobis: A modo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis et venientem in nubibus coeli. Tunc princeps sacerdotum discidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit, quid insuper egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam eius, quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis. Et viri qui tenebant Iesum, illudebant ei, caedentes eum. Et expuerunt in faciem eius, et obvelabant faciem eius, percutiebant faciem eius, et colaphis eum ceciderunt. Alii palmas in faciem eius impegerunt, dicentes: Vaticinare nobis Christe, quis est qui te percussit? Et alia multa convitiantes dicebant in eum.

De falso testimonio hic locus esset dicendi, sed brevitati studentes, hoc unum admonemus iudices, ut diligenter hoc cogitent, si contra Christum insurgunt testes iniqui, cuius tamen vita et doctrina accusari nullo pacto potuit, quid nobis sperandum? Aequitatem ergo observent, non sequantur affectus. Detorquent impii verba Christi, et haec calumnia

pars est falsi testimonii, quum verba aut sermonem alicuius aut pervertimus, aut aliter quam ipse loquutus est, citamus, aut aliter interpretamur ac ipse dixit aut sensit. Christus de templo corporis sui dixerat, ipsi ad templum materiale detorquent. Quemadmodum olim in templo fiebant sacrificia, placationes et mundationes per hostias: sic Christus factus est hostia pro peccatis nostris in cruce, expians et sanctificans nos. Quod Iesus ad falsa testimonia tacet, non tam mansuetudinis est, quam prudentiae. Hoc exemplum sequi debent quicunque falsis testimoniis opprimuntur, maxime apud eum iudicem apud quem iniqui testes in pretio sunt et fidem obtinent. Quum enim nullae responsiones aut excusationes aliquid valebunt, silere tutissimum fuerit. Adiuro te, ut dicas mihi, sisne filius dei? Ex hac interrogatione liquet, confessum et notissimum fuisse tum inter Iudaeos Messiam fore filium dei. At illi captiosam interrogationem instituunt, ut responsionem cavillari et calumniari possint, hoc est ut eum in sermone capiant et illaqueent, ut qui se filium dei fecerit; morte ergo dignum esse idque iuxta legem. Sic hodie pontificii a ministris verbi extorquent, quid de doctrina ista nova (quam vocant) sentiant: qui si veritatem responderint, mox ad supplicium rapiuntur: si tacent, veritatem produnt. Hypocritae ergo sic quaerunt veritatem ut agnitam persequantur, et confitentem occidant. A modo videbitis etc. Haec admonitio est mansueta et salutaris. Quasi diceret: Videtis quidem me iam humilem et quasi fabri filium. Ne mea hac humilitate offendamini! iam enim tempus est humilitatis, non ostendo iam gloriam et potentiam meam, sed olim videbitis qualis fuerim. Reus est mortis. Hoc ad suos complices loquitur pontifex, qui ei similes erant, osores scilicet Christi. Blasphemavit (inquit), quid ultra opus testibus? Simulant se ac si gloria dei ipsis curae esset, quum tamen animus eorum impius et insincerus sit. Sic hodie dicunt: Probro affecit divam virginem, polluit sacramenta, haereticus ergo est, quid opus testibus? Sic inquam contra praecones evangelii hodie queritantur, et honorem dei ac divae virginis praetexunt, quum odio tantum flagrent in veritatem, et sua duntaxat quaerant. Nam fieri non potest, ut haec ex corde dicant, et indubitato ita sentiant, quum deus mendacium in corde hominis non confirmet. Semper dubitant et vacillant qui sic loquuntur, quod in Pharaone cernere liquet, qui modo hoc, modo illud loquitur, modo negat, modo affirmat; iam dicit: Quis est iste dominus? mox dicit: Scio dominum esse iustum, me peccasse, interim tamen in suo scelere pergit etc. Clarius hoc proponemus. Qui sic loquuntur: Iste docuit divam virginem non esse invocandam, et tollatur ergo, haereticus enim est et reus mortis: hi nunquam certi sunt et indubitati in pectoribus suis, Mariam esse invocandam, aut interimendum qui diversum docet, scilicet unum deum esse colendum. Impossibile enim est quod hoc pectori humano certo persuadeatur, ut nihil addubitet, aut non diversum sentiat. Hypocritae ergo sunt qui ista praetexunt aliud intus sentientes, et reclamante conscientia, foris se viros bonos simulant, talesque videri volunt, quum sint intus impii. Tametsi enim dominus hominem excaecet et obduret, adhuc tamen eidem veritatem tam clare ob oculos ponit, ut

de ignoratione nulla relinquatur ei excusatio, quin in corde suo dicere et agnoscere cogatur, se peccare et errare, utcunque contra agnitam veritatem pugnet. Prophetae nomen honorificum Christo improprant et vitio vertunt. Quasi dicerent: Omnes te prophetam magnum appellant, aut tu te prophetam iactas, prophetiza ergo nobis etc. Observemus ingenium impiorum et hypocritarum, qui contra veritatem conspirant. Iniustitia iustitiam accusat, mendacium veritatem opprimit, invidia caritatem laedit, adhuc tamen omnia sic adornata sunt, ut speciem quandam iustitiae et iuris habere videantur. Falsis testimoniis antevertunt, insidiosis interrogationibus urgent. Iudices sunt accusatores et testes. Et qui maxime blasphemi sunt, blasphemiam innocenti obtrudunt, ut videantur blasphemiae vindices. Sed frustra fiunt omnia, quum ne speciem sceleris in Christo inveniant. Hoc nos imitemur, ut sic honeste conversemur inter homines, sic vivamus innocenter, ut vel fama de nobis mentiri vereatur. Iam quae maior crudelitas vel cogitari potest, quam ea quae a militibus adversus Christum exercetur. Relinquitur innocens in manibus foedissimorum hominum, ut pro libidine sua cum eo agant, imo libidinem suam in eo exsatient, in quibus nulla pietas est, nulla commiseratio, illudunt, conspuunt, verberant, nec quidquam omittunt, quod vel ad infamiam, vel ad iniuriam Christi pertineat. Sic hodie fit ab immanissimis hominibus, imo non hominibus, sed feris potius, qui omnem humanitatem posuerunt, qui naturae sensum exuerunt, qui scilicet miseros homines, qui pro Christi veritate ducuntur, convitiis et contumeliis onerant, ac irrident alioqui afflictos, quum tamen naturae leges caveant, ne supplicio affectos gravioribus contumeliis oneremus. Nemo excusat, nemo commiseretur, nemo liberat, nemo tuetur, nemo causam Christi agit, nemo praeterita beneficia commemorat, ut diceret: Is omnes morbos curavit, pavit famelicos, docuit ignaros, omnibus benefecit. Sic tot et tanta Christi beneficia apud ingratissimos homines perierant, sic saevitia et invidia omnia obliteraverat. Non fiunt haec sine numinis providentia et voluntate, interim tamen peccant gravissime qui haec designant, et qui haec ne fiant non cavent. Permittit nonnunquam dominus tam atrocia scelera fieri, ut nostram ignaviam et socordiam excitet, ut vel aliquando ad enormia illa expergefiamus et fortitudinem nostram ac fidem ostendamus. Interim nos inexcusati sumus, qui negligentia nostra ansam damus sceleratis, ut in sceleribus suis pergant, nec immunes sumus tam gravis culpae: tam sumus impotentes, tam socordes ac perfidi, ut nemo tam nefanda possit scelera designare, quibus vel tantillum moveamur. Sic toti stupidi sumus et insensati. Nulla flagitia tam absurda et atrocia sunt, quae nobis veternum excutere possint. Haec cum ita habeant, nihil nobis exspectandum, quam extremum supplicium et vindicta domini. Haec tam certa sunt interitus signa, ut si coelum mane rubeat futurae pluviae signum. Quae si quis non videt, caecus est: si videt et non cavet, amens. Principiis obstandum est, ramus dum induruit non facile flectitur, resistamus ergo sceleribus antequam invalescant et omnia occupent: sero medicina paratur, dum mala per longas invaluere moras.

Mane autem facto consilium inierunt omnes principes sacerdotum, et seniores populi adversus Iesum, ut eum morti traderent, et duxerunt eum in concilium suum, dicentes: Es tu ille Christus? dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixero, non creditis; si interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc tempore erit filius hominis sedens a dextris virtutis dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es filius dei? Qui ait? Vos dicitis me esse. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi enim audivimus ex ore eius. Et surgens universa multitudo vinctum abduxerunt eum a Caiapha in praetorium, tradideruntque eum Pontio Pilato praesidi; erat autem mane. Et ipsi non introierunt in praetorium ne contaminarentur, sed ut ederent passah.

Veritas tribulationibus et oppressionibus crescit, et clarior emergit. Nihil ergo promovent Iudaei consilio Christum occidendi, tametsi hoc unum moliantur. Hoc animadvertant qui conantur persequutionibus et morte Christum extinguere. Sic fides Christiana sanguine plantata, sanguineque aucta est. Vae autem illis qui veritatem opprimunt, quae tamen opprimi nunquam potest. Contra mendacium et iniquitas, etiam si aliquando ad tempus regnant, nunquam firma erunt, nunquam tuta. Quis vero metuet hoc persequi quod nunquam constare potuit? Rursus quis sibi metuit in causa, quae opprimi nunquam potuit, ut hanc asserat? Adhuc tamen torpemus omnes ad res praeclaras et divinas, quum videamus impios in rebus turpibus non cessare nec dormire, sed noctes ducere insomnes, et prima luce ad sua consilia redire. Pudefacit nostram socordiam illorum industria et vigilantia. Si dixero: Impii aliquando de veritate percunctantur, sed non ut colant, verum ut persequantur; sic pontificii aliquando captiosas quaestiones piis obiiciunt, at quum rationem suae doctrinae reddere volunt, nullam recipiunt satisfactionem, sed mox neci adiudicant. Hoc intelligens Christus dicit: Quid dicerem vobis? Si veritatis essetis cupidi ex doctrina et miraculis iamdudum discere eam potuissetis; quod quum non fecistis, quid opus esset pluribus verbis? Hactenus potestas est vobis data in meam humilitatem saeviendi, at posthac videbitis filium hominis sedentem a dextris dei. Hac periphrasi se filium dei esse evidenter probat. Quasi diceret: Posthac videbitis me esse filium dei. Hoc intelligunt Iudaei, et reum mortis eum pronunciant, quum sedere ad dexteram dei patris in summa gloria et maiestate, nullius esse possit quam filii dei. Ergo ipsi videntur sibi iuste damnare Christum iuxta legem Deut. 13. de falso propheta; sed falso intellectam et interpretatam. Illic enim agit de propheta, qui a vero deo abducit, quod Christus non fecit. Vos dicitis; ait. „Tu dicis“ non est dubitandi verbum, sed affirmandi, schemate Hebraico.

Tunc videns Iudas qui eum prodiderat, quod damnatus esset, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus, dicens: Peccavi, tradens sanguinem inno-

xium. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in templo, recessit, et abiens laqueo se suspendit. Principes autem sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum, quapropter vocatus est ager ille, ager sanguinis, usque in hodiernum diem. Tunc impletum est, quod dictum est per Hieremiam prophetam, qui dicit: Et acceperunt triginta argenteos, pretium aestimati, quem aestimatum emerunt a filiis Israel, et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi dominus.

In Iuda exemplum horrendum divini iudicii proponitur super eos qui ex destinata malitia et perfidia peccant, quorum typum gerit proditor. Vocat deus misericorditer omnes ad gratiam suam, at quos daemon excaecat et exagitat, vocantem contemnunt, aut in numerum filiorum dei allecti, resiliunt, sic se peccatis involventes, ut nulla ratione revocari possint. Excaecat eos satan ne gravitatem scelerum expendant, donec praecipites eos agat in profundum, tum demum aperiuntur oculi eorum, ut magnitudinem scelerum et poenae atrocitatem videant, at sic, ut interim divinae misericordiae immensitatem non considerent, nec ad illam adcurrant. Dolent quidem sed ob id quod extrema sibi parata vident, non quod summum bonum offenderunt. Hinc desperatio et conscientiae carnificina, in qua pereunt. Caveamus ergo ab innocentis sanguinis fusione, ab avaritia et pertinacia, hisce enim sceleribus qui tenentur similes sunt Iudae, et similem exitum experientur. Huc tandem adiguntur, qui monenti domino obtemperare nunquam voluerunt. Nihil proderat Iudae in numero duodecim esse, nihil Christi discipulum, nihil mensae sacrae participem, nihil verbum veritatis praedicasse, quin tandem hypocrisis eius manifesta fieret et puniretur. Sic nobis ista *nihil* proderunt, si perfidi fuerimus et hypocritae. Sine fide impossibile est ut quis deo placeat. Fides autem ubi fuerit, illic iustitiae et innocentiae erit studium, et scelerum horror, illic auditur deus, nec contemnitur vocatio eius. Titulus non facit gratos deo, sed fides. Fides respicit in deum, colit deum, observat verbum eius, metuit eum, studet praeceptis eius, et voluntati eius obtemperat. Nihil ergo est quod fidem iactemus, si illa nobis defuerint, hypocritae enim et perfidi esse convincimur. Deinde et in sacerdotibus Iudaicis hypocritarum typus proponitur, qui domum Ethnici introire, et pretium sanguinis in corbonam mittere horrent, qui tamen a fundendo innoxio sanguine non abhorrent, culicem colantes, et camelum deglutientes. Similes illis sunt, quicunque mundant quod foris est, internae puritatis negligentes, qui caritatem, iustitiam et fidem negligunt, superstitiose quibusdam ceremoniis haerentes, in quibus pietatis summam ponunt, apud quos traditiones hominum, et commenta propria plus ponderis habent, quam dei mandata, qui suas traditiones divinis praeceptis vel aequant, vel praeferunt. In hoc tamen Iudaicos sacerdotes pontificiis aequiores ac probiores iudicamus, quod illi turpe pretium in corbonam recipere noluerunt, hi autem et furto

ablata, et male ac iniuste acquisita avidissime rapuerunt: Gſtolen gut, geroubt gut, alles gut gut. Porro non satis est Iudae dicere: Tu videris, oportebat mutare sententiam errore cognito, et innocentem non accusare, sed defendere.

Iesus autem stabat ante praesidem, qui dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? Responderunt: Si non esset hic malefactor haudquaquam tradidissemus eum tibi. Dicit ergo eis Pilatus: Accipite ergo eum vos, et secundum legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudaei: Nobis non licet interficere quenquam. Ut sermo Iesu impleretur quem dixit, significans, qua morte esset moriturus. Coeperunt ergo illum accusare, dicentes: Hunc deprehendimus evertentem gentem, ac vetantem tributa dare Caesari, dicentemque se Christum regem esse. Pilatus autem interrogavit eum, dicens: Tu es ille rex Iudaeorum? At ille respondens, ait: Tu dicis. Pilatus autem ait ad principes sacerdotum et turbas: Nihil noxiae invenio in homine isto. At illi invalescebant, dicentes: Commovit populum, docens per universam Iudaeam, exorsus a Galilaea, usque ad hunc locum. Pilatus autem audita mentione Galilaeae, interrogavit, num homo Galilaeus esset? Et ut cognovit quod ad Herodis ditionem pertineret, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Hierosolymis erat per id tempus.

Quid faciant praeiudicia, in sacerdotibus et senioribus Iudaicis hic cernere licet. Semel in necem Christi conspiraverant, imo ad mortem eum adiudicaverant, indignum ergo putant, ut iudicium eorum iniquum existimetur, et inquisitio ulterior fiat. Si non esset hic malefactor (inquiunt) non tradidissemus eum tibi. Ecce quanta confidentia loquuntur iniquissimi homines, conantes iudicem clamore audaci vincere. Sic hodie praeiudicia fiunt in praecones evangelii antequam ad legitimos iudices causa eorum perveniat. Si non esset hic, inquiunt, haereticus, et damnatus, non cepissemus eum. Egit contra concilia, contra patrum sanctiones, turbator est, et seductor etc. His clamoribus iudicum animos praeoccupant, ut nefas putent plura de his inquirere, et statim duci iubent. Insimulatur praeterea rex pacis, seditionis et tumultus, quod studium res novandi multam habet invidiam apud omnes. Sub praetextu huius sceleris non modo Christus, sed fere omnes prophetae oppressi sunt. Quod a Iudaeis Christus occisus non est, sed gentibus, id est, Romanae potestati traditus, non temere factum esse Evangelista ostendit, praedixerat enim Christus discipulis se tradendum fore gentibus. Multas accusationes simul iungunt, et hoc arte et vafricie quadam, quarum quaedam Iudaeos, quaedam vero Pilatum et Gentes offendunt, ut Christum scilicet odiosum reddant omnibus, ut omnium animos ab eo abalienent. Pilatus parum curavit quae contra Christum de lege sua afferebant, at quaestionem laesae maiestatis vindicat, quum hoc officii sui esse putaret. Utinam principes qui evangelium persequuntur hanc aequitatem servarent in pios quos inquirunt. Nihil est quod metuat

sibi magistratus ab evangelio et doctrina Christi, quae magistratum non abolet, sed potius stabilit, et veram obedientiam docet.

Herodes autem viso Iesu, gavisus est valde: tenebatur enim multo iam tempore cupiditate videndi eum, eo quod audiret multa de eo, et sperabat se signum aliquod visurum ab eo fieri. Interrogavit autem eum multis sermonibus. At ipse nihil respondebat. Stabant autem principes sacerdotum et scribae acriter accusantes eum. Sprevit autem illum Herodes cum exercitibus suis, quumque illusisset indutum veste splendida, remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici inter se Pilatus et Herodes in eodem die, nam antea simultas inter eos intercesserat.

Consideremus hic capitis nostri et ducis mansuetudinem et obedientiam, qui pro nobis nocentibus ipse innocens ante iniustos iudices et tyrannos sistitur. Agnus sine macula non aperit os suum quum illuditur et fabula fit tyranni. Qui non dignus erat, ut melliflua Christi verba, et doctrinam veritatis audiret, quum non esset cupidus veritatis, sed potius novarum rerum curiosus. Discamus autem a nostro praeceptore, si quando iniuste accusamur, si illudimur et contemnimur, ut aequo animo omnem contumeliam pro Christo et veritate eius ferre parati simus. Ne simus vindices gloriae nostrae et nominis, cogitemus nos dignos esse aeterna ignominia, qui nihil sumus quam massa peccati. Gloriam nostram quaeramus in cruce Christi, nam summa est gloria pro Christo infamem esse in hoc mundo. Non est hic tempus gloriae, si cum Christo probra ferre possumus, erimus quoque gloriae eius consortes. Exinanivit, inquit Paulus, semetipsum qui deus erat, formam servi accipiens, et obediens factus est patri usque ad mortem crucis, et ob id exaltavit eum pater et evexit eum in summam gloriam, deditque illi nomen quod est super omne nomen. Qui ergo vere gloriosi esse volunt, discant infamiam et probra cum Christo ferre, sequantur eius humilitatem et obedientiam. Nemo putet gloriam suam imminui, si humilietur et aliis serviat, hoc enim pacto gloria non minuitur sed illustris fit. Utcunque impiis non sit pax et inter sese dissentiant animis, in veritatis tamen et iustitiae persequutione coire possunt.

Pilatus autem convocatis principibus sacerdotum et magistratibus, ac plebe, dixit ad illos: Adduxistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, et ecce ego coram vobis interrogans, nullum crimen invenio in homine isto ex iis de quibus accusatis eum, sed ne Herodes quidem, nam remisi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei. Introivit ergo iterum in praetorium Pilatus, et vocavit Iesum, et dixit ei: Tu es ille rex Iudaeorum? Respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus: Num ego Iudaeus sum? Gens tua et pontifices tui tradiderunt te mihi, quid fecisti? Iesus respondit: Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex mundo hoc esset regnum meum, ministri utique mei decertarent, ne traderer Iudaeis. Nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque Pilatus:

Ergo rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis, quod rex sim ego; ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium feram veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Hoc quum loquutus esset, iterum prodiit ad Iudaeos, et dicit eis: Ego nullam invenio in eo causam, est autem consuetudo vobis ut unum dimittam vobis in passah, vultis ne ergo, dimittam vobis illum regem Iudaeorum? Clamaverunt rursum omnes, dicentes: Non hunc sed Barrabam. Barrabas autem latro erat qui cum seditionis autoribus fuerat vinctus, qui per seditionem in civitate factam caedem patraverant. Iterum autem Pilatus loquutus est ad eos, volens dimittere Iesum. At illi clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertio dixit ad eos: Quid enim mali fecit? nullum crimen capitale invenio in eo, emendatum ergo eum dimittam.

Pilatus primum specimen quoddam iustitiae et aequitatis edit, quod innocentem liberare et ex eorum manibus eripere conatur, attestaturque homo gentilis innocentiae Christi, at inconstans est, et arundinis in morem vacillat, actus partim metu, partim cupiditate regnandi, contra conscientiam suam turpiter deflectit. Non debuit permittere quod is, quem innocentem confitetur, a militibus caederetur, multo minus ut crucifigeretur. Quod Christus regnum suum dicit non esse ex hoc mundo: Catabaptistae abutuntur, ut magistratum inter Christianos tollant. Sed animadvertere hi debebant, Christum de se loquutum fuisse, et regnum spiritus designasse. Christus non advenerat ut regnum in mundo occuparet, sed ut humilitatis et obedientiae exemplum praeferret. Sic nullus Christianus in animo suo regnum ambire debet, etiamsi ad imperitandum aliis electus sit. Sic Christus rex erat mundi totius, ut et hodie est, at regnum non ambiebat tum, nam non hac causa advenerat, sed ut praedicaret. Neque tamen regem esse se negabat, sed regnum non ambiebat nisi conscientiarum. Sic omnes prophetae et verbi ministri facere debent. Tametsi enim super regna et principes sint constituti, tamen ambire nullo pacto debent, ut est in Hieremia, sed debent verbo dei dominari conscientiis. Sic Paulus dicit arma militiae nostrae non carnalia esse, sed potentia deo ad demolitionem munitionum, quibus consilia demolimur, et omnem celsitudinem, quae extollitur adversus cognitionem dei, et captivos ducimus omnem cogitationem ad obediendum Christo, et in promptu habemus vindictam adversus omnem inobedientiam. Hac potestate gloriari possumus, quam dedit nobis deus in aedificationem, non in destructionem. In hoc veni ut testimonium feram veritati. Quasi dicat: Non in hoc veni ut regnem, sed ut testimonium veritati feram. Testimonium ferre veritati, periphrasis est prophetae. Sic Ioannes missus fuit ut testimonium de luce, id est, de veritate ferret. Sic apostolis Christus dicit Ioannis 15. cap. Et vos testes mei estis. Item Lucae ultimo: Sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertio die, et praedicari sub nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, initio facto ab Hierosolymis. Vos autem estis testes horum non

solum Hierosolymis, verumetiam in universa Iudaea Samariaque, denique usque ad extremum terrae. Pater ergo misit filium in mundum, ut testimonium ferret veritati, hoc est, ut sese mundo innotesceret, ipse enim est veritas, Ioannis 14. cap. Et quicunque vel micam veritatis in se habet, is ab eo genitus est, et audit vocem eius. Christus non solum sceleratis aequatur, sed infra sceleratos longe deiicitur. Nam latro dimittitur, Christus occiditur. Homicidam vita donant, autorem vitae ad crucem postulant: eligunt latronem, servatorem reiiciunt. Quo docemur non modo pharisaeorum malignitatem, sed et vulgi inconstantiam et ingratitudinem. Non ita pridem Hoschanna cecinerant, et summis laudibus ornarant inequitantem, dicentes: Benedictus qui venit in nomine domini, iam dicunt: Seductor est, tollatur in crucem. Nemo ergo aurem popularem venetur, nemo glorietur si plebs eum laudet. Varium et mutabile vulgus statim in aliam sententiam persuadetur, ut vere maledictus sit, qui in homine confidat. Plus semel attestatur innocentiae Christi Pilatus, et dicit se nullam mortis invenire in eo causam. Iniquus ergo est qui innocentem flagellare permittit. At metuebat homines plus quam deum. Non debet iustus iudex in gratiam aliorum plectere insontes. Romani verberatos securi plectebant, tametsi Pilatus non ea causa verberasse Christum videtur, ut scilicet occideret, sed ut hac via a morte eriperet. Haec omnia fiunt divina providentia, ut Christus omnes poenas ferat, quas sceleratissimi quique. Hinc caritatem dei patris aestimare licet, qui dilectum et unigenitum filium in gravissimas poenas propter nos intrudit, ut discamus et nos patienter ferre quaecunque nobis acciderint.

Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum et flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, et veste purpurea circumdederunt eum, et dicebant: Ave rex Iudaeorum; et dabant ei alapas. Exivit iterum Pilatus foras, et dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quod nullam in eo causam invenio. Exivit ergo Iesus foras, gestans spineam coronam, et purpureum pallium, et dicit eis: Ecce homo. Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, et crucifigite, ego enim non invenio in eo causam. Responderunt ei Iudaei: Nos legem habemus, et secundum legem nostram debet mori, quia filium dei se fecit. Quum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit, et ingressus praetorium, dicit ad Iesum: Unde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis quod potestatem habeo crucifigendi te, et potestatem habeam absolvendi te? Respondit Iesus: Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper, propterea qui me tibi tradidit, maius peccatum habet. Et ex eo quaerebat Pilatus absolvere Iesum. Iudaei autem clamabant, dicentes: Si hunc absolveris, non es amicus Caesaris. Quisquis se regem facit, contradicit Caesari.

Pilatus typum gerit formidolosi et negligentis iudicis, prae se ferentis iustitiam quandam, cuius tamen non adeo vehementer studiosus est. Sic saepe foris aliud ostendimus, quam intus habeamus in animo. Volebat servare Iesum, quatenus cum gratia Caesaris et Iudaeorum fieri potuit. Si vero pectus eius accensum fuisset studio iustitiae, non tam oscitanter et frigide, sed strenue et dextre innocentem fuisset tutatus. Non oportet iudicem ad favorem vel odium hominum respicere, sed ad regulam aequitatis et legum. Qui molles sunt et remissi, sensim delabuntur, donec omnino a via iusta deflectant. Quod in Pilato videmus factum esse, qui cum non constanter, quod rectum esse novit, persequitur, tandem reclamante conscientia contra innocentem pronunciare cogitur, in quo damnando se ipsum damnat, quum fastuosa iactatione potestatem se habere dicit Christum absolvendi. Quem dominus mansuete corripit, ostendens, neminem quidquam posse, nisi quatenus deus concedat. Et quoniam omnis potestas a deo est, non debet magistratus ea ad oppressionem innocentium pro libidine sua abuti. Consolatorium vero est hoc nobis, quum sciamus nihil in nos posse homines quantumvis truculentos, nisi quantum dominus eis permiserit. Hoc et nobis observandum, patrem posuisse peccata nostra super Christum, flagellatum ergo Christum esse propter nostra peccata, cuius livore nos sanamur, cuius vulnera nostris vulneribus medentur. Dorsum suum praebet percutientibus, et genas suas verberibus. Cogitemus ergo cum dolore molem nostrorum peccatorum, quae luit Christus in corpore suo, contemptus et ignominia affectus, ut nos ab aeterna poena et ignominia liberaret. Paremus et nos dorsum et totum corpus nostrum ad verbera propter ipsum, qui nos tanta caritate dilexit. Tacet Iesus exemplum piis praeferens, ne se quum pro veritate moriendum est magnopere excusent aut eripere studeant.

Pilatus autem quum audisset hunc sermonem, produxit foras Iesum, seditque pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraice Gabata. Erat autem parasceve paschae, hora ferme sexta, et dicit Iudaeis: Ecce rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices: Non habemus regem nisi Caesarem. Et summi sacerdotes cum senioribus accusabant eum de multis. Et quum accusaretur a principibus sacerdotum et senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quam multa adversum te dicant testimonia? Et non respondit ei posthac ullum verbum, adeo ut miraretur praeses vehementer. In festo autem consueverat praeses turbae dimittere unum ex vinctis, quem voluissent. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barrabas, qui cum seditionis autoribus fuerat vinctus, qui per seditionem caedem patraverant. Congregatis ergo illis, quum acclamasset turba, coepit flagitare, ut faceret quemadmodum semper fecerat ipsis. Dixit ergo Pilatus: Utrum vultis dimittam vobis, Barrabam, an Iesum qui dicitur Christus? Sciebta enim quod per invidiam tradidissent eum.

Iudaei nihil aeque optabant ac regem suum recuperare. Iam vero id strenue dissimulant pessimi nebulones, ut Christum qui se regem esse dixerat perderent, qui eis promissus erat rex. De quo et gentium testimonia exstant. Sic enim scribit Suetonius in Vespasiano: Percrebuerat Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis ut eo tempore Iudaea profecti rerum potirentur. Id de imperatore Romano quantum eventu postea praedictum patuit, Iudaei ad se trahentes rebellarunt, caesoque praeposito, legatum insuper Syriae consularem suppetias ferentem rapta aquila fugaverunt. Haec ille. Ubi iterum levitas et inconstantia vulgi discitur: quum pasceret eos, voluerunt eum regem facere; quum in mores eorum perversos invehit, ad crucem postulant. Stultus ergo aut amens qui hominum favori nititur. Praeferunt latronem et homicidam Christo innocenti, quod hodie perfrequens est, etiam inter eos qui Christi nomine censentur, dum nebulones et impii homines veritatis religionis et omnis pietatis contemptores ad gubernacula reipublicae, ad officia publica admoventur, spretis honestis et simplicibus viris. Hoc ubi fit, extrema rebuspublicis exspectanda sunt. Quid vero aliud sperandum quum impii evehuntur? Si puella candida veste induta crederet se candorem vestis servare posse inter medios carbonarios, an non omnibus irrisioni se exponeret? Quid vero senatus incorruptus aliud est, quam virgo quaedam incorrupta bysso purissima ornata? Huic si corruptos homines et facinorosos adhibes, fieri non potest quin senatus commaculetur et corrumpatur. Miratur Pilatus non tam quod Christus tacet, quam quod innocentiam suam non asserit, quem sciebat innocentem et per invidiam traditum.

Sedente autem Pilato pro tribunali, misit ad eum uxor eius, dicens: Nihil tibi cum iusto illo, multa enim passa sum hodie in somnis propter eum. Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt turbis, ut peterent Barrabam, Iesum vero perderent. Respondens autem praeses, ait illis: Utrum vultis vobis e duobus dimittam? At illi dixerunt, Barrabam. Dixit illis Pilatus: Quid igitur faciam Iesu, qui dicitur Christus? Dicunt ei omnes: Crucifigatur. Videns autem Pilatus, quod nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, abluit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine iusti huius, vos videbitis. Et respondens universus populus, dixit: Sanguis eius super nos et super filios nostros. Tunc volens turbae satisfacere, dimisit illis Barrabam, adiudicans fieri quod illi postulabant, Iesum vero tradidit arbitrio illorum ut crucifigeretur.

Quod Pilatus ab uxore admonetur, quidam daemonis suggestioni adscribunt. Ego vero puto id a deo factum esse, ne deesset Pilato admonitio. Sic Pharaonem saepius admonuit, si quo modo posset eum a proposito revocare, ut excusata sit iustitia dei, inexcusata nostra malitia. Nunquam deest, nunquam cessat divina providentia et bonitas, quin errantes revocet, semper occasionem a malo recedendi et bona faciendi praebet. Sanguis eius super nos, inquiunt, quod revera factum Nut, sed ipsi alio sensu haec verba proferunt. Volunt se hoc sermone

innocentes ostendere, tam audax est hypocrisis, ut audeat se pro innocente venditare, quum sciat se corruptissimam esse. Sensim delabitur Pilatus, qui quum sciret Christum esse innocentissimum et per invidiam traditum, nullam in eo reperiens causam, innocentem tamen, diris plagis verberare, omni malorum genere affici, et tandem morte multari sinit. Iam dicit: Accipite eum vos, et interficite; iam aliud quidpiam. At iudex non debet sic loqui, sed eum defendere quem innocentem agnoscit, aut plectere qui sceleris est convictus. Nihil iuvat aqua manus eluere, quum conscientia intus saucia est. Nec est ut dicat: Vos videritis, imo is viderit qui iustum damnat et morti adiudicat, et sontem absoluit. Non satis semel et iterum constantem esse, nisi in iustitia asserenda quis in finem usque constanter pergat, nec minis nec blandiciis a iustitia absterritus. Oportet iudicem et odia et favorem omnium contemnere, in solam iustitiam oculos defigere, non satisfacere voluntati plebis.

Tunc milites praesidis suscipientes Iesum in praetorio congregaverunt ad eum universam cohortem, et cum exuissent eum, circumdederunt ei chlamydem coccineam, et coronam de spinis contextam imposuerunt capiti eius, et harundinem in dextram eius, et genu flexo ante eum illudebant ei, dicentes: Ave rex Iudaeorum. Et quum expuissent in eum acceperunt harundinem, et percutiebant caput eius. Et postquam illusissent ei, exuerunt eum chlamyde, et induerunt eum vestimentis suis, et abduxerunt eum ut crucifigerent. Atque is baiulans crucem suam, exivit in eum locum qui dicitur Calvaria, Hebraice Golgotha. Et quum abducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem, venientem e rure patrem Alexandri et Rufi, huic imposuerunt crucem, et coegerunt ut tolleret eam post Iesum. Sequebatur autem illum multa turba populi ac mulierum, quae plangebant et lamentabantur eum. Conversus autem Iesus, ad illas dixit: Filiae Hierusalem, nolite flere super me, sed super vobis ipsis flete, et super filiis vestris, quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatae steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quae non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos, quia si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet? Ducebantur autem et alii duo facinorosi cum eo ut interficerentur. Et postquam venerunt in locum qui vocatur calvaria, ibi crucifixerunt eum, et cum eo alios duos facinorosos, unum a dextris, alium a sinistris, medium autem Iesum, et impleta est scriptura, quae dicit: Cum iniquis reputatus est.

Maxima crudelitas militum ab Evangelistis describitur, sive id pretio a Iudaicis sacerdotibus conducti, sive libidine sua fecerint, ut ferae potius censendi sint quam homines, qui adeo omnem humanitatem exuerunt. Irruperunt in agnum mansuetissimum ferocissimi lupi, nec rabiem suam satiare ullo modo possunt, verberant, conspuunt, irrident, tantum non devorant. Exuitur vestibus suis qui omnia vestit, et defor-

matur qui omnia ornat. Mansuetudo Christi observanda, qui in se omnem contumeliam propter nos recipit, crucem suam ferendo, ut nos ab aeternis suppliciis liberaret. Peccata omnium nostrum in se suscepit, expians ea super ligno, ut sciremus ad quem confugeremus onus peccatorum posituri. Venite, inquit, ad me omnes qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos. Discite a me quia mitis sum et humilis corde. Tollite iugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris. Abiiciamus ergo onera peccatorum, et colla nostra iugo domini commodo et levi submittamus. Cruce nostra sublata, ducem et principem nostrum sequamur, per quem nobis mundus crucifixus sit et nos mundo. Beatus quem dominus tanto honore dignatur, ut consortem eum faciat suae crucis. Quod iam iustum educi lugent, quem paulo ante ad mortem postulaverant, inconstantiam inertis vulgi indicat, quidque ei sit fidendum. Res integras (quantum ego iudico) Christus viridi ligno significare videtur, arido res Iudaeorum accisas. Quasi dicat: Si salvis adhuc rebus, ita facitis, dum res vestrae adhuc florent: quid ergo fiet rebus desperatis, quum hostes vos oppriment. Si contra me tam inique et insane fremere audent, dum adhuc leges vigent, quid ergo tum audebunt, quum inter se conscissi fuerint, publicae leges et iura ob bellicas seditiones siluerint? Alii ad Christum hoc referunt viride lignum, aridum ad Iudaeos. Quasi dicat? Si in me innocentem sic furiunt, quid in illos designabunt qui in vitiis computruerunt? Abundet quisque suo sensu. Docet praeterea Christus quare nobis flendum sit, nempe ob peccata nostra, et poenam quam peccando commeruimus, ut iram dei vera poenitentia, fuga peccati, et conversione ad Christum praeveniamus ac declinemus. Ne pudeat nos infames esse ob Christum, quum videamus Christum caput nostrum inter facinorosos duci, et antesignanum sceleratorum haberi, qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in eius ore.

Iesus autem dicebat: Pater, remitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Scripsit autem et titulum Pilatus, et posuit super crucem. Erat autem scriptum, Iesus Nazarenus rex Iudaeorum. Hunc ergo titulum multi Iudaeorum legerunt, quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Iesus, et erat scriptus Hebraice, Graece et Latine. Dicebant ergo Pilato pontifices Iudaeorum: Noli scribere Rex Iudaeorum, sed quod ille dixerit: Rex sum Iudaeorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi scripsi. Milites ergo quum crucifixissent Iesum, acceperunt vestimenta eius, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, et tunicam: erat autem tunica inconsutilis a summo contexta per totum. Dixerunt ergo inter se: Non scindamus eam, sed sortiamur de ea cuius sit, ut scriptura impleretur, quae dicit: Partiti sunt vestimenta mea sibi, et in vestem meam miserunt sortem, et haec quidem faciebant milites.

Iesus mansuetudinis et caritatis eximiae exemplum nobis praefert, quum enim summa esset infamia notatus, et extremis malis affectus ab iniquissimis hominibus, ardentissimis precibus patrem suum pro cruci-

fixoribus suis interpellat: Pater, inquit, remitte illis, nesciunt quid faciunt; ut discamus et nos pro his qui nos laedunt et persequuntur orare, illisque bene precari qui nos diris devovent, Matth. 5. Quidam bene sciebant quid facerent, at Christus pro sua ingenita bonitate et mansuetudine mitius loquitur, et peccatum eorum elevat, ut nos patientiam et caritatem doceret, alii quid facerent non expendebant. Rursus alii a sacerdotibus et pharisaeis seducti, ignorabant quantum malum esset inde eventurum. O invincibilem Christi bonitatem, o inexhaustam caritatem, o inexpugnabilem mansuetudinem, quae nullis malis, nulla saevitia aut atrocitate vinci potuit, ut vel verbulum ullum durum aut immite proferat. Impletur hic quod Esaias praedixerat: Peccata multorum ipse tulit, et pro transgressoribus ipse precatus est, ne perirent. Quis iam de bonitate dei et remissione peccatorum desperabit, quum hi gratiam et remissionem peccatorum suorum obtinent, qui fontem gratiae in crucem egerunt? Nemo ergo de salute desperet quamlibet enormiter peccaverit, modo abiecta peccatorum sarcina ad Christum per veram fidem et poenitentiam accurrat. Patent adhuc fores misericordiae divinae, Christus neminem reiicit, qui avidus est salutis et vitae novae. Haec cogitemus assidue, fontem misericordiae peccatis nostris nunquam posse extingui, inexhaustus est, de cuius plenitudine omnibus haurire licet, semper scaturit fons sanguinis Christi in ecclesia ad remissionem omnium peccatorum. His armis instructi tuti erimus contra satanam, qui nos peccatorum mole obrutos ad desperationem adigere satagit. Asylum apertum est credentibus in Christo, ubi certam defensionem inveniunt, et praesidium inexpugnabile contra omnes tentationes. Quod nudus pendet in cruce, et vestibus suis a turpissimis hominibus spoliatur, docet nos paupertatem et bonorum direptionem libenter ferre, etiamsi nos pessimi infament, et nostra diripiant. Cogitemus nos nudos in mundum ingressos, nudos hinc abituros nos. Relinquamus mundo quae mundi sunt, et properemus nos animo ad patrem nostrum coelestem, cum quo habitaturi sumus perpetuo, fruituri bonis coelestibus, quae aeterna et semper duratura sunt. Nudum Christum nudi sequamur, qui nos non nudos sinet, sed superinduet veste nuptiali et ineffabili gloria. Supprimunt de industria quod se filium dei fecisset, ut Romanis satisfacerent, apud quos tum erat rerum summa.

Praetereuntes autem convitia iaciebant in eum, moventes capita sua, dicentes: Tu ille qui destruebas templum, et in triduo aedificabas? serva temetipsum, si filius es dei, descende de cruce. Similiter et principes sacerdotum illudentes cum scribis et senioribus, dicebant: Alios servavit, se ipsum non potest servare? Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credemus ei; confidit in deo, liberet eum nunc, si vult eum, dixit enim: Filius dei sum. Id ipsum autem et latrones, qui cum eo crucifixi erant exprobrant ei, et probra iaciebant in eum. Unus nempe de iis qui pendebant facinorosorum, convitia dicebat in eum, dicens: Si tu es Christus, serva te ipsum et nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Ne times quidem tu

deum quod in eadem damnatione es? et nos quidem iuste, nam digna factis recipimus, hic vero nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum, Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.

Proponitur fidelibus in Christo exemplar absolutissimum omnium virtutum, quod ab oculis eorum nunquam seponendum est, praeter hoc quod pretium est nostrae redemptionis. Suscepit in se nostri causa quidquid est usquam infamiae, convitia iaciuntur in eum ab infimis, a summis, nemo condolet, nemo miseratur afflictum, nemo consolatur, sine misericordia, summa crudelitate in eum saeviunt, at non potuit bonitas eius eorum malitia vinci. Nihil potuit eum a coepto opere nostrae redemptionis avocare, nihil ab officio avellere. Imitemur nos caput nostrum, contemnamus quidquid est volupe et gloriosum mundo, feramus cum eo libenter ignominiam, humilitatis et patientiae eius vestigia sectantes. Nihil sit tam durum, nihil tam arduum quod nos a vocatione nostra deterreat. In patientia enim nostra possidebimus animas nostras, et qui in finem usque perstiterit, salvus erit. Ne pudeat nos infames esse propter Christum, ne pudeat nos testimonii domini nostri Iesu Christi, ne erubescamus si quae ferendae sunt afflictiones propter ipsum: si participes fuerimus crucis eius, et gloriae erimus consortes. Omnia vel durissima et adversissima grata erunt, si consideraverimus ea in capite nostro praecessisse. In latrone proponitur exemplum caritatis et gratiae divinae quae etiam maximis peccatoribus nunquam negatur, si vera fide deum per Christum invocaverint, si Christum servatorem agnoverint, si ex corde poenituerint. Agnoscamus et nos cum latrone hoc peccata nostra, agnoscamus remissionem peccatorum per Christum, et similem inveniemus apud eum consolationem. Agnoscamus interim et confiteamur dignos nos esse aeterna et morte et infamia propter scelera nostra, coniicientes nos in gratiam Christi, qui est nostra iustitia et vita. Cum consternatae sunt conscientiae nostrae, et quasi desperabundae, accurramus ad Christum, et dicamus: Memento nostri domine in regno tuo. Magna est miseratio eius, qui dilexit nos, et filium suum pro nobis dedit, ut per eum viveremus: non cupit mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Paradisum expono pro omnis generis voluptate et gaudio, hodie gaudebis mecum et delitiis aeternis frueris. Refellitur hisce verbis error Dormitantiorum, qui animas post discessum a corpore dormire aiunt. Animae piorum non dormiunt, sed mox exutae corporibus ineffabili gaudio cum Christo perfruuntur.

Erat autem fere hora sexta. Stabant autem iuxta crucem Iesu, mater eius, et soror matris eius Maria uxor Cleophae, et Maria Magdalene. Quum vidisset ergo Iesus matrem, et discipulum quem diligebat astantem, dicit matri suae: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

Summa infamia affectum fuisse Christum, summoque dolore afflictum saepius iam diximus, quod summam caritatem erga nos indicat, quum homini nihil sit ingratius quam famae iacturam facere, et gloriam suam

amittere. Deinde quid carni gravius quam verberari et vulnerari? Convenit ergo ut eum diligamus, qui nostri causa ex inenarrabili caritate gravissima quaeque pertulit in corpore suo, modo nos ab aeterna infamia et cruciatu liberaret. Fit aliquando, ut in afflictionibus, amicorum praesentia, consolationem afferat et dolore levet. At in Christo omnia contrario modo habent, is enim a matre astante nullam consolationem, sed dolorem graviorem accipit, quum ipse nec matri, nec mater ei praesidio esse possit. Interim non cessat fides et caritas in matrem, nam commendat eam moriens iam carissimo discipulo, qui vice eius curam eius post hac gerat. Quod vero stare matrem ad crucem scribit Ioannes, non sine ratione fit, et emphasi quadam, significatur enim hisce verbis fidei constantiam in matre fuisse cum summa modestia, quae dolorem immensum mitigaret imo fulciret. Facit haec virtus in credentibus, ut in moerore nihil indignum committant, et ne toti concidant, supponente domino manum suam.

A sexta autem hora tenebrae factae sunt super universam terram usque ad horam nonam, et obscuratus est sol. Et circa horam nonam clamavit Iesus voce magna, dicens: Eli, eli lama azafthani, hoc est, deus meus, deus meus cur deseruisti me? Quidam autem illic stantium quum audissent, dicebant, Heliam vocat iste. Et continuo currens unus ex eis, quum acceptam spongiam implesset aceto, imposuit harundini, dabatque ei ut biberet. Ceteri vero dicebant: Sine, videamus an veniat Helias liberaturus eum.

Christus in omni et corporis et animi cruciatu nihil habet quod cruciatum vel tantillum levet. Sic detrusit eum pater ac immersit eum omnibus malis, et ademit ei omnem consolationem, ut nos non desperemus si dominus nobis in tentationibus aliquando consolationem subtrahit, et dormire videtur. Veritatem interim humanae naturae et carnis imbecillitatem declarat Christus, ut pudefiant, qui Christo corpus fantasticum affingunt, aut sensum doloris adimunt. Refellitur et Stoicorum vana et hypocritica sententia, qui indolentem faciunt sapientem suum. Non sic Christus, quo tamen nemo unquam aut sanctior, aut absolutior virtute fuit, sed gemit, lacrymatur, dolet, et sortem suam discipulis queritur, desertum se clamat, quum tamen alibi dicat se non esse solum, sed patrem secum esse, etiam relinquentibus discipulis. Videmus ergo anthropopathos haec a Christo dicta esse, et in nostra persona, qui nostram infirmitatem in se omnem suscepit absque tamen peccato. Docet hoc typo dominus quid a suis cultoribus requirat, nempe ut sese totos abnegent, et parati sint ducem suum sequi per omnia, etiam absente aut subtracta consolatione dei. Non enim adeo magnum est crucem ferre, si quis consolationem praesentem persentiscat. Quo enim consolationem magis sentit, hoc minus sarcina afflictionum premit. Volupe hoc est omni carni in adversis gratiam et consolationem aliquam recipere, at sese totum abnegare, et neque in se neque extra se quidquam praeter unum deum in omnibus quaerere; hoc opus, hic labor est, hoc demum fortem Christi militem declarat. Ne ergo

grave sit nobis si ab omnibus vel carissimis deserimur. Non est hoc unius diei opus, sed longam et exercitatissimam pugnam requirit, si quis sese vincere et in solo deo haerere voluerit. Duratur homo afflictionibus, ut etiam gravissima quaeque facilia fuerint. Ne ergo desperemus, si auxilium suum et consolationem suam dominus aliquando nobis abscondat et subtrahat. Non est hoc novum aut rarum iis qui in via dei et pugna spirituali exerciti sunt. Vertuntur vices rerum, ut post pluvias et tempestates gratissima serenitas et tranquillitas sequatur. Nunquam obliviscitur suorum dominus, utcunque aliquando dissimulet, qui potens est post diutinam tentationem nos consolari, idque cum magno foenore spiritualis gaudii. Queruntur ergo sancti in gravioribus adversitatibus sese a deo derelictos, quum tamen interim haudquaquam desperent, sed hoc ardentius opem divinam precantur, quo sese magis derelictos agnoscunt, nihil dubitantes, deum adfore in tempore, et suam potentiam in eorum imbecillitate ostensurum. Oportet ergo exemplo Christi in afflictionibus perstare, nec de cruce descendere, utcunque in nos hostes nostri saeviant aut debacchentur. Videbimus mox auxilium dei nostri e supernis adfuturum. Paratus est opem ferre pugnantibus, et in gratiam suam sperantibus. Et si aliquando nobis diutius differre, aut dormire videtur, fit hoc, ut occasio nobis pugnandi, adeoque et vincendi obiiciatur. Haec a patre nostro pientissimo nobis sic obveniunt, ut fides nostra probetur, et ut discamus nostram fragilitatem agnoscere, ad eum confugere, et ab eo opem postulare. Facessat ergo ex ecclesia Christi eorum doctrina, qui affirmant Christum in cruce desperasse. Quin potius sic cogitemus, medicum coelestem propter nos omnia mala in se suscepisse, ut agnosceremus nos habere fidelem pontificem, qui cum aegrotantibus aegrotare, et nostrae infirmitati compati possit. Dolet Christus cum dolentibus, et querimoniam effundit caput pro membris laborantibus. Vox haec carnis est, quae dolorem sentit, non tamen rebellis nec desperata. Caro innocens extremam poenam sentit, corpus sacrosanctum gravissimum cruciatum experitur, qui tam ingens est, ut etiam inanima elementa se condolere testentur, horrorem quendam ex morte creatoris sui concipientes. Hanc doloris immensitatem amplificis et gravibus verbis exprimit Christus.

Postea sciens Iesus, quod omnia iam consummata essent, ut consummaretur scriptura, dicit: Sitio. Vas igitur erat positum aceto plenum. Illi vero impleverunt spongiam aceto et hyssopo, et impositam admoverunt ori eius. Quum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est.

Nullum est membrum in Christo, quod dolore et cruciatu vacet. In quo iterum partim caritatem patris, qui filium suum sic pro nobis omnibus malis obiicit, partim saevitiam et ingratitudinem Iudaeorum aestimare licet. Proprio filio suo, inquit Paulus, non pepercit deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Opponit coelestis medicus antidotum morbo primorum parentum, qui per illicibilitatem pomi, gulae suae satisfacere voluerunt, hinc peccatum in nos omnes defluxit. Christus ergo in lingua sua offendi voluit, ut morbo huic mederetur; docens

interim omnes pios, ut a delitiis et voluptatibus corporis sibi temperent, per quas dei metus e pectoribus hominum fere exolescit. Quod vero dicit, consummatum est, ostendit, quaecunque in lege et prophetis de ipso praedicta fuerint, consummata esse. Omnia enim in Christum monstrarunt, et umbrae ac figurae veteres, Christo vera luce exoriente, dispulsae sunt. De qua re aliis in locis copiosius dicitur. Nos hic discamus in Christo consummatam esse nostram salutem, nec ultra eam in aliis rebus extra Christum quaeramus. Nihil superest quod vel a Papa vel ab ulla creatura superaddi possit. Hoc superest, ut nos constanter et fortiter consummatorem fidei nostrae sequamur, et in finem usque in vocatione nostra perstemus, ut aliquando dicere possimus cum Paulo: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; et ut curramus non incerto cursu, sed ut comprehendamus bravium.

Iesus autem sublata voce clamavit: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et cum haec dixisset, inclinato capite tradidit spiritum.

Vita omnium mortalium moritur in cruce iuxta carnem, morte sua vitae viam nobis aperiens, morte sua mortem devorans. Innocens moritur pro nocentibus: agnus sine macula, gratissimum fit sacrificium patri pro peccatis nostris. Confugiamus ergo miseri ad mortem tam salutarem, et hic vitam nostram hauriamus. Discamus praeterea et nos mori quotidie carnis affectibus. Abiiciamus mundum et ea quae in mundo sunt, ut immunes a mundi contagio nudi nudum Christum sequamur, in quo posthac vivamus et moriamur. Totos offeramus nos ei qui se pro nobis obtulit, in cuius misericordia sperantes, patri commendemus animas nostras, qui nos redemit deus verax.

Et ecce velum templi scissum est in duas partes, a summo usque ad imum, et terra mota est, et petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, et egressi e monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis. Centurio vero ille et qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terrae motu, et his quae facta fuerant, timuerunt valde, dicentes, vere filius dei erat iste. Cum enim vidisset centurio, qui astabat illi ex adverso, quod accidisset, et quod sic clamore emisso expirasset, glorificavit deum, dicens: Vere hic homo iustus erat et filius dei. Et omnes turbae eorum, qui simul accesserant ad spectaculum istud, et viderant quae contingebant, tundentes pectora sua revertebantur.

Velum scissum est, hoc de genere paradigmatum est, quae pura aut muta vocant, ubi exempla factis et sine sermone docent ac loquuntur. Quale est, dum Ezechiel iubetur detonsis capillis, quosdam comburere, quosdam disiicere. Item dum Tarquinius in horto deambulans summa papaverum capita coram servo filii sui baculo decutiebat. Sic velum scissum docet, omnes figuras completas esse in Christo, et quidquid velatum fuit in veteri testamento ac abstrusum, iam expositum esse

sublato velo, quod ademit summus sacerdos Christus, fusoque sanguine introivit in sanctum sanctorum. Sic loquutus est et terrae motu ceterisque signis, ut ostenderet: Primum indignitatem rei, quam terra non tulit dum creator suus pateretur. Secundo ut excuteret quasi vestem veterem, indicans se novam faciem induituram aliquando per praedicationem illius, qui iam patiebatur, seque commovendam esse evangelii praedicatione. Ubi evangelium et mors Christi annunciatur, ibi contremiscunt fundamenta et cardines terrae: concutitur et conturbatur caro, quum audit opera sua nihil esse, mortem Christi omnia persolvisse. Quod vero mortuos resurrexisse scribitur, fit hoc per Prolepsim Hebraicam. Primum enim quasi propositione generali, omnia quae facta sunt diversis tamen temporibus proponit, deinde digerit singula, mox enim ad sepulturam regreditur. Sic mortui tum demum surrexerunt et in civitatem venerunt, quum Christus iam resurrexerat, qui est primitiae dormientium; utque testarentur se vere vivere, apparuerunt multis, ut facilius crederent Iudaei, se quoque resurrecturos aliquando, quum viderent Christum et suos maiores resurrexisse. Sic saxa indignitatem rei detestantur, et duritiam Iudaeorum qui servatorem crucifigunt. Deinde et gentes significant populum durum, quae tamen scindendae erant et evangelio subdendae. In sanctam civitatem: Sic olim Hierusalem dicta est, at sceleribus et flagitiis sic est corrupta, ut potius latronum spelunca sit facta, Esa. 1. Centurioni (ut videtur) et suis militibus corpus Christi custodiendum traditum erat, nam milites crucifixerant eum: is, visis tam stupendis, cognovit Christum homine maiorem esse, quod et clara voce testatus et confessus est. Non scribuntur haec sine causa; quasi dicat: Tametsi homo gentilis esset vir ille et bellator, tamen deo gloriam dedit. Gloriam autem dare deo Hebraico schemate est cedere veritati, deum veracem confiteri, adstipulari veritati. Hominem primum iustum vocat, et hic primus gradus est ad fidem, deinde et filium dei. Tunsio pectoris, admirationem quandam habet cum dolore ac rubore. Qui clamaverant: Crucifige, iam dolent et compunguntur. Ubi praeter dolorem, qui ex peccato sequitur, etiam plebis inconstantia notatur, quae iam a sacerdotibus steterat, iam stat a parte Christi. Sic sero tandem venit pudor et poena. Sic Adamo primo parenti factum est, ut erubesceret se nudum esse, qui tamen et ante peccatum nudus fuerat. Qui animum ad perpetrandum scelus despondet, persuadet sibi se posse latere, at contrarium evenit, nam dies domini omnia revelat, deinde et ipsa conscientia. Sed pone ut hic non fiat palam, revelabitur tamen in adventu domini coram toto mundo. Tempus omnia prodit, et nihil opertum est, quod non aliquando reveletur. Peccatum pudor, metus et turbatio sequitur.

Iudaei ergo, quoniam parasceve erat, ut non relinquerentur corpora sabbato in cruce (erat enim magnus dies ille sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, ac tollerentur. Venerunt ergo milites et primi quidem fregerunt crura, et alterius qui cum ipso crucifixus erat. Ad Iesum autem quum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed

unus militum lancea latus eius fodit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et qui vidit testimonium perhibuit, et verum est testimonium eius. Et ille scit quod vera dicit, ut et vos credatis. Facta sunt enim haec ut scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et rursus alia scriptura dicit: Videbunt in quem pupugerunt.

Parasceve, de quo hic, intelligo sabbati sequentis, non agni edendi, nam hoc praeterierat fere, sed erat adhuc intra septem dies, in quibus edebant infermentata. Hoc vero sabbatum quia intra dies paschae inciderat, magnum vocabatur, quia magis solenne erat. Non temere haec omnia facta esse, Evangelista satis aperte testatur, ut veritas figuris responderet. Ex latere dormientis Adae ecclesia aedificatur, et illinc profluit aqua ad abluenda peccata totius mundi. Aperta est porta, ut illic asylum sit cunctis credentibus, et foramen petrae ubi requiem inveniunt quicunque laborant, illic cor patet, ut de caritate nihil dubitare queamus. Hic fons divinae misericordiae nunquam manare cessat, ex cuius plenitudine omnes sitientes bibunt et reficiuntur, ut fiat in eis fons salientis aquae in vitam aeternam. Hauriamus ergo aquas de fontibus servatoris, ut ei soli vivamus posthac, qui pro nobis sic vulneratus est, qui cor suum omnibus aperit, et dicit: Praebete mihi cor vestrum o filii. Hic invenient oves Christi fluenta vitae et ostium per quod introeunt et exeunt. Utinam dominus vulneraret corda nostra caritate sua, ut tantam caritatem recte expenderemus, cui nunquam satis digne respondere possumus, etiamsi millies pro eo moreremur. In morte ergo Christi, mortem nostram agnoscere discamus, quae ut nobis debebatur, ita eius morte perempta est. Discamus et mori peccatis et affectibus, tollamus crucem nostram et sequamur Christum, ut quum Christus apparuerit, cum eo in gloria quoque appareamus.

Et quum iam venisset vespera, quoniam parasceve erat, quae praecedit sabbatum, venit homo dives ab Arimathaea nomine Ioseph, decurio et honestus senator, vir bonus ac iustus, hic non consenserat consilio et facto eorum, qui et ipse exspectabat regnum dei, et is quoque discipulus Iesu fuerat, sed occultus propter metum Iudaeorum. Is sumpta audacia ingressus est ad Pilatum, et petiit ab eo corpus Iesu. Pilatus autem admiratus est, si iam mortuus esset, et accersito ad se centurione interrogavit illum, an iam dudum mortuus fuisset. Et re cognita ex centurione, donavit corpus ipsi Ioseph. Et is mercatus sindonem, depositum corpus involvit sindoni mundae. Venit et Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte prius, ferens mixturam myrrhae et aloes ad libras ferme centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, et obvinxerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudaeis sepelire. Erat autem in eo loco, ubi crucifixus est, ortus, et in orto monumentum novum in quo nondum quisquam positus erat. Ioseph ergo posuit corpus Iesu in monumento suo novo,

quod exciderat in petra, ibi ergo propter parasceven Iudaeorum, quod in propinquo esset monumentum, posuerunt Iesum. Et advoluto saxo ingenti ad ostium monumenti abiit.

Decurio Latinis senatorem olim significabat, et potius a curia quam a decem appellationem sortitur. Iustus dicitur Ioseph, non quod sine peccato esset, sed quod abhorrens a consilio impiorum in necem Christi non consenserat et quod regnum dei exspectabat. Sic nos quoque iusti sumus si Christum, quem illi exspectabant, per fidem receperimus, et immaculatos ab hoc saeculo nos custodierimus. Christus enim est iustitia nostra. Exemplum edit vir illae magnae et constantiae et fidei. Quanto enim periculo sese immergit, dum aut non consentit aut obstat malevolorum negotiis? Quis non videt praesentis esse periculi si quis corpus Iesu in tantis odiis tantaque crudelitate, petat et honore dignetur? Sed fides, si vera est, magna et ardua infracto animo aggreditur. Evangelista ergo quum eum virum nobilem et divitem esse dicit, non hoc duntaxat in eo attendamus, sed Evangelista intrepidum eius animum indicat et summam fidem. Quasi dicat: Tametsi talis fuerit, nec tamen eum vel favor, vel metus, vel opes a recto deflectere potuerunt, ut malorum studiis consentiret. Deinde tam fortis fuit, ut etiam post necem eius, dum alii blasphemarent et contemnerent, ipse intrepide iudicem adiret, nec vereretur sepelire, quem omnes condemnaverant. Idem sentiamus de Nicodemo, et spectemus, non quanti fuerint potentia et divitiis, sed quanti fide, animique fortitudine. Quanto argumento fidem suam testentur, qui omnium odiis et vitae periculo se ob Christum exponunt. Si in vita sequuti fuissent eum, non tantam fidem argueret, ut dum turpiter affecto infami et condemnato adhaerent. Nec pudet eos honore summo prosequi, quem ut sceleratum omnes detestantur. Qui ergo prius latuerant et dissimulaverant ob metum, iam cum gloria prodeunt, exemplum omnibus fidelibus. Fit aliquando ut qui valde meticulosi sunt, suo tempore alacriores et fortiores pugnent, resumpto scilicet animo. Discimus hic opes et potentiam cum fide iungi posse, et magnum decus addere credentibus. Nihil impediunt opes, si oculus simplex, et animus fidelis fuerit. Exspectare regnum dei periphrasis est fidelium, exspectabat regnum dei, id est, fuit fidelis, credidit. Et certe eius fides haud parva fuit, qui audet rebus adhuc recentibus in medio furore furientium et odientium corpus Christi petere. Solida et spectata virtus fuit in hisce viris, quae ut deo nititur, ita nunquam pudefieri aut concidere potest. Quod in sepulchrum suum corpus Iesu ponit, vehementem amorem in Iesum ostendit. Omnes enim tam amantes nostri sumus, ut ne quidem commodato nostra proximis demus. Admovet lapidem ostio monumenti, ne violetur corpus innocentis a perfidis, quod sedulitatis est et pietatis. Deus autem ista re utitur ad testimonium resurrectionis. Saepe ergo deus aliter ordinat opera quae nos facimus, quam nos destinaveramus. Interim non fit sine dei consilio ut in novum ponatur Christus monumentum, in quo nemo unquam sepultus fuerat, ne invidia pharisaeorum Christum alterius virtute resuscitatum calumniaretur. Quin in omnibus his providentia dei elucet, quae corda piorum

in hoc excitat, ut corpus sanctissimum Christi sui honorifice sepeliant, ne inglorium et inhumatum iaceat aut abiiciatur, ut sic impleretur prophetia Esa. 11. cap. Et erit requies eius gloriosa. Incipiebat iam post humiliationem et ignominiam tempus glorificationis, novae et immortalis vitae, quam praefert Christus primitiae eorum qui ex mortuis resurgunt. Novum est monumentum, album et mundum linteum, ut omnia novitatem quandam indicarent his, qui in mortem Christi baptizati sunt, sepulti cum eo in mortem eius.

At Maria Magdalene et Maria Iose spectabant ubi poneretur, sedentes e regione sepulchri. Subsequutae enim sunt mulieres, quae cum eo venerant de Galilaea, hae viderunt monumentum, et quemadmodum positum erat corpus eius. Reversae vero paraverunt odores et ungenta, ac sabbato quidem quieverunt secundum praeceptum. Postero autem die quae sequitur parasceven, convenerunt principes sacerdotum et pharisaei ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quod impostor ille adhuc vivens dixit: Post tres dies resurgam; iube ergo muniri sepulchrum, usque in diem tertium, ne veniant discipuli eius, et furentur eum, dicantque plebi: Surrexit a mortuis, et sit novissimus error peior illo priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, munite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, obsignato lapide, adhibitis custodibus.

In mulieribus his exemplum est pietatis et sedulae caritatis, ut dominum in vita erant secutae, ita nec post mortem deserunt. Pia sollicitudine currunt et vigilant, et curam magnam corpori ungendo habent. Hoc exemplum nos sequi debemus, nihil enim prohibet quo minus nos pietatem hanc Christo exhibeamus, sed in membris eius, quum ipse corpore suo nobiscum posthac non sit. Ne pudeat nos Christo servire et benefacere in pauperibus; ne poeniteat nos si quid rebus nostris decedat, quum videamus eum vitam pro nobis exposuisse, qui nobis pauperes tantopere commendat, quum cernamus mulierculas et viros illos honestos nullis sumptibus pepercisse, ut maximo cum honore corpus Christi sepulturae traderent. Discimus enim hic quantum angantur et doleant, qui ob timorem Christum profiteri palam non audent, nihilo tamen minus eos non cessare, clam currere et vigilare, admonere, iuvare, ut vel aliqua ex parte Christo obsequantur. Pro his nos, qui absque metu et periculo doctrinam Christi libere profiteri possumus, orare debemus, hos adiuvare obsequiis, et beneficiis prosequi, consolatione et exhortatione fovere etc. Contra in sacerdotibus et pharisaeis exemplum proponitur invidiae, quibus non satis erat Christum ad necem adegisse, nisi et eum iam mortuum persequantur, et eius gloriam obscurent. Agitantur furiis infernalibus invidia, metu, et curiositate. Anxii sunt et trepidi intus, utcunque foris gestiant impii. Recordamur, inquiunt, quod seductor ille etc. Ita amaris verbis utitur invidia donec pereat. Perfidia pharisaica sibi persuaserat lucem et servatorem mundi seductorem esse: similes sunt illis qui et hodie evangelicam doctrinam haeresim esse clamant. At si seductor et impostor

est Christus, quid formidant impii homines? num deus a morte impostores excitat? num deus adest illis qui mendaciis nituntur? Minime. Quid ergo formidant? Metus hic ostendit eos aliter credere quam ore fateantur, dicunt eum impostorem, at augustius quid de illo sentiunt, conscientia illis dictat eum esse filium dei, aut saltem homine maiorem. Quod si persuasum habebant eum esse filium dei, cur in crucem egerunt? Sic impii semper produnt aliqua ex parte se id scire et credere quod impugnant, persequuntur, et insectantur. Sic Herodes metuit ne Ioannes resurgat: sic alius ne puer recens natus regnum occupet. Sepulchrum munierunt et obsignarunt. Quid vero istis omnibus effecerint, resurrectio Christi magnifica satis declarat. Vani ergo sunt conatus impiorum qui veritatem premere et extinguere laborant: non enim est consilium contra dominum, et veritas opprimi non potest, quin semper clarior emergit. Nemo ergo sibi metuat a mundi potentia quantumvis magna, fortior et potentior est deus, qui illo nititur nunquam pudefiet.

SEQUITUR HISTORIA RESURRECTIONIS ET ASCENSIONIS CHRISTI.

Et quum iam praeterisset sabbatum in vespera sabbati, Maria Magdalena et Maria Iacobi, et Salome, emerunt odores, ut venirent et ungerent eum. Vespera autem sabbatorum, quae luscescit in unam sabbatorum, primo scilicet die sabbatorum profundo crepusculo, venerunt ut viderent sepulchrum. Et summo diluculo diei primi sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam sole. Et ecce terrae motus factus erat magnus, angelus nempe domini descenderat de coelo, et accedens devoluit lapidem ab ostio, sedebatque super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur, et vestimentum eius candidum ut nix, prae cuius timore concussi sunt custodes, et facti velut mortui. Et ecce quidam e custodibus venerunt in civitatem, ac renunciaverunt principibus sacerdotum omnia quae acciderant. Et congregati cum senioribus, consilio habito, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quod discipuli eius nocte venerint et furati sint eum nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit a praeside, nos persuadebimus ei, et securos vos faciemus. At illi accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti, et divulgatus est hic sermo apud Iudaeos usque in hodiernum diem. Mulieres ergo quum essent in itinere, dicebant inter sese: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? (erat enim magnus valde.) Et quum respexissent, vident lapidem esse revolutum ab ostio monumenti. Et ingressae in monumentum, non invenerunt corpus domini Iesu, sed viderunt adolescentem sedentem a dextris, amictum stola candida, et expaverunt. Re-

spondens autem angelus, dixit mulieribus: Ne expavescatis, scio quod Iesum quaeritis Nazarenum qui crucifixus est, surrexit, non est hic, surrexit inquam sicut dixit vobis, venite videte locum ubi posuerunt eum. Sed abite et dicite discipulis eius et Petro, quod ille praecedet vos in Galilaeam, ibi eum videbitis quemadmodum dixit vobis.

Historia resurrectionis servatoris nostri Iesu Christi operose et diligentissime ab Evangelistis conscripta est, in usum nimirum ecclesiarum. In qua potissimum ostendunt quomodo humilis ille et contemptus ac crucifixus inter latrones Iesus, post mortem glorificatus sit, et ad quam celsitudinem evectus. Neque enim mors eum detinere poterat, qui et mortem, et eum qui mortis imperium habuit abolevit, liberosque reddidit eos quicunque metu mortis per omnem vitam obnoxii erant servituti. Christi ergo resurrectio vita nostra est et iustitia, quae in hoc variis modis approbata est apostolis, ut fides nostra confirmaretur. Caro enim nostra alioqui gravatim carnis resurrectionem credit, quae sibi impossibilis et absurda videtur. Quod in apostolis videre est, quorum dubitatio vacillans vix tandem post tot evidentissimas demonstrationes eximi potuit. Patitur deus ut sui aliquando tententur et labantur, ut infirmitas eorum manifesta fiat ipsis et aliis, at non cessat eos erigere et confirmare sua virtute, donec plene perficiat, et omnem diffidentiam eximat. Tam abest ut nos propter imbecillitatem abiiciat, ut etiam mulieribus appareat, et eas apostolos suae resurrectionis faciat. Ex amore enim venerant ad monumentum, partim ut viderent monumentum, partim ut ungerent Iesu corpus. Mota est terra in morte Christi, ut ostenderet se condolere creatori suo: in resurrectione item movetur, gestiens reddere eum quem acceperat, resurgenti Christo quasi congratulans. Sed et in spiritus sancti missione motus terrae factus est, ut discamus ex hoc typo, morte et resurrectione Christi, virtute spiritus commovendum esse universum orbem, tum etiam innovandum. Discimus praeterea vana esse consilia impiorum contra veritatem, utcunque enim moliuntur mendaciis veritatem extinguere, effecit tamen deus, ut per ea quae ipsi ad oppressionem veritatis adhibuerunt, veritas clarius emicaret. Merito ergo repudiati et excaecati sunt Iudaei, qui veritatem sunt aversati, ut mendaciis et erroribus involuti perirent, qui per veritatem servari non sustinuerunt. Petro praecipue hoc Evangelium nunciatur, qui in maximo moerore erat, tum propter mortem domini sui quem negando offenderat, tum propter negationem suam, ut consolationem reciperet, et sciret sibi remissum esse peccatum. Resurrectio porro Christi in novam vitam, nos ad innovationem vitae invitat, ut commortui peccatis, iustitiae posthac vivamus. Qui adhuc in sordibus peccatorum iacent ac computrescunt, ostendunt se nondum resurrexisse in Christo. Nam qui vere in Christo surrexerunt, ostendunt hoc fructibus dignis, nec regnat peccatum in corpore eorum mortali. Cogitant non quae super terram, sed mens eorum in coelestibus est sursum, ubi Christus caput eorum sedet ad dexteram patris.

Et abeuntes cito fugerunt a monumento, habebat enim illos

tremor et stupor, neque cuiquam quiddam dicebant, timebant enim. Maria vero Magdalena cucurrit, et venit ad Simonem Petrum, et ad alterum illum discipulum quem amabat Iesus, et dixit illis: Sustulerunt dominum meum e monumento, et nescimus ubi posuerunt eum. Exiit ergo Petrus, et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, et ille alius discipulus praecurrit Petrum, venitque citius ad monumentum. Et quum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introivit, Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum. Et vidit linteamina posita et sudarium quod fuerat super caput eius non cum linteaminibus, sed separatim involutum in unum locum. Tunc ergo introivit, et ille alius discipulus, qui venerat prior ad monumentum, viditque, et credidit. Nondum enim noverant scripturam, quod oportuisset eum a mortuis resurgere. Abierunt ergo rursus discipuli ad semetipsos. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret inclinavit se in monumentum, et videt duos angelos amictos albis, sedentes, unum ad caput, et alterum ad pedes illic, ubi posuerant corpus Iesu. Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis: Sustulerunt dominum meum, nec scio ubi posuerunt eum. Haec quum dixisset, conversa est retrorsum, et videt Iesum stantem, nec sciebat quod Iesus esset. Dicit ei Iesus: Mulier quid ploras? quem quaeris? Illa existimans eum ortulanum esse, dicit ei: Domine si tu asportasti eum, dicito mihi, ubi posueris eum, et ego eum tollam. Dicit ei Iesus: Maria. Conversa illa dicit ei: Rabboni, quod dicitur magister. Dicit illi Iesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum, sed vade ad fratres meos, et dic eis: Ascendo ad patrem meum, et patrem vestrum: deum meum, et deum vestrum. Venit Maria Magdalena annuncians discipulis, quod vidisset dominum, et ea dixisset sibi: renunciavit, inquam, his qui cum illo fuerant lugentibus ac flentibus. Et illi tametsi audissent, quod viveret, ac visus esset ab illa, non crediderunt.

Multis et variis verbis inculcant nobis resurrectionem Christi Evangelistae, ut videamus Christum post mortem exaltatam, et credamus nobis in morte Christi ingressum esse ad vitam, et ut fides ac spes nostra confirmetur. Potuisset quidem Christus mox a morte suorum rectora spiritu suo illustrare, ut de resurrectione nihil dubii superfuisset, sed relinquit in eis dubitationem illam, et infirmitatem, ut eo magis anxii essent in deprecationibus ad deum. Quo magis aegrotus vulnera sua et morbos sentit, hoc magis medicinae cupidus redditur. Sic quo magis in nobis infirmitatem carnis sentimus, hoc magis ad deum pro auxilio accurrimus, et hoc minus in nostra virtute gloriamur, qui extra deum nihil possumus. Quum ergo sentimus fidem nostram labascentem, occasio iam nobis obiicitur indefessis precibus deum interpellandi.

Sensim ergo ducit discipulos divina providentia in cognitionem resurrectionis filii sui, donec plene eos perficiat. Videbant revolutum lapidem, invenerunt monumentum vacuum, sudaria et linteamina seorsim posita, locum in quo iacuerat, angelum deinde testantem quod vere resurrexisset. Hoc vero probe notandum, quod angelus dicit Christum Nazarenum crucifixum non esse illic, quibus verbis opinio illorum plane exploditur, qui Christi corpus post resurrectionem ubique aut non in loco esse contendunt. Illi enim quid aliud faciunt, quam veritatem humanae naturae in Christo negare, et Marcionis dogma ex inferis revocare? Non erat in sepulchro post resurrectionem corpus Christi, quum Mariae Magdalenae appareret, nec erat cum undecim Hierosolymis quum esset cum duobus proficiscentibus Emaum. Ergo non erit in pane, quum iuxta scripturas assumptum in coelos, assideat dexterae patris. Exivit enim Christus a patre et venit in mundum, iterum reliquit mundum, et abiit ad patrem. Non vero reliquit mundum, quatenus deus est, quum nobiscum sit usque ad mundi consummationem: reliquit ergo mundum quatenus homo, hoc est, corpus assumptum e virgine subduxit in coelos in gloriam patris. Hoc fundamentum est catholicae et Christianae fidei et spes electorum omnium, quod dum illi negant aut movent, viderint quid ex Christo faciant, aut quomodo Christiani sint habendi; viderint, inquam, quo fundamento nitantur. Caro Christi etiam post resurrectionem glorificata, vera tamen caro est, nec carnis exuit naturam, licetque spiritualis sit, in spiritum tamen non convertitur, multo minus in deum. Spiritus, inquit Christus, carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Corpus ergo Christi in coelo est, non in pane coenae, quod nec necesse foret nec utile. Etiam post resurrectionem apostolorum oculis subductum est in coelum, quod sic expediebat eorum fidei, quae neque in coena, neque praesentia corporis clarificati firmata fuit, quin semper vacillarent et dubitarent, donec spiritu confirmarentur. Oportet ergo nos ab omni re corporea et visibili animum transferre in coelos, ubi Christus sedet ad dexteram dei, et credere quod Christus corpus suum pro nobis in mortem dederit. Hoc pacto editur corpus Christi non dentibus corporis sed fidei contemplatione. Fides quidem, quae soli deo nititur, corporalibus rebus uti potest, sed non ut iis rebus salus alligetur, et per illa exhibeatur, sed ut fides ac caritas exerceatur. Sic in coena panem et vinum circumferimus, inter nos partimur, et edimus, non quod hac re quasi cultu quodam deum demereamur, sed quod sensus nostri per haec signa externa excitentur, ut gratiam dei in morte Christi nobis exhibitam diligentius expendamus, attollamusque animos nostros sursum in panem vitae Christum, qui propter nos de coelo descendit. Propter nostram ergo infirmitatem sacramenta a Christo instituta sunt, tanquam signa quaedam gratiae et benevolentiae dei erga nos, quae nos excitant ad considerationem promissionum dei, in quibus fides nostra exercetur. Testantur enim qui symbolis utuntur, se fidem habere promissionibus dei, et se esse ex illorum numero qui deum pro deo suo agnoscant, quem spiritu colant, in quem fidant, cui gratias agant etc. Quando vero deus se deum nostrum et patrem benevolentissimum magis declarat

et ostendit, quam dum filium suum nobis se daturum pollicetur et praestat? Quomodo enim non omnia dabit cum filio? aut quid negare potest, qui filium suum unigenitum dedit? Dedit autem eum nobis, non ut puniret aut damnaret, quod commeriti eramus, sed ut per eum servemur, et vitam habeamus aeternam. Dedit eum, ut noster sit totus, ut sit nostra iustitia, sapientia, sanctificatio, redemptio, salus et vita. Quanta haec caritas, quanta gratia? Aeternus dei filius descendit, et naturam nostram adsumit in se, ut per gratiam eius innovati, in divinam quodammodo naturam assumpti, ascendamus. Descendit, ut nos humi repentes ad gloriam suam transferret ac eveheret. Formam servi in se recipit dominus omnium, ut nos natura servos, et gravi quidem servitute pressos, filios dei efficeret. Nostram imbecillitatem in se recepit, ut nos spiritu suo roboraret. Factus est homo, ut nos per gratiam suam in deos quodammodo transformaret. Communicavit nobiscum carne et sanguine, particeps eorundem factus, ut et pueri, nos scilicet, commercium cum eo aeternum haberemus. In summa, per omnia fratribus similis reddi voluit, ut videremus nos habere misericordem et fidelem pontificem in his quae nobis agenda sunt apud deum, qui expiat suo sanguine omnia peccata nostra. Omnia nostra in se suscepit, ut nobis participaret quidquid est et habet. Et hoc est quod ad Magdalenam dicit: 'Ascendo ad patrem meum et patrem vestrum, deum meum et deum vestrum. Vide qualem caritatem dedit nobis pater, ut filii dei nominemur et simus. Quam ob causam non erubescit fratres nos vocare, dicens: 'Vade ad fratres meos etc. Testatur enim spiritus eius nostro spiritui quod filii dei sumus. Non enim spiritum servitutis accepimus ad timorem, sed spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba pater. Est ergo deus pater noster, et deus noster, nos sumus filii eius, cum quibus foedus novum sancitum, et sanguine filii sui confirmatum est, ut iam habeamus societatem et communionem cum patre et filio eius Iesu Christo. Haec tam grandia et amplissima donata sunt nobis a deo, sed per fidem duntaxat recipiuntur a nobis (quae fides et ipsa donum dei est) et intus in spiritu sentiuntur. Nondum enim retecta facie gloriam domini speculamur (ex parte enim cognoscimus, et cernimus per speculum in aenigmate) et nondum apparuit quod futuri sumus, quod bono nostro fit, ut non plene nos perficiat pater dum vivimus in hac carne, sed cognoscendum se et fruendum det nobis gradibus quibusdam, ut discamus humiliter de nobis sentire, et coram patre nostro coelesti in timore dei versari, pendere toti ab eo. Salvi ergo facti sumus, sed in spe, quae spes non iam plane videtur, alioque spes non esset. (Quod enim quis cernit cur idem speret?) Ergo quod non videmus, sed credimus ac speramus, id per patientiam exspectamus. Exercemur interim sub cruce, et subinde perficimur per spiritum eius, in mundo exosi et pressi, ut celerius ad patrem nostrum adspiremus et anhelemus ad patriam nostram coelestem. Peregrini sumus in hoc saeculo, non habentes hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus, exspectantes beatam illam spem, et apparitionem gloriae magni dei, et servatoris nostri Iesu Christi. Scimus autem quum ipse apparuerit, quod similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Et nos

omnes retecta facie gloriam domini repraesentantes in speculo ad imaginem eandem transformamur a gloria in gloriam tanquam a domini spiritu. Hoc significatur et quasi in typo quodam praeformatur, quod Christus se sensim et paulatim gradibus quibusdam post resurrectionem aperit, ut videmus in mulieribus, in euntibus Emaum, in discipulis. Iam in forma apparet peregrini et oculos eorum tenet, iam in ortulani forma adfatur Mariam, iam angelum mittit qui nunciet, iam ipse se nude videndum et contrectandum praebet, iam vetat ne se contrectent, iam Hierosolymis apparet, iam in Galilaea, donec cernentibus ipsis omni dubio expulso palam coelos petit, et spiritum plenum e supernis mittit. Ita differt saepe deus, nec se statim videndum dat, invocatus non statim auxilium mittit, ut corda nostra magis magisque accendantur, et fides clarius emicet. Quis non intelligit, Mariam Magdalenam gravatim avulsam esse a Christo quum eam ad apostolos amandaret? Indubie enim libentius Christo diutius haesisset, contemplatione et fruitione eius animum suum satiasset. At servire proximo magis necessarium tum fuit, ut gaudium hoc, et consolatio tam eximia perferretur ad apostolos. Ubi discimus nos non posse plene perfrui contemplatione divinitatis dum hic vivimus, sed opus est ut per caritatem proximis serviamus. Hoc Paulus agnoscens, Philippensibus scribit in haec verba: Quid eligam ignoro, coarctor enim ex his duobus, desiderans dissolvi, et esse cum Christo, multo longeque melius est. Ceterum manere in carne, magis necessarium propter vos.

Ingressae mulieres monumentum, non invenerunt corpus domini Iesu. Et factum est, dum mente consternatae essent de hoc, ecce duo viri steterunt iuxta illas, in vestibus fulgurantibus. Quum expavissent autem, et declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quaeritis viventem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit, recordamini ut dixerit vobis, quum adhuc in Galilaea esset, dicens: Quod oportuerit filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et die tertio resurgere. Et recordatae sunt verborum eius, et regressae a monumento, nunciaverunt haec omnia illis undecim, et ceteris omnibus. Quum autem issent ad renunciandum discipulis eius, ecce Iesus occurrit illis, dicens: Avete. Illae autem accesserunt et tenuerunt pedes eius, et adoraverunt eum. Tunc ait Iesus illis: Nolite timere, ite, renunciate fratribus meis, ut eant in Galilaeam, ibi me videbunt. Erat autem Maria Magdalena, et Iohanna, et ceterae quae cum eis erant, quae dicebant haec ad apostolos. Et visa sunt apud illos ceu deliramenta verba illarum, neque crediderunt illis.

Variis, ut supra diximus, modis Christus vere se resurrexisse a mortuis declarat, sed iis e quorum pectoribus metus crucis Christum non omnino excusserat, quique eum ardenti fide quaerebant. Caritas sedula est, nec unquam cessat; saepius eundem locum repetunt ac revisunt cupidae servire Christo, quarum ardor nostram ignaviam pudefacit. Quaerunt magnis desideriis absentem, nos praesentem Christum in pauperibus, aut aversamur, aut vix nummulo aliquo dignamur. Illae nullis

laboribus, nullis operibus parcunt, nos ita sumus rebus addicti, ut vacuos abire sinamus. Non ergo frustratur dominus piarum foeminarum desiderium, sed occurrit eis, amice salutat, et sese palpandum praebet, consolatur praeterea; haec omnia fiunt ut firmetur earum imbecilla fides. Nihil ergo dubitemus, quum sumus in afflictionibus et tentationibus, dominum adfore et consolationem allaturum. Quaeramus modo dominum, nec cessemus, donec invenerimus.

Et ecce duo ex illis, ibant eodem die in castellum, quod aberat spatio stadiorum sexaginta ab Hierosolymis, nomine Emaus, et ipsi confabulabantur inter se de iis omnibus quae acciderant. Et factum est dum confabularentur, ac disputarent, et ipse Iesus appropinquans ibat una cum illis, ceterum oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sunt ii sermones, quos confertis inter vos ambulantes, et estis tristes? Respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es Hierosolymis, neque cognovisti quae facta sunt illic hisce diebus? Quibus ille dixit: Quae? Et dixerunt ei: De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens opere et sermone coram deo et toto populo, et quomodo tradiderunt eum summi sacerdotes, et principes nostri in condemnationem mortis, et crucifixerunt eum, nos autem sperabamus eum esse illum qui redempturus esset Israel, atque super haec omnia tertius dies est hodie quod haec facta sunt. Sed et mulieres quaedam ex nobis, attonitos reddiderunt nos, quae diluculo pervenerunt ad monumentum, et non invento corpore eius, venerunt, dicentes, se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicerent eum vivere. Et abierunt quidam eorum qui erant nobiscum ad monumentum, et ita repererunt, sicut mulieres dixerant, ipsum vero non viderunt.

Eodem die, intellige, quo surrexerat dominus, egressi sunt duo ex discipulis illis septuaginta, quos vivens adhuc elegerat. Apparet discipulos illos fugam voluisse capessere, ex metu nimirum persequutionis, quam sibi imminere autumabant. Docet autem haec historia verum esse, quod Christus pollicetur, se fore scilicet vel cum duobus, qui nomine suo convenerint. Deus suis semper adest, etiam dum illi hoc minime considerant, ingerit se eorum mentibus, suggerit consilia, et innotescit se eis. Deinde et foris loquitur per verbum, per sacramenta, per omnes denique creaturas, ut excitet nos, et ad sui laudem provocet. Adest ergo nobis semper et ubique deus, arbiter et inspector non operum modo omnium, sed et cogitatuum. Hoc docet nos, ut honeste et cum timore, ac summa reverentia coram eo vivamus. Nam si pudet nos spectantibus hominibus designare turpia, quanto magis pudere debet coram oculis dei? Praesentia ergo dei ubique monet, ut a peccatis abstineamus. Nos sperabamus (inquiunt) eum esse illum qui redempturus esset Israelem. Ex istis verbis colligi potest, solennem et celebrem fuisse tum opinionem inter Iudaeos, de Messia rege scilicet, qui eos redempturus esset, et regnum eorum instauraturus. Nam talis eis ubique promissus erat in lege et prophetis. At illi totum hoc ad

temporale quoddam regnum, et carnalem liberationem traxerunt: tametsi nostri Iudaei hodie negent Messiam promissum, quum tamen Magis quaerentibus Christum, a scribis responsum sit eum in Bethleem nasci debere, idque ex prophetia Michaeae. Infirma est et imbecillis fides illorum, attamen non omnino extincta: loquebantur de Iesu, ardebant eum. Illis ergo se iungit Christus, et primum dissimulat nec statim aperit sese illis, ut eorum infirmitas suo ipsorum ore manifesta fiat. Tum tandem scripturas adhibet, et igniculum illum qui alte sepultus erat, fovet et excitat, quod ipsi fatentur, dicentes: Nonne cor nostrum ardebat, dum nobis loqueretur? Exemplo Christi haesitantibus in fide, adhibendum est verbum, de quo vides tanquam ignis appositis lignis augetur. Oportet autem prius fidem vel tenuissimam adesse, alioqui frustra ligna adhibueris, hoc est in fideli frustra verbum dei praedicaris. Ubi vero fideles libenter verbum dei audiunt, fieri non potest, quin mens per spiritum dei illustretur et accendatur.

Et ipse dixit ad eos: O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quae loquuti sunt prophetae. Nonne haec oportuit pati Christum, et introire in gloriam suam? Exorsus autem a Mose et omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quae de ipso erant. Et appropinquaverunt castello quo ibant, et ipse prae se ferebat se longius iturum. Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam vergit ad vesperam, et inclinata est dies. Et introivit ut maneret cum illis. Et factum est dum accumberet cum eis, accepit panem et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, et agnoverunt eum, et ipsi evanuit a conspectu eorum. Et dixerunt inter sese: Nonne cor nostrum ardebat in nobis, dum loqueretur nobis in via, et aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadem hora, regressi sunt Hierosolymam, et invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum illis erant, qui dicebant: Surrexit dominus vere, et apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quae gesta erant in via, et quomodo fuisset agnitus ipsis ex fractione panis.

Christus fidem eorum utcunque imbecillem fovet, adhibita primum increpatione, ut redderet eos attentiores. Excutit veternum et oblivionem carnis, ut aciem mentis in ea intendant quae scripturae de ipso testantur, eruantque spiritum in eis loquentem. Loci autem, quos Christus ex lege et prophetis adduxit, non sine dei providentia omissi hic sunt, (licet ab apostolis sparsim citentur subinde) ut nos hoc diligentius illos scrutemur, quum audiamus scripturas testimonium ferre Christo. Sic enim dicit Ioannis 5. Scrutamini scripturas, quia vos videmini vobis in ipsis vitam aeternam habere, et illae sunt quae testantur de me. Si Mosi credidissetis, credidissetis utique mihi, de me enim ille scripsit. Qui ergo infirmos in fide confirmare, et moestos atque pusillanimes consolari volet, scripturas sacras afferat, verbum enim dei cibus et vita est animae. Duo autem testantur scripturae de Christo: primo qualiter sit nostri causa humilitatus et deiectus, et quid

nostri causa passus sit: deinde ad quantam gloriam post passionem evectus. Ut discamus et nos Christum pro nobis passum ut satisfaceret pro nostris peccatis, idque firmiter credamus. Post haec resurrexisse eum propter nostri iustificationem, ut credamus iustitiam Christi nostram esse, et vitam nobis in Christo restitutam, quum speremus nos resurrecturos ad aeternam vitam. At interim observandum qua via ad hanc vitam perveniatur, nempe per crucem et sui ipsius abnegationem. Nec enim fas est, ut ad haereditatem coelestis gloriae alia via grassemur, quam qua filius unigenitus dei. Oportuit autem pati Christum, et sic introire in gloriam suam. Qui haec non expendit stultus est et tardus corde, is petat deum, ut ei mentem in scripturis sanctis aperiat. Notandum et hoc, quod poenitentia et remissio in solius Christi nomine praedicanda est. Intelligit autem per poenitentiam et remissionem peccatorum evangelium. Nam evangelii partes sunt poenitentia et remissio peccatorum. Multa enim nomina habet salus per Christum parta, aliquando altero tantum nomine nominatur, idque per Synecdochen, ut ex Actis apostolorum colligere licet. Qui se peccatorem non agnoscit, remissionis capax esse non potest, nec salutis per Christum avidus. Qui vero morbum sentit et agnoscit, is ad Christum animarum medicum avide currit, et illic morbum suum detegit ac deponit. Gaudet vera fides aliis communicare quae accepit, ideo statim regressi nova gaudia ceteris nunciant.

Dum haec loquerentur (erat autem vespera illo ipso die qui erat primus sabbatorum, et erant fores clausae, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudaeorum) venit Iesus, stetitque in medio eorum, et dicit eis: Pax vobis. Expavefacti vero et conterriti, existimabant se spiritum videre, et dixit eis: Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in cordibus vestris? Et rursus dixit eis: Pax vobis. Et haec dicens, ostendit eis manus et latus suum. Et simul dixit: Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum, contrectate me, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Gavisi sunt ergo discipuli viso domino. Adhuc autem illis non credentibus prae gaudio et mirantibus, dixit eis: Habetis hic aliquid edulii? (Discumbentibus enim illis undecim apparuit, et exprobravit illis incredulitatem suam, et cordis duriciem, quod iis qui se vidissent resurrexisse non credidissent.) At illi obtulerunt ei partem piscis assi, et aliquid de favo apiario, et accepit et in conspectu illorum edit.

Rursus videmus Christum adesse iuxta promissionem suis, qui nomine suo congregantur et conveniunt. Nec enim metus facit quo minus sint cari Christo. Et in fidelibus est metus et pavor, at hos erigere debent qui spiritu magis valent. Nam hoc est quod Christus dicit: In mundo pressuram habebitis, in me pacem. Semper ergo erunt qui persequentur iustos, ut caro in eis nunquam futura sit sine metu et querela. At pii perstant in voluntate dei, donec domino visum fuerit, ut liberet, utcunque interim caro eorum reluctetur et quiritetur. Quid vero corpori glorificato opus fuit cibo? Non comedit ut corpus reficeret, quod cibo corporali

ad necessitatem minime utebatur, sed ut veritatem humanae naturae in se suis comprobaret. Edit ergo non sibi, sed apostolis. Sic et nos faciamus ea quae faciunt ad aedificationem proximorum, etiamsi illarum rerum faciendarum nobis nulla sit necessitas. Debemus enim non nobis, sed proximis vivere et servire.

Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alii discipuli: Vidimus dominum. Ille autem dixit: Nisi videro in manibus eius vestigium clavorum, et mittam digitum meum in vestigium clavorum, et mittam manum meam in latus eius, non credam. Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, et Thomas cum eis, venit Iesus ianuis clausis, et stetit in medio et dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomae: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et admove manum tuam, et immitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed credens. Respondit Thomas, et dixit ei: Dominus meus et deus meus. Dicit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt et crediderunt. Multa quidem et alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in hoc libro. Haec autem scripta sunt, ut credatis quod Iesus est filius dei, et ut credentes vitam habeatis per nomen eius.

Quod Ioannes dicit Thomam non fuisse cum eis, Lucas vero undecim nominat, Synecdocha reconciliari poterit. Thomas enim et si corpore non fuit cum eis, animo tamen adfuit, nec erat ab eis separatus ut Iudas; ex numero undecim erat, quo respexit Lucas. Fores fuisse clausas, Iesumque foribus clausis introiisse evangelista Ioannes testatur. Neque tamen sequitur absurdum hoc et impossibile, quod quidam hinc colligunt, corpus Christi substantiam ligni penetrasse, aut simul cum ligno in eodem loco fuisse. Nam corpus clarificatum alia ratione introire potest. Sol intrat per vitrum, et vox per ianuam, nec mox sequitur duo corpora in eodem loco esse. Quod Thomas incredulus et praedurus cum ceteris non fuit quando Iesus apparuit, et quod sociis revelantibus pertinacius reclamat, non est factum temere aut sine numinis providentia. Usus enim est Christus incredulitate Thomae ad fulciendam fidem nostram, ut veritas resurrectionis eius clarius innotesceret. Et fides infirma Thomae fortius testimonium tulit resurrectioni, quam Magdalenae facilis et cita credulitas. Sic novit dominus malis nostris abuti ad suam gloriam et nostram salutem. Fides donum dei est, nec quisquam credere potest nisi deus det. Observandum itaque tria esse genera hominum, quae ex praesenti historia colligi possunt: Iudas, Petrus et Thomas. Iudas perfidus est et transfuga, qui prodit innocentem. Petrus negat et iurat. Thomas dubitat et pertinacius reclamat. Hinc discimus primum, magnum esse discrimen, et gradus quosdam in peccatis. Nemo sane sine crimine vivit, et omnes sumus peccatores, at alius alio gravius peccat. Opera ergo nobis danda est, ut moriamur peccatis quotidie, et regeneremur in novos homines, quod si non possumus omnia cavere peccata, caveamus tamen a pessimis. Si dolemus

et flemus cum Petro, respiciet nos deus, et misericordiam impertiet. Si dubitamus et vacillamus fide, non relinquamus ecclesiam, non scindamus unitatem, non separemus nos a fratribus, et apparebit nobis dominus cum Thoma, et firmabit nostram imbecillitatem. Caveamus autem ab avaritia, a perfidia, et proditione, ne cum Iuda turpissime pereamus. Petri et Thomae infirmitas ac dubitatio in hoc vehementer profuit, ut discamus nostram imbecillitatem, deique potentiam agnoscere. Videte, inquit Paulus, vocationem vestram fratres, quod non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi claro genere nati, verum quae stulta erant secundum mundum delegit deus, ut pudefaceret sapientes etc. ne gloriaretur ulla caro coram ipso, ne videretur virtus nostra sed dei, ne gloriari possemus nostra eruditione, nostra sapientia, aut virtute immutari homines, sed agnosceremus illud esse merum dei beneficium, et spiritus divini operationem. Porro, si quis de fide Christiana dubitet, aut imposturam ac collusionem eam esse dicat, quemadmodum Porphyrius et Symmachus impiissimi Christianae religionis blasphematores, possunt hinc argumenta ad confirmationem nostrae fidei desumi. Nam si dolus fuisset Christi doctrina, nihil poenituisset Iudam proditionis suae, nihil puduisset eum ad reliquos apostolos reverti, nihil opus pecuniam restituere et dicere: Peccavi in sanguinem innoxium. Nebulones enim et male sibi conscii, etiam si aliquando inter se dissident, facile rursus coeunt, et amicitiam redintegrant. At Iudas ad apostolos redire non audet, sed mortem sibi ipsi desperans consciscit. Quid vero opus fuisset Petro tam amaris lacrymis? Nec et ille reversus fuisset ad apostolos, si alicuius doli fuisset sibi conscius. Sed cupidus erat veritatis et amans iustitiae. Et Thomas sectatus est iustum, bonum, et aequum, utcunque vacillaret. Quod ergo Petrus angitur, quod Thomas indicia maiora quaerit ac postulat, argumentum est firmum, Christi doctrinam et religionem veram esse et veritate subnixam, non fucis aut dolo. Veritas quam in Christo conspiciunt ac reperiunt, trahit eos, ut tantopere cum eo in gratiam redire laborent. Natura et ratio corporis glorificati non habet ut contrectetur aut ut sentiat, sed servator et amator animarum pusillis in fide succurrit. Palpandum ergo et contrectandum se eis praebet, ut fidem resurrectionis in eis confirmet. Thomas non simpliciter infidelis est, sed de resurrectione tantum dubitat. Ostendit ergo Christus eis vestigia et cicatrices vulnerum, ut videant idem esse corpus quod in crucem actum erat, ut approbet eis se vere a mortuis in novam vitam resurrexisse et quidem eodem corpore. Quasi diceret: Videte et cognoscite me, me inquam, qui passus sum et crucifixus pro vobis, vere a mortuis resurrexisse, ut credatis et corpora vestra resurrectura. Hoc urget Paulus quum dicit: Si confessus fueris ore tuo dominum Iesum, et credideris in corde tuo, quod deus excitavit illum a mortuis, salvus eris. Et rursus: Si spiritus eius qui excitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis, is qui excitavit Christum ex mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter ipsius spiritum inhabitantem in vobis. Discamus et nos a capite nostro infirmos in fide recipere, fovere, ac patienter ferre. Dominus meus et deus meus. Haec est confessio solidae et verae fidei. Quasi dicat: Iam

scio te esse verum deum, quando surrexisti a mortuis, tu tandem deus meus esse debes, parce incredulitati meae etc. Beati qui non viderunt et crediderunt, me scilicet non vident corporaliter praesentem. Quasi dicat: Ego non semper praebebo me cunctis palpandum, auferam carnalem istam praesentiam, fide oportet me attrectare, et contingere: beati ergo qui meum corpus non sic vident resurrexisse quemadmodum tu, et qui illud non contrectant, sed credunt interim me vere resurrexisse. Nam ad praesentem rem loquitur Christus, et perstat in argumento resurrectionis, alioqui, quidquid aliquis non videret et crederet, fides esset. Hoc dico propter eos qui haec verba Christi ad sacramentum Eucharistiae retortis crinibus trahunt, volentes iis verbis probare, quod fides illorum, qui credunt corpus Christi esse in pane potior sit, quam illorum qui panem dicunt esse corporis signum. Illi non animadvertunt Christum hic non de Eucharistia loqui, sed fidem resurrectionis astruere. Qui credit Christum crucifixum, et eundem rursus resurrexisse, hic beatus est, tametsi hoc oculis corporeis non viderit ut Thomas. Alioqui duae essent viae ad salutem, una, credere Christum pro nobis passum esse, et resurrexisse; altera, credere quod corpus Christi sit in pane. Quam vero hoc sit absurdum, et a fide alienum, nemo est qui non intelligat. Hoc etiam notandum quod credere hic quum dicitur: Quoniam vidisti et credidisti, non proprie capitur sed abusive. Nam quod videt quis, idem non credit. Dicit enim Paulus: Fidem esse hypostasin et certitudinem invisibilis rei. Fides ergo hic pro experientia capitur, et credere pro experiri. Multa quidem et alia etc. Quasi dicat Ioannes: Diligenter contuli et scripsi gesta Christi, tametsi non omnia: quis enim hoc posset? Veruntamen quae scripta sunt, satis sunt ad nostram salutem, nempe, quae pertinent ad divinitatem et humanitatem Christi, ad doctrinam eius et miracula, quidquid denique pertinet ad veram fidem qua salvamur et ad vitam aeternam acquirendam. Qui hisce quae relicta sunt non credit, nec aliis, si scripta essent, crederet. Credentibus ergo haec satis sunt, nec plura quaerunt. Magna ergo veneratione et summo studio a nobis legenda et observanda sunt, quae Evangelista propter nostram salutem scripta testatur. In his versemur et meditemur die et nocte, ut fulciatur fides nostra, ut spes roboretur, accendatur caritas, exerceatur patientia, obedientia, modestia, et quidquid est spiritualium charismatum promoveatur. Stulti vero ne dicam impii sunt, qui ex his verbis probare contendunt, licere pontificibus, ut alia quaedam pro sua libidine comminiscantur et confingant, ut resarciant quae sint hic omissa. Nam Ioannes Evangelista totius religionis Christianae summam universam brevibus est complexus, nempe, quod Christus Iesus sit verus filius dei, qui propter salutem nostram e coelis descenderit, mortuus sit et resurrexerit, et nobis vitam aeternam pararit: quid ad haec illi adiicere possunt?

Postea manifestavit se iterum Iesus ad mare Tiberiadis, manifestavit autem sic. Erant simul Simon Petrus, et Thomas, qui dicitur Didymus, et Nathanael, qui erat a Cana Galilaeae, et filii

Zebedaei, aliique ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscatum. Dicunt ei: Venimus et nos tecum. Exierunt et ascenderunt in navim statim, et illa nocte nihil ceperunt. Mane autem iam facto, stetit Iesus in littore, non tamen cognoverunt eum discipuli, quod Iesus esset. Dicit eis: Pueri, num quid opsonii habetis? Responderunt ei: Non. At ille dixit eis: Mittite in dexteram navigii partem rete, et invenietis. Miserunt ergo, et iám non valebant illud trahere prae multitudine piscium. Dicit ergo discipulus ille quem diligebat Iesus Petro: Dominus est. Simon ergo Petrus quum audisset quod dominus esset, tunica succinxit se (erat enim nudus) et misit se in mare. Alii autem discipuli navigiolo venerunt, non enim longe aberant a terra, sed circiter cubitis ducentis, trahentes rete piscium. Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum, et panem. Dicit eis Iesus: Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et quum tot essent, non est scissum rete. Dicit eis Iesus: Venite prandete. Et nemo discipulorum audebat interrogare eum ut diceret: Tu quis es? quum scirent quod dominus esset. Venit itaque Iesus, et accipit panem, et dat eis, et piscem similiter. Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis, quum resurrexisset a mortuis.

Quo magis ascensioni appropinquat dominus, hoc magis ad futurum officium animos discipulorum parat, firmata prius fide resurrectionis suae. A piscatura eos ad se vocaverat antea, ut porro homines verbi praedicatione caperent. Refricat ergò priora, et miraculo novo excitat, ut meminerint ad quale officium sint asciti, et quid fructus in hoc allaturi, non quidem sua ipsorum virtute, sed dei. Nihil enim ceperant antequam Christus eis appareret. Frustra est omnis labor noster, ubi non accesserit spiritus sancti operatio et verbi divini vis. Quidquid vero ceperimus, quidquid fructus ex praedicatione nostra provenerit, hoc totum domini beneficio adscribendum fuerit, agnoscamus quod dominus adfuerit ac successum dederit. Pisces, hoc est, homines e procelloso mari reti evangelico extractos, non nobis, sed domino adducamus. Adumbratur interim gentium multitudo per apostolos attrahenda ad Christum. Est autem pervenusta similitudo retis ad ecclesiam, ut Christus Matth. 13. docet.

Quum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon diligis me plus iis? Dicit ei: Etiam domine, tu scis quod amem te. Dicit ei: Pasce oves meas. Dicit ei rursus: Simon Ioannis diligis me? Ait illi: Etiam domine, tu scis quod amem te. Dicit ei: Pasce oves meas. Dicit ei tertio: Simon Ioannis amas me? Indoluit Petrus, quod dixisset sibi tertio, Amas me, dixitque ei: Tu omnia nosti, tu scis quod amem te. Dicit ei Iesus: Pasce oves meas.

Aperitur hic sinus misericordiae divinae peccatoribus in Petro, qui

quum graviter esset lapsus, in integrum tamen a domino restituitur, tam abest ut Christus eum reiiciat, ut ei agnos suos pascendos committat. Nemo ergo desperet, sed ad Christum pignus gratiae se conferat. Trinae negationi, trina confessio opponitur, et simul in typo forma quaedam pastoribus ecclesiae Christi praescribitur, quam sequantur, nempe, ut ex Christi amore oves suas pascant. Petrus de novo quasi inauguratur apostolico muneri ex Christi gratia, a quo negando culpa sua merito exciderat, ut superabundet gratia, ubi delictum abundaverat. Caritatem, quae finis et scopus est omnium legum et praeceptorum, a ministris suis requirit Christus. Ex caritate autem dei, caritas in proximum nascitur. Ardere charitate pectus debet, quod praedicare Christum caeteris volet, nam si ignis caritatis intus non arserit, frigida et ieiuna erunt omnia quaecunque loquetur et aget. Zelum quendam adesse oportet promovendi gloriam dei, et salutem proximorum, quo dum bona pars ministrorum caret, mirum non est, quod parum promoveant: caritate enim frigente, omnium scelerum turbam subnasci necesse est. Hinc tantus tepor, negligentia, socordia, hinc est quod elumbes sunt leges magistratuum, hinc tot scelera inundant, et sanguis sanguinem tangit, (ut inquit propheta) quod hypocritae sunt qui pastorum locum occupant, ne dicam lupi, et cum sublatissima voce in vitia principum, magistratuum et plebis intonare deberent, canes sunt muti, sua quaerentes non quae Iesu Christi. Et principes quidam tales sibi adhibent doctores, hi scilicet quibus aures pruriunt, a veritate aversi ad fabulasque conversi, tales scilicet doctores qui suis adfectibus blandiantur, dulciter quidem de evangelio et docte disserere permittentes, modo ulcus et hypulon quo laborant illi, ne tangant. Connivent ergo ad turpissima quaedam quae ab illis committuntur, nec increpare eos pro apostolica auctoritate et Christiana libertate audent. Quotus quisque hodie eorum est, qui in aulis principum evangelium praedicant, aut apud eos apud quos rerum est summa, qui vocem ut tubam exaltent, et dicant cum propheta, Principes tui socii sunt furum, proditores, perfidi, desertores gloriae dei, verae religionis, et publicae iustitiae? ludunt, scortantur, perpotant, et interim collabitur omnis iustitia, Turca Christianae religionis terras occupat, dum illi inter se ut rana et mus certant, et turpissimis affectibus indulgent. Luxus et fastus et omnis generis libido tantum non in urbibus ac aulis regnant, at rari sunt qui se aereum murum illis opponant, et rupturam sepis reficiant. Cogitent hi quo amore Christum prosequantur, cogitent quantus thesaurus illis sit concreditus, nempe, peculium sanguine Christi adquisitum. Expendant qua poena in perfidos ministros animadversurus sit dominus, quum rationem exacturus redierit: dissecabit eum, inquit Christus, et partem suam ponet cum hypocritis.

Amen amen dico tibi, quum esses iunior, cingebas te, et ambulabas quo volebas, quum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo non vis. Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset deum. Et quum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me. Conversus Petrus, videt illum discipulum,

quem diligebat Iesus sequentem, qui et recubuit in coena super pectus eius, et dixerat: Domine, quis est qui te tradit? Hunc ergo quum vidisset Petrus, dicit Iesu: Domine, hic autem quid? Dicit ei Iesus: Si eum velim manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. Exiit ergo sermo iste inter fratres quod discipulus ille non moreretur, et non dixerat Iesus: Non moritur, sed: Si eum velim manere donec veniam, quid ad te? Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de iis, et scripsit haec et scimus quod verum est testimonium eius. Sunt autem et alia multa quae fecit Iesus, quae si scribantur per singula, nec ipse, opinor, mundus caperet eos, qui scriberentur, libros.

Quae Petro dicta sunt a Christo, omnibus nobis dicta esse putemus, ut scilicet individuae Christum sequamur, et ipsi haereamus, securi alienarum rerum. Invigilet quisque suo officio, ne curiose aliorum dicta et facta scrutetur aut perquirat, ne valeat plus apud nos affectus, quam dei imperium. Sit voluntas dei regula nostrae vitae, cuius rationem exigere a deo nefas fuerit. Et quamvis haec omnibus dicta sunt, in primis tamen ad ministros verbi pertinent, ut sine cunctatione, abiectis omnibus, summo studio Christum sequantur, pro ipsius gloria non solum res suas, sed et vitam perdere parati. Non est servus maior domino suo. Et maxima est gloria pro Christo mortem oppetere.

Undecim autem discipuli abierunt in Galilaeam, in montem ubi constituerat illis Iesus. Et quum vidissent illum, adoraverunt eum, quidam autem dubitaverunt, quorum incredulitate increpita dixit: Haec sunt verba quae loquutus sum vobis, quum adhuc vobiscum essem, quod necesse foret impleri omnia, quae scripta sunt in lege Mosis, prophetis, et Psalmis de me. Tunc aperuit illorum mentem, ut intelligerent scripturas, et dixit eis: Sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertio die, et praedicari sub nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, initio facto ab Hierosolymis. Vos autem testes horum. Et ecce ego mitto promissum patris mei super vos. Vos autem sedete in civitate Hierusalem, quoadusque induamini virtute ex alto.

Percusso pastore, iuxta prophetiam, oves dispersae sunt. At postquam surrexero (inquit Christus) praecedam vos in Galilaea. Et angelus haec verba refricans, dixit: Ite, dicite discipulis quod dominus surrexerit, et praecedet vos in Galilaea. Hoc completum iam esse Evangelista Matthaeus testatur. Quid sit praedicare poenitentiam et remissionem peccatorum per nomen Christi, superius dictum est. Initium autem fit Hierosolymis inter Iudaeos, propter quos venit Iesus. Interim tamen gaudeamus et nos in sortem illorum vocatos esse, et grati simus, ne et nos iterum excindamur. Oportuit Christum pati, ut sacrificium fieret expiandis nostris peccatis, per quod satisfieret divinae iustitiae. Resurgere vero a mortuis oportuit, ut nos a morte peccatorum resuscitatos deo patri iustos statueret, et futurae vitae participes faceret.

Et accedens Iesus, loquutus est discipulis suis, dicens: Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra, sicut me misit pater, ita et ego mitto vos. Haec quum dixisset, flavit in eos, et dicit eis: Accipite spiritum sanctum, quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis, quorumcunque retinueritis, retenta sunt. Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen patris, et filii, et spiritus sancti, docentes eos servare omnia, quaecunque praecepi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Ite ergo in mundum universum, et praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Porro signa eos qui crediderint haec subsequentur: Per nomen meum daemonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si quid laetale biberint non nocebit eis. Super aegrotos manus imponent, et bene habebunt.

Approbata discipulis sua resurrectione, ostendit Christus ad quantam gloriam sit evehendus, ut et ipsi in cruce persisterent, scientes sibi aeternam cum Christo gloriam paratam. Dicit autem sibi datam esse omnem potestatem tam coeli quam terrae, ut intelligamus quantum habeamus dominum, in cuius manu omnia sita sunt. Nemo autem omnium rerum summam in manu sua habet, qui non idem sit deus. Nec enim gloriam suam alteri dat deus, ut testatur Esaias. Ne ergo metuemus dum viles homunciones nobis minantur, et in nos conspirant, confugiamus ad dominum nostrum, sub cuius praesidio tuti erimus. Et si adhuc quidam sunt qui dicant: Nolumus hunc regnare super nos, et abiiciamus vincula eorum e cervicibus nostris, qui talem ac tantum servatorem et regem nondum agnoscunt, sed moliuntur regnum eius excindere, subdentur tamen huiusmodi perduelliones velint nolint illius imperio, et fient scabellum pedum eius. Quos rex regum et dominus dominantium virga ferrea conteret, et tanquam vas figuli confringet, regnabitque ipse in saecula. Hactenus, inquit, servivi vobis in summa humilitate, contumeliis et omni genere malorum affectus, iam tempus adest quo me pater vult glorificare ea gloria quam ab aeterno habui, ut mihi omne genu curuetur et agnoscat totus mundus me esse servatorem, per quem omnibus pateat aditus ad deum. Vos huius rei testes delegi, quos mitto in universum mundum, ut hoc gaudium annuncietis omnibus, me scilicet descendisse e coelo, vicisse mortem, et aperuisse miseris mortalibus viam ad coelum sublata morte et inferis. Non Iudaeis tantum haec praedicate, quod primum mandaram, ut fidem promissionum mearum servarem, ite iam et ad gentes universas, et vocate eas ad consortium gloriae meae. Quum haec praedicaveritis per orbem, variis insidiis et technis vos adorientur impii, eritis exosi omnibus hominibus propter nomen meum, sed este intrepido animo, ego vici mundum, in me et vos omnes hostes vincetis, mihi enim data est omnis potestas in coelo et in terra. Ego semper vobis adero, et contra omnium incursiones defendam. Et si subtraho vobis iam corporalem meam praesentiam, quod vobis utile erit, ero tamen vobiscum usque ad saeculi finem

virtute mea, spiritu meo et gratia mea. Haec pollicitatio non discipulis modo facta est, sed omnibus credentibus, nam apostoli non vixerunt usque ad finem mundi. Haec maxima consolatio est in adversis, expendere potentiam et regnum Christi. Qui hac petra nituntur, contra hos ne inferorum portae quidquam valebunt. Sicut misit me pater. Haec per comparationem dicta intelligamus, non per aequiparationem. Quasi dicat: Pater misit me ut praedicarem et pro veritate morerer, vos idem facite. In hoc vero dissimile est quod Christi mors salutaris fuit toti mundo, et expiatio pro totius mundi peccatis, non sic discipulorum nec nostra. Christus a patre missus est ut sit salus et vita totius mundi, non sic mittuntur apostoli, sed ut hanc salutem et vitam mundo annuncient. Dat eis spiritum sanctum, ut intelligamus eum indigere spiritu sancto, qui infracto pectore praedicare velit evangelium. Nihil enim potest homo sua virtute, nisi superna virtute induatur et iuvetur. Mittit autem ministros suos, ut salutem hominibus annuncient, non ut opibus inhient, quaestum faciant, lucrum quaerant, gloriam venentur, fastu turgeant, libidine subent. Non sic misit pater filium suum, nec Christus hisce rebus studuit. Misit eum ut veritatem praedicaret, ut cognitionem et verum cultum dei doceret, ut forma servi accepta omnibus serviret, ut patri obediret usque ad mortem crucis, ut omnium odia et contumelias in se susciperet, et inter haec omnibus benefaceret, omnesque servaret. In his Christum sequantur, qui ad praedicandi officium sunt delecti, non faciant suam voluntatem, sed voluntatem eius qui misit eos. Ad haec spiritum sanctum a patre precentur, qui haec in eis operetur et perficiat. Quorum remiseritis peccata. Id quod impersonaliter dici potuit, personae attribuit, quod more fit Hebraico, qui non raro quod personae est impersonaliter eloquuntur: rursus quod impersonale est, personae attribuunt. Sic Germanice dicimus: Nun gange einer hin vnd ſage ich habe diſes geredt; vel in eodem sensu: Nun gang du hin vnd ſag ich habe das geredt ꝛc. Quum autem dicit: Quorum remiseritis peccata, periphrasis est et definitio evangelii. Quid enim est evangelium? Quod deus pater misit filium suum, ut expiet et remittat hominibus peccata. Qui ergo remissionem praedicat peccatorum, evangelium praedicat. Quasi diceret Christus: Quibuscunque vos Evangelium praedicabitis, et ipsi hoc receperint, his remissa sunt peccata. Nam Marci ultimo eandem sententiam clarius exprimit, dicens: Praedicate Evangelium omni creaturae, qui crediderit salvus erit, qui non crediderit condemnabitur. Qui crediderit praedicato scilicet a vobis evangelio. Remissio igitur peccatorum tribuitur apostolis, eo quod ipsi hoc praedicant per quod remittitur peccatum, praedicant enim evangelium vel ipsum Christum, seu gratiam dei per Christum per quam remittuntur peccata. Est ergo sensus: Quorum remiseritis peccata, id est, quibus vos remissionem peccatorum annunciabitis, et ipsi evangelio a vobis praedicato crediderint, iis remissa sunt peccata. Hoc ergo diligenter notemus, tribui apostolis quod solius est dei. Nam quod certa sit hominis conscientia deum esse patrem, remissa esse peccata, placatam iram dei, divino datur spiritu, non praedicatione aut voce hominis. Quandoquidem vero apostolus instrumentum est,

per quod deus hominibus salutem annunciat, et pars (ut ita dicam) quaedam, per quam deus gratiam suam praedicari vult, dignatione quadam sic loquitur, et propter coniunctionem et communicationem quam membra habent cum capite tribuit saepe nobis quod sui solius est. Deus operatur omnia in omnibus, nihil est qui rigat, nihil qui plantat, sed qui incrementum dat deus. Is deus omnia facit, movet os et plectrum praedicantis, trahit et illustrat cor audientis. Idem ergo verbum est: Quorum remiseritis peccata, illis sunt remissa; et: Qui crediderit salvus erit. Marci tamen verba clariora sunt. Nam ligare et solvere obscuriora sunt, quam credere et non credere praedicantibus. Nobis inquam, non apostolis Christi obscuriora sunt. Ligare ergo, est praedicare evangelium; cui qui non credit, ligatus est. Solvere contra, est praedicare evangelium; cui qui credit, solutus est a peccatis suis. Ioannes verba Matthaei cap. 16. repetiit. Baptizate eos in nomen etc. Mihi videtur baptizare in toto novo testamento fere pro initiare et inaugurari accipi, ne quis pertinacius literam urgeat, ut faciunt Catabaptistae. Baptizate eos, id est, initiate eos Christo, atque inserite in nomen patris, filii, et spiritus sancti, id est, in cognitionem, potentiam et virtutem patris, filii, et spiritus sancti, eos aqua et doctrina inducite. Sed de hoc alias contra Catabaptistas, et infra latius. Qui crediderit. Salus et vita aeterna electione constat, neque enim manus eius clausa est aut abbreviata, ut inter gentes neminem servet. Potest enim deus infundere fidem in cor gentium, quam deinde operibus comprobant et ostendunt, qualiter non temere de Socrate, Seneca, aliisque multis sentio. Dicat quis: Sed non crediderunt. Respondeo: Si non credunt, non servantur. Debent ergo verba Christi hoc sensu accipi, ut dicta sint de illis quibus praedicatum est evangelium, qui si praedicato evangelio non credunt, damnantur. Dicit enim Christus: Si non venissem, et loquutus eis fuissem, peccatum non haberent. Is ergo locus: Qui non crediderit condemnabitur, nihil ad eos pertinet, quibus evangelium nunquam praedicatur. Nam etsi illis evangelium externum de Christo non praedicatur, per Christum tamen potest eos servare deus. Quicunque enim servantur, per Christum servantur, hoc est, per misericordiam dei quam mundo in Christo obtulit. Nemo enim tam iustus tamque innocens esse potest, qui coram iustitia dei consistere possit. Omnibus ergo ad misericordiam dei per Christum confugiendum. Signa autem credentes sequentur. Haec promissio est, quae per synekdocham intelligi debet. Nam apostoli signa plurima fecerunt, dum opus fuit. Quod autem hodie nulla signa faciunt praedicatores verbi, promissionem Christi non eneruat. Nam tum signa fieri necesse erat, ut novum hoc et insolitum negotium, quo totus mundus innovandus erat, confirmaretur praedicantibus apostolis, et excitarentur animi ad percipiendam doctrinam apostolicam. Iam vero obsignata est Christi doctrina et apostolorum, variis signis, quibus qui non credit, nec praesentibus crederet. Observetur ordo. Primum deliguntur ministri verbi a Christo. Deinde instruuntur verbo eius et doctrina. Tertio confirmantur spiritu. Quarto mittuntur ad praedicandum evangelium. Qui sese arte aut vi intrudunt, qui non mittuntur, non praedicant, aut

non praedicant evangelium, qui sua quaerunt non quae Iesu Christi, non sunt ministri Christi, sed fures, latrones et lupi.

HACTENUS DE RESURRECTIONE DOMINI GLORIOSA, NUNC DE EIUS ASCENSIONE IN COELOS.

Eduxit Iesus discipulos suos foras usque in Bethaniam, et congregans eos in idem loci, loquitur eis de regno dei, praecepitque eis, ne Hierosolymis discederent, sed ut expectarent promissum patris, de quo inquit: Audistis ex me, quoniam Ioannes baptizavit quidem aqua, vos autem baptizabimini spiritu sancto post dies hosce non multos. Illi igitur quum convenissent, percontabantur illum, dicentes: Domine, num in tempore hoc restitues regnum Israeli? Dixit autem ille ad eos: Non est vestrum nosse tempora et articulos temporum, quos pater posuit in sua potestate, sed accipietis virtutem, posteaquam spiritus sanctus advenerit super vos, et eritis mihi testes, non solum Hierosolymis, verum etiam in universa Iudaea, Samariaque, denique usque ad extrema terrae. Itaque dominus Iesus postquam loquutus haec fuisset cum eis, sublatis in altum manibus suis, benedixit eis. Et factum est, quum benedixisset eis recessit ab eis, videntibusque illis sublatus est in altum, ferebaturque in coelum, et nubes subduxit eum ab oculis eorum, et consedit a dextris dei. Quumque essent defixis in coelum oculis eunte illo, ecce viri duo astiterunt illis amicti vestibus albis, qui et dixerunt: Viri Galilaei, quid statis intuentes in coelum? Hic Iesus qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum. Ipsi vero adorato eo, regressi sunt Hierosolymam cum gaudio magno, a monte qui vocatur Oliveti, qui abest a Hierosolymis iter sabbati. Et quum introissent ascenderunt in coenaculum ubi mansitabant, Petrus et Iacobus, Ioannes et Andraeas, Philippus et Thomas, Bartholomaeus et Matthaeus, Iacobus Alphaei et Simon, Zelotes et Iudas Iacobi filius. Hi omnes perseverabant unanimiter in deprecatione et obsecratione cum mulieribus et Maria matre Iesus, cumque fratribus illius.

Marcus omnia summatim et breviter perstrinxit, simul describens, quae simul non sunt facta. Dicit enim: Recumbentibus undecim discipulis etc. Verisimile est Christum a die resurrectionis per quadraginta illos dies quotidie apostolis apparuisse, et eis praecepisse ac modum praescripsisse, quo evangelium in totum orbem praedicarent. Hoc iam abiens refricat, et firmius inculcat. Nam in hoc erant electi. Nihil est ergo ut literam urgentes, hanc Marci historiam ad ascensionem tantum trahamus, sed ad totum tempus quod fuit inter resurrectionem

et ascensionem Christi. Sed iam propius accedamus ad historiam, quam Lucas in Actis habet. Lucas partitur evangelium suum in duas partes: priori describit quae Christus in vita gessit, posteriori quae post ascensionem facta sunt. Loquutus est eis de regno dei. Regnum dei fere evangelium dicitur, de quo illis loquutus est per quadraginta continuos dies, et commendavit eis illius praedicationem. Loquitur ergo cum eis Christus de regno dei, de Evangelio, de gratia sua et misericordia dei, ex scripturis nimirum legis et prophetarum, ut Lucas supra dixit: Aperuit illis mentem in scripturis. Quibus vero verbis, quove modo loquutus sit eis, hic non scribitur, potest tamen hoc colligi ex eorum doctrina. Selecti erant apostoli a Christo ut regnum dei per orbem propagarent, et regni coelestis pomeria longe lateque proferrent. At illi quodammodo adhuc carnales de regno quodam carnali somniant et interrogant pro iudicio carnis. Quae carnalis opinio de Israelis restitutione, etiamnum hodie in Iudaeis et Christianis quibusdam haeret. Christus certe videtur nonnihil agnoscere restitutionem Israelis, quum dicit: Non est vestrum nosse tempora et articulos etc. quod et Paulus indicat Rom. 11. Sed simul ita carnali sensu eos abdocens, altius quiddam de regno dei loquitur, dicens: Sed accipietis spiritum sanctum. Quasi dicat: Illud est regnum vestrum, ut accipiatis spiritum dei, per quem docemini et adducemini in veram dei cognitionem, ita ut etiam apud alios de hac testari possitis. Et quidem in eo loco, ubi me deserto aufugistis et me negastis, deprandicabitis me, tanta erit virtus spiritus coelestis. Tanto tempore fuerunt cum Christo conversati, tot et tanta ab eo audierant, tot miracula viderant, et adhuc de carnali quodam regno disputant. Sperabant mittendum aliquem qui eos e potestate Romanorum assereret, dominum ergo subinde eos ad spiritum revocat. Infirmi admodum fuerunt donec Christus corporaliter, etiam post resurrectionem, glorificatus adesset. Nihil ergo roboris ex carne Christi corporaliter praesente accedit eis, ut ipse testatur, expedire eis ut abeat, alioqui spiritum haudquaquam futurum. Tollit ergo discipulis quidquid est corporale et externum etiam in se ipso, ut eos totos deo spiritui adigat. Opus erat alia quapiam virtute e supernis, quam pollicitus erat eis Christus. Iam ergo refricat promissionem et iubet, ne Hierosolymis discedant donec spiritu donentur. Ioannes, inquit, baptizavit vos aqua. Aqua symbolum est doctrinae et institutionis. Quasi dicat Christus: Ioannes aliquo modo vos eruditi et instituit exteriori videlicet verbo et signo id me induxit, ita spiritus ille divinus, quem pollicitus sum, quem mittam, qui venturus est, hunc expectare debetis, et is baptizabit vos intus, id est, docebit et erudiet vos clarius et perfectius. Estis hactenus baptismo Ioannis baptizati (nam baptismus Ioannis et Christi idem sunt, quod ad aquam externam, et ad exteriorem praedicationem attinet; ut enim praedicatio Evangelii ab apostolis facta, remissio peccatorum dicitur, quae solius Christi est, ita et baptismus Christi Ioannis est, hoc est, Ioannes facit hoc iussu et auctoritate Christi) at iamiam alio baptismo baptizabimini, scilicet spiritu sancto. Baptismus ergo spiritus sancti per quem fides est, sequitur baptismum aquae. Quod dico, ut refellam Catabaptistarum

errorem. Quod ergo dicitur baptismus Ioannis, fit, quod aqua tinxit et docuit homines ex praecepto Christi, quae ambo externa fuerunt. Et ipse Ioannes hoc de se testatur, quod aqua tantum tingat homines, at venturus sit post se, qui spiritu baptizet. Sensus ergo verborum Christi est: Omnia quae hactenus externa fuerunt, aqua Ioannis, doctrina mea, etiam flatus ille quo vos afflavi resurgens, infirmiora sunt quam ut vos intus sanctificent, purgent, roborent, signa tantum fuerunt spiritus sancti quem accepturi estis perfectissime. Non parum multi sunt, qui et hodie carnem tantum in Christo quaerunt et sectantur, quique externis quibusdam ceremoniis ac signis sese sanctificari et purgari putant. Sed sunt haec et manent externa, nihilque in animum hominis possunt, nisi divini spiritus vis et operatio accedat. Summo ergo studio spiritus ille nobis petendus est a deo, qui nos trahat, illustret, confirmet et absolvat. Hoc spiritu quoniam philosophi caruerunt, doctissima eorum scripta aliud nihil fuerunt, quam disputationes subtiles et cavillationes, non vera philosophia, non enim intra se habuerunt spiritum dei viventem. Mortua ergo sunt eorum scripta et frigida, non inflata et accensa spiritu sancto. Illis ergo externis omnibus transcensis, in spiritus operationem oculos defigamus, et hunc semper ardentissimis votis expetamus. Magna audent et moliuntur pii qui spiritu coelesti sunt praediti, spiritus accendit et sursum trahit corda, et animat ad ardua quaeque, ad heroicas virtutes, quae ex deo procedunt, et in deum diriguntur, ut est esse humilem, sese abnegare, sibi in nullo placere, multa pati, mansuetum esse, misericordem, beneficum. At caro sua quaerit, opes, gloriam et etiam magna et ardua molitur, sed quae proximo nocent. Sustulit manus in morem orantis, non benedicentis. Nam quod hic dicitur: Benedixit eis, Graece ἐυλογεῖν, pro valedicere puto poni, ut solent abeuntes cum bonorum imprecatione. Adorabant eum, tanquam scilicet qui esset deus, qui virtute sua ascenderet: gratulabantur interim sibi, quod tanti ac talis domini legati essent. Quod vero scribuntur semper in templo fuisse, debet intelligi quod suo tempore in templo fuerint. Nam alias in domo quadam conveniebant (ut patet ex Actis) propter metum Iudaeorum. Sic Lucae 2. dicitur de Anna vidua quod fuerit die noctuque in templo, locutione fit hoc Hebraica, id est, frequenter erat in templo. Sic apostoli saepius venerunt in templum, licet alias collecti essent in domo quadam, insidias Iudaeorum declinantes. Fecerunt quod et hodie multi Christianorum facere coguntur, in istis locis, ubi evangelium palam nec audire nec legere licet: coeunt simul in aliquam domum, legunt, orant, audiunt verbum dei, et gratias agunt etc.; deinde in publicum conventum cum ceteris hominibus conveniunt propter suspicionem, nonnihil dantes ceremoniis, quae non sunt plane impiae, sed ad tempus. Sic apostoli non abhorruerunt a templo Iudaico, in quo adhuc erant sacrificia pecuina, quae tamen statim erant abolenda. In templo ergo aut porticu praedicabant Christum, licet illic adhuc durarent superstitiones Pharisaeorum. Errant vero hic hypocritae primum, qui sibi ex facto apostolorum praetextum et excusationem quaerunt, qui haerent adhuc in Papatu, et se impiis eorum sacris immiscent, putant enim aut adhuc

suis, aut gloriae, aut vitae. Non incedunt recto pede, sed utroque genu claudicant. Hi cogitare deberent, longe aliam fuisse rationem earum ceremoniarum quae in lege dei praescriptae erant Iudaeis, quam earum quae pontifices confinxerunt suadente et suggerente satana, ut nullo pacto istae sint illis conferendae. Deinde non eodem animo sacris Papisticis se iungunt, quo apostoli Iudaicis. Apostoli interim praedicabant Christum et Iudaeos Christo ex Iudaismo lucrifacere studebant; nostri sibi metuunt et Christum dissimulant, non audentes eum palam et libere coram natione ista prava confiteri, et sic apud illos perpetuo haerent, ut non istos lucrifaciant Christo sed ipsi Christum prodant, et cum impiis pereant, aut (ut ipsi sibi videntur) in tuto sint. Porro apostoli nihil contra conscientiam commiserunt, sed illis tantum intererant, quae deus ore suo praeceperat, et ad tempus praescripserat. Illis inquam utebantur tantum ad tempus, sine impietate et superstitione. Hi vero contra suam ipsorum conscientiam impiis sacris astant, ut missae papisticae, genu flectunt pani, quem (saltem in speciem) adorant, procumbunt ante idola, breviter impuris illis ritibus et foedo sodalitio conspurcant. Expendant illi quid Petro acciderit donec inter milites esset, negavit subinde Christum, donec se hoc consortio explicaret, et cum fletu amaro ad Christum sese reciperet. Expergiscite ergo o fratres, et exite e Babylone, exite inquam e medio illorum, et immundum ne tetigeritis. Nihil vos detineat, nihil remoretur. Nulla est conventio Christi cum Belial, nihil templo dei cum idolis, vos autem templum estis dei, nolite prophanare, quod Christus sanguine suo consecravit. Ne poeniteat vos si quid Christi gratia relinquere aut amittere oportet, centuplum reddet vobis dominus. Si Iacob patriarcha post se reliquit multa, ut frueretur optimis terrae Aegypti, quur nobis grave fuerit terrena relinquere, quum nobis rependantur in futuro saeculo quae oculus non vidit, auris non audivit, et quae cor hominis comprehendere non potest? Iudas quum auro inhiaret, perdidit et corpus et animam. Explicate ergo vos ex istis vinculis, abiicite quidquid vos retinet, ut vel nudi periculum imminens effugiatis. Contendite ad dominum toto corde, dum tempus est, nolite vocem eius contemnere, ne et vobis illudat cum mala vobis acciderint. Alter error est Catabaptistarum, qui nefas ducunt praedicare veritatem in templis, quae in Papatu sunt extructa, etiam si iam idola et superstitiones Papisticae abolitae sint. Verum ubi Christus commodius praedicari poterit, quam in iis locis, ubi hominum frequentia convenire solet? Hoc certe agebant apostoli, ut vel festis diebus vel sabbatis conveniente populo et ipsi adessent, et Iudaeos superstitioni veteri adhaerentes Christo adducerent, quod in templo ubi populus Iudaicus confluxit commodissime fieri potuit. Nec se tam contumaciter et fastuose a Pharisaeis et ceteris Iudaeis separarunt, ut solent hodie Catabaptistae ab iis qui utcunque Christo credunt et adhaerent. Quod piorum animae in gaudia recipiantur, impiorum ad supplicia rapiantur, non solum sacra scriptura tradit, sed et gentilium scriptores. Et plane hisce in rebus Philosophi ac Poetae cum Prophetis consentiunt, licet aliis verbis id eloquantur. Hinc sunt campi Elysii, et stygii lacus Acherontis, et quod post mortem dicuntur quidam recipi

in deorum numerum etc. Animus enim a se ipso non est, sed a deo, ergo quum a corpore separatur ad deum redit, ut cetera omnia redeunt in fontem unde profluunt, omnia refluunt in auctorem suum. Haec ita in veritate habent et scribuntur. Christus vero animam post mortem corporis vivere, et homines ad auctorem suum redire, in se ipso vere testatur, quod oculis hominum antea nunquam propositum fuit, tametsi illud senserint, quotquot sani unquam iudicii fuerunt. Christus probat animae vitam, resurrectione, et ascensione, gloriam apud deum contingere toti homini. Ipse igitur non verbo tantum docet, sed re ipsa etiam declarat, quales post hanc vitam futuri sint pii. Ascendit in coelum, viam nobis ad gloriam parans, ut sciamus quo nobis post mortem sit eundum, et quidquid animi nostri sentiunt et credunt, hoc totum videmus in capite Christo praecessisse. Semel descendit salutis nostrae causa Christus, semel iterum ascendit nobis, ut non corporalem Christi praesentiam posthac requiramus, sed sursum erectis cordibus vitam coelestem meditemur cum Christo rege nostro. Sit rex aliquis, qui consulat publicae utilitati, ius dicat, et leges aequas ac bonas condat, sit pater patriae etc. Hunc ut omnes in regno videant, vix contigerit, quidam enim longius ab eo absunt, quidam caeci aut claudi, ut ad eum pervenire non possint, paucis hoc datur ut cum eo familiariter conversentur, interim tamen publica pace et tranquillitate, quam ipse sapientia sua paravit ac tuetur, omnes vel longissime dissiti ab eo, fruuntur, non minus quam qui in aula semper ei adsunt. Quod si rex moritur, gaudent tamen cives legibus et iuribus ab eo conditis. Non dissimiliter res habet cum rege nostro Christo, non omnibus datum est, ut eum corpore videant, quod contigit singulari praerogativa apostolis, omnes tamen pii per fidem gratia et redemptione per eum parta frui possunt, etiam ii, qui eum corporalibus oculis nunquam viderunt. Ob hanc causam Christus quum esset corpore abiturus a suis, alium consolatorem et advocatum, nempe spiritum sanctum eis promisit, qui eos spiritualem et veram Christi cognitionem doceret. Is trahit corda nostra sursum, ubi Christus est in dextera dei, ut contemptis omnibus huius mundi bonis ipsi soli inhaereamus, et in ipso conquiescamus. Interim serviamus per caritatem proximis, et diligenter Christi regnum in mundo plantemus, ut scilicet ipse in omnium pectoribus regnet. Oculi mentis nostrae semper defixi sint in coelos, ad eum qui advocatus noster est coram patre, qui nostram carnem in se sanctificavit, qui naturam nostram deitati coniunxit et sic exaltavit, ut spes nobis certa sit, nos cum eo semper victuros. Caro est ex carne nostra, os ex ossibus nostris, frater et caput nostrum, in quo nobis spes immortalis vitae própósita est. Quandoquidem ergo deus qui dives est in misericordia, propter multam caritatem suam, qua dilexit nos, etiam quum essemus mortui per delicta, convivificavit nos una cum Christo, simulque cum eo resuscitavit, et simul sedere fecit in coelestibus in Christo Iesu, obsignavitque nos spiritu promissionis sancto, qui est arrabo hereditatis nostrae, in redemptionem adquisitae possessionis, in laudem gloriae ipsius, agamus gratias deo, et rogemus, ut deus domini nostri Iesu Christi, pater gloriae, det nobis spiritum sapientiae et revelationis per

agnitionem illuminatos oculos mentis nostrae, ut sciamus quae sit spes ad quam ille vocavit, et quam opulenta gloria haereditatis illius in sanctos, et quae sit excellens magnitudo potentiae illius in nos, qui credimus secundum efficaciam roboris fortitudinis eius, quam exercuit in Christo, quum suscitaret eum a mortuis, et sedere fecit ad dextram suam in coelestibus, supra omnem principatum ac potestatem, et virtutem et dominium, et omne nomen quod nominatur, non solum in saeculo hoc, verum etiam in futuro, et omnia subiecit sub pedes illius, et eum dedit caput super omnia ipsi ecclesiae, quae est corpus illius, complementum eius qui omnia in omnibus adimplet; ipsi sit laus et gloria in omnia saecula. Amen.

IN EPISTOLAM AD ROMANOS ANNOTATIONES

HULDRYCHI ZUINGLII.

ARGUMENTUM.

Gratulatur apostolus romanis herbescentem Christum, laetaturque plurimum ob eorum fidem, quam totus mundus praedicet. Deinde dissidium atque controversiam inter ipsos componere studet. Quod quidem tale erat: Erant Romae fideles ex Iudaeis et gentibus, utrique sibi superciliose nimium tribuebant, uterque se alteris praeferebat, uterque se cariorem et gratiorem deo existimabat. Gentes (quas Iudaei aversabantur, ut profanas indignasque Christo existimabant) suae incredulitatis excusationem se apud deum habere putant, hac ex causa, quod neque legem, neque prophetas, neque testamentum haberent, quo deum cognoscere colereque potuerint, se ergo excusatos esse coram deo et mundo, imo Iudaeis esse longe meliores. Iudaei enim utcunque haberent legem atque prophetas deique oracula, deque futuro Christo vaticinia, nihilo tamen minus Christum servatorem crucifixerunt, eoque indigni sunt facti Christo. Iudaei rursum gentibus evangelium sic inviderunt, ut iis nullo modo praedicandum permitterent, solis enim sibi promissum servatorem asserentes non gentibus. Hanc litem dirimit Paulus, sequestrum se inter Iudaeos et gentes constituens, utrosque peccatores esse, ex utrisque unum populum, unamque ecclesiam factam per Christum ostendit, salvos item utrosque futuros per Christum, idque nullo operum respectu, sed sola gratia dei per Christum, idque probat fortissimis veteris testamenti testimoniis. In fine subiungit paraeneses quasdam de cultu vero dei et operibus, et quid ipsis in externis agendum sit.

CAPUT I.

Vocatus apostolus.) Id est, qui sum apostolus. More Hebraico, vocari pro esse, ut Luc. 1. Filius altissimi vocabitur, id est erit.

Segregatus.) Quomodo segregatus sit et in apostolatum vocatus et inauguratus, Actorum 9. habetur.

In evangelium dei.) Id est, ut praedicem evangelium dei, id est filium dei, qui hoc loco evangelium dicitur. Sic Luc. 2. Evangelizo vobis.

Quod ante promiserat.) Filium suum promiserat pater venturum, Gen. 3. 12. Esa. 11. 7.

De filio suo.) Quod evangelium sonat de filio suo. Indicat enim evangelium dei, Christum nobis esse vitam et propitiationem, Ioan. 3. 1. Ioan. 5.

Ex semine David.) 2. Regum 7. 1. Paralip. 17. Luc. 2. et alibi.

Declaratus.) Quasi dicat: Etiamsi homo fuit, filius tamen proprius est dei et definitus.

Cum potentia.) Id est in potentia, per spiritum quo omnia sanctificat, per hunc spiritum sanctum quo resurrexit a mortuis declaratus fuit filius dei. Est autem pulchra antithesis et emphasis in descriptione utriusque naturae in Christo. Quasi dicat: Fuit homo ex semine David, sed insuper etiam fuit deus, quod probo per spiritum sanctum qui eum re suscitavit ex mortuis.

Ut obediatur fidei.) Tropus est, id est ut fideles reddantur omnes gentes, id est, ut obediant fidei. Oblique taxat Iudaeorum supercilium, qui indignum putabant Christum praedicari gentibus. Quasi diceret: Apostolatum hunc accepimus etiam ad gentes, ut et ipsi fideles reddantur.

Quem colo spiritu.) Spiritus hic ceremoniis opponitur. Quasi diceret: In hoc quod praedico evangelium filii dei, colo mente et spiritu deum, vel fit cultus dei spiritu et mente.

Quo confirmemini.) Quasi diceret: Iam iam initiati estis Christo, ideo opus habetis confirmatione, non quod ego vos confirmem. Ergo mox se explicat, dicens: Hoc est, ut communem capiam consolationem in vobis. Ego vos de vestra, vosque me de mea fide audientes, uterque consolationem capit, uterque confirmationem.

Praepeditus sum.) Via hominis non est in eius potestate, sed dei, Hier. 10. Sic Actorum 16. Impeditus sum etc.

Debitor sum.) Quasi dicat: Hac ratione ad evangelii praedicationem vocatus sum, ut quocunque terrarum me ducat dominus, paratus eam. Et ideo etiam vobis qui Romae estis. Et hoc iterum propter Iudaeos inculcat, qui evangelii praedicationem ad se solos pertinere arbitrabantur.

Non enim me pudet.) Quasi dicat Paulus: Evangelium (quod iam historiam evangelii appellat, id est ipsius rei, scilicet Christi) sonat, quomodo Christus sit filius dei, captus a Iudaeis, atque crucifixus. Hoc quum praedicatur apud gentes, stultitia est, 1 Cor. 1. multis scandalum est, nempe Iudaeis. Exempli gratia: Si quis multas virtutes de aliquo praedicaret, tandem post longam concionem ac commendationem diceret, eundem rota aut furca periisse, multi iam ex hoc offenderentur, multi exploderent. Sic gentes, quum apud eas praedicaretur Christus servator esse totius mundi, deinde adiungeretur, eum fuisse cruci affixum inter duos latrones, dicebant: Si fuisset servator mundi, nunquam fuisset crucifixus: si fuisset deus, nunquam se crucifigi passus fuisset, non attendentes, hoc a deo constitutum ante saecula. Hinc factum est, ut multos evangelii puduerit. Discant hic qui a deo missi sunt ad evangelii praedicationem constantes esse, ne pudore ab officio absterreantur.

Potentia siquidem est dei.) Rationem reddit cur eum evangelii non pudeat. Quasi dicat: Tametsi Christus a quibusdam pro stultitia reputetur, adeo ut dicere audeant: Quomodo me servaret, qui se servare non potuit? nihilo tamen minus virtus et potentia est dei, salutaris omni credenti. Hic iterum expono evangelium pro Christo.

Nam Christus potentia dei est, salutaris omni ei qui credit: Der ſich ſicher vnd ſtyff an jn laßt. Nam dum nostra potentia et virtute servari nullo pacto poteramus, dei potentia opus fuit, ut servaremur. Hanc potentiam nobis per Christum exhibuit, qui omnes in Adam mortuos vitae restituit. Tollit hic locus arbitrii libertatem, et virium humanarum virtutem, tollit purgatorii figmentum. Potentia enim dei salvamur non purgatorio. Christus potentia dei servator noster est atque purgator, ipse tollit peccata mundi, ipse abluit sordes nostras suo sanguine. Qui hoc negant aut aliter docent, Christi mortem conculcant et blasphemant. Hinc factum est, ut stulti homines se ipsos suis meritis servare conati sint.

Iustitia enim dei.) Etiam ideo non pudet me evangelii, nam per illud discimus iustitiam dei, hoc est, quomodo homo reddatur iustus apud deum. Nihil ergo opus humanis doctrinis. Nam per evangelium vera iustitia discitur, Ioan. 3. Matth. 3. Aut iustitia dei respectu gentium per evangelium patefit, id est per evangelium constat gentes salvas fore per Christum, qui prius longinqui a deo fuerunt, Eph. 2. At prior sensus magis arridet, per evangelium scilicet iustitiam patefieri quae coram deo valeat, Iudaeo primum, simulque et Graeco.

Ex fide in fidem.) Et hanc iustitiam nihil aliud esse quam fidem, ita ut sit Pleonasmus dictionis, quae certam et indubitatam fidem significet. Aut sic: Et ista iustitia aliud nihil est, quam fides in fidem. Iustitia nihil aliud est quam fidere fideli: Vertruwen in den getrüwen, warhafften, gloubhafften Gott. In eum scilicet, qui quidquid promittit, certo praestat. Hinc discimus certitudinem et firmitatem divinae promissionis, quae enim pollicetur certo praestat, ut omnis sacra historia testatur.

Sicut scriptum est, Iustus ex fide.) Iustus hoc loco dicitur qui fidelis est, et is non aliunde vivit nisi per fidem, qualis fuit Noe, Abraham. Hic locus operum fiduciam tollit. Iudaeos ergo clam taxat, qui ex operibus legis, iustitiam se assequuturos sperabant.

Palam fit.) Hic incipit Paulus epistolam hanc, et eodem tenore, quo Ioannes Baptista et Christus ipse praedicationem suam auspicati sunt: Agite poenitentiam, appropinquavit regnum coelorum. Indicat autem Paulus omnem impietatem puniendam esse, et sermonem ad Gentes vertit, qui excusationem sceleribus praetexebant. Palam, inquit, fit ira dei, id est, puniet deus de coelo omnem impietatem et iniustitiam hominum, qui veritatem in iniustitia detinent. Et ista dicuntur tituli vice. Impium vocat scriptura qui contempto deo pertinaciter peccat ac verbo eius reclamat. Iniustitiam vero hic incredulitatem vocat, nam mox antea fidem iustitiam dixerat.

Qui veritatem in iniustitia.) Eorum hominum inquam deus iniustitiam puniet, qui veritatem in iniustitia detinent. Et haec explicatio est, quid sit impietas et iniustitia, veritatem scilicet detinere in iniustitia, id est: Das vnrecht für das recht, vnd den falſch für die warheit halten, vnd das Göttlich nit laſſen fürkommen, ut quum quidam dicunt: Num cereos accendere non est bonum? annon divam Virginem

invocarem? Contra hos stat dei verbum, adhuc tamen illi pertinaciter mendacium suum defendunt.

Propterea quod id.) Quasi dicat: Nulla est vobis, o Gentes, excusatio: non est quod dicatis, vos neque legem neque prophetas habere, ideoque non potuisse cognoscere deum. Nam quod de deo cognosci potest, vobis est manifestatum. Si dicant: Unde? Respondet per occupationem.

Deus enim illis manifestavit.) Deus quantum fas est homini de deo cognoscere, illis manifestum fecit.

Siquidem quae sunt.) Quasi dicat: Nemo deum vidit unquam, at quae de ipso cognosci possunt, vobis nota fuerunt, ut sunt divina potentia, quae ex opificio et fabrica totius mundi elucet, et id ita, ut sint inexcusabiles.

Propterea quod inexcusabiles sunt.) Gentes scilicet quae deum cognoverunt, ut dictum est: Virtutem scilicet eius, atque operationem non solum cognoverunt, sed etiam perviderunt et intellexerunt, unum scilicet aliquem esse, per quem omnia sint et regantur. Eundem tamen non ut deum coluerunt, neque tanto benefactori grati fuerunt, sed ita sua sapientia evanuerunt, ut stulti facti sint, in hoc scilicet, quod conati sunt hanc divinam maiestatem et operationem imaginibus et simulacris exprimere.

Stulti facti sunt.) Sy ſind znarren worden, dſach hat inen gfält, ſy hands nit troffen. Nam deum effingere nemo potest, in sapientia ergo sua stulti sunt facti. Sic David: Similes fiunt illis qui faciunt ea.

Mutaverunt gloriam.) Ostendit quomodo hanc divinam virtutem et operationem colere noluerint, nempe, ut eis visum erat. Iam numen illud summum volucre, iam serpente expresserunt, et tales res pro deo coluerunt. Aliquando etiam hominem aliquem, ut Martem, Saturnum, Venerem. Hic mos Gentibus fuit, et commodis et incommodis deos praeficere, hunc ut mala averteret, illum ut secunda daret. Hinc Ioves et Veioves etc. Hic obiter nota: Gentes idola non coluisse, sed deum, cui prostabat idolum, et quem simulacro effinxerant, quem in coelo esse putarunt. Taxat ergo Paulus Gentes quod et deum agnoverint, et non rite coluerint cognitum, adimens eis omnem excusationem, non ergo minus esse peccatores quam Iudaeos, qui vitulum vel deum in vitulo coluissent. Et nos in Pontificatu Gentibus nihilo fuimus inferiores. Quid enim non coluimus? quot urbes, quot domus, imo quot homines tot dii. Sed nec singuli singulos deos habuerunt, sed unus aliquis innumeros.

Quapropter tradidit illis deus.) Virtutem dei omnia operantem effingere statuerunt, ob hanc rem deus eos in reprobum sensum dedit, ut iumentis et brutis fierent impudentiores.

Per cupiditates.) Permisit eos vivere iuxta ingenium suum: Nach jrer art vnd natur. Ubi autem deus non est, nihil nisi caro regnat, quae brutorum more vivit. Exemplum est in Sodomitis et Romanis.

Coluerunt ea quae condita sunt.) Plus honoris creatis rebus tribuentes quam creatori. Nam deum per quem omnia condita fuerunt,

per quem omnia consistunt, Mercurium dixerunt, Saturnum, Martem etc. atque illis idola statuerunt.

Quamobrem.) Haec vitia quae hic Paulus recenset, nimirum tum Romae regnarunt.

Erroris praemium.) Praemium erroris hanc immundiciam nominat apostolus. Punit enim peccatum peccato deus, ut aliqui convertantur et salvi fiant.

Non probaverunt.) Hoc est: non placuit, non fuit eis cordi, ut infra 7. cap. Quod ago non probo, id est, non placet mihi.

Ut deum agnoscerent.) Quum tamen supra dixerat eos deum cognovisse, sed aliud est cognoscere, aliud agnoscere. Cognoscere intelligentis est; agnoscere grati est et memoris. Cognoverunt ergo Gentes deum, sed non agnoverunt eum, id est, non coluerunt eum fideli et grata mente.

Reprobam mentem.) Ut dicerent bona mala, et mala bona, quod taxat Esaias.

Omni iniustitia.) Alle ſchalckheit habend ſy an jnen gehebt. Omnium autem malorum causa fuit ignoratio dei. Praedicare ergo cognitionem unius dei, est avocare a vitiis et sceleribus.

Qui quum dei iustitiam.) Quasi dicat: Vobis Gentibus haec dixi, quibus non satis fuit haec scelera perpetrasse, sed insuper vos qui scitis tales dignos esse morte, non solum eos non punivistis, sed insuper etiam placuit vobis illorum improbitas et impudentia. Peccatis aliorum assentiri multo magis est, quam si quis per se peccet.

CAPUT II.

Quapropter inexcusabilis.) Perstat in eodem sermone, quod patet ex dictione *Διὸ*, coniunctione rationali. Quasi dicat: Nullo pacto potestis vos excusare; immerito ergo Iudaeos taxatis, quum vos eisdem sitis vitiis obnoxii. Potest tamen et ad Iudaeos referri, ut utrosque increpet.

Nam in hoc ipso quod iudicas alterum.) Quid enim aliud facit, qui condemnat aliquem in crimine, cui ipse obnoxius est, nisi se ipsum damnare?

Scimus autem quod iudicium dei.) Dicit aliquis: Ego hoc non facio quemadmodum Gentilis ille, et Iudaeus Respondet apostolus per antypophoram, dicens: Facile se quis excusat coram hominibus se pro iusto et innocente venditans. Homo enim ab externis iudicat, et facile falli potest. Ceterum deum nemo fallere, nemo latere potest, is cor intuetur et renes explorat, iudicium ergo eius verum est. Sic Luc. 16. Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus, deus autem novit corda vestra. Hoc fere omnes facimus, sed studendum ut intus mundi simus, et vere resipiscamus, ut oculis dei probemur.

Cogitas autem hoc o homo.) Etiamsi humanum iudicium effugias, putas te effugiturum esse iudicium dei? Minime. Iudicet ergo quisque se ipsum, non alios. Videte quid audiatis: Qua mensura, Marci 4.

Aut divitias bonitatis eius.) Tropica est loquutio, divitias, id est, vim, copiam. Quod deus tam copiose benignus et bonus est, tu

contemnis. Quasi dicat: Ideone proximum iudicas in eo quod tu facis, quod bonitatem dei, qua te tolerat diutiusque poenam tuam differt, contemnis?

Ignorans quod bonitas dei.) Deus ideo longanimis est, ut meliores reddamur, non quod non videat, aut quod conniveat, sed ut obruti beneficiis, incipiamus tandem nobis displicere et resipiscere, amplecti tam benignum patrem, sequi tantum benefactorem.

Colligis tibi iram in die irae.) Irae, id est, vindictae. Dies autem irae dicitur extremus ille, aut capitur pro quocunque die quo punit deus peccantes. Quum contemnitur benignitas et longanimitas dei, quum non resipiscimus, quum bonitate dei abutimur, dominus punit, ut patet in diluvio, Sodomitis, populo Israel, nihil aliud nobis sperandum.

Reddet unicuique iuxta opera.) Opera fiunt ex fide vel infidelitate. Opera enim bona sunt aut mala respectu fidei aut perfidiae. Quidquid non ex fide venit, peccatum est, Rom. 14. Omnis arbor quae non facit, Matth. 7. 12. Operibus ergo merces redditur, non quidem simpliciter et per se, sed respectu fidei et infidelitatis. Gratiam et spiritum suum donat homini deus, et fides (quae et ipsa donum dei est) bona operatur. Incredulitas malos fructus producit. Non remunerat deus in operibus quod ex nobis est, nam quatenus ex nobis sunt, mala sunt. Alloquitur autem Paulus hac epistola eos, qui ex Gentibus ac Iudaeis Christiani erant, et qui operibus fidebant, aut iustitiam tribuebant.

His qui perseverant in benefaciendo.) Id est iis qui misericordia et gratia dei fisi per Christum, in benefaciendo perstant. Opera sunt fructus fidei. Ex fructibus ergo arbor cognoscitur.

Iis vero qui sunt contentiosi.) Obiicit eis obscure contentiones et lites quae erant inter eos, de quo in argumento dictum est.

Non est personarum respectus apud deum.) Per antypophoram Gentibus occurrit, quae se excusabant, nec damnatos existimabant. Et in hoc iudicio, inquit Paulus, nemo excipitur: quicunque bonum ex fide operatus est, recipit praemium: qui malum ex incredulitate, is recipiet poenam. Nihil agit deus odio aut favore, nihil ex affectibus, nam huiusmodi in deum non cadunt, Esa. 27.

Quicunque sine lege peccaverunt.) Non hoc dicit quod Gentes omnino nullam legem habuerint (habuerunt enim legem naturae, ut supra patuit) sed quod caruissent lege scripta. Sensus ergo est: Nihil est o Gentes quod excusationem et praetextum quaeratis, eo quod absque lege Iudaeorum peccastis. Peccastis sine lege Iudaeorum, et putatis hoc vobis non damno fore, sed longe fallimini. Habuistis enim legem insitam in corda vestra, nempe hanc: Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris. Item: Omnia quaecunque vultis ut faciant vobis homines, eadem facite et illis. Peribitis ergo sine lege Iudaeorum, sed ob id non sine lege vestra.

Quicunque in lege.) Iudaeos hic intelligit, ac si dicat: Non parcam interim Iudaeis, quasi excellentioribus aut melioribus apud deum,

quod legem habuerint. Nam habentes legem et peccantes contra legem, per legem iudicabuntur.

Non enim auditores legis.) Rationem quasi reddit superiorum. Non enim satis est audisse legem, ut iustus quis sit, sed servasse legem et comprobasse factis. Quum igitur nullus unquam Iudaeorum legem factis praestiterit, nullus iustus aut salvus erit. Et ideo non modo non profuit illis lex, ob quam sibi blandiuntur, sed efficit, ut iudicio omnes sint obnoxii. Quemadmodum autem Iudaeos non excusat legis auditio, quam factis non praestant, sed praestare oportuit, sed maiori damnationi subiicit: ita et nos Christianos legis Christi auditio non excusabit, nisi fructus poenitentia et evangelio dignos protulerimus, Luc. 3. Quod si quis obiiciat: Quid haec ad nos, quae Romanis scripta sunt? Respondeo, in nobis eadem esse vitia, quae in Romanis, eandem ergo poenam exspectabimus. Eisdem morbis, eadem semper remedia adhibentur.

Nam quum Gentes quae legem non habent.) Hic Gentes defendit: hoc est, eos quos supra peccatores esse ostenderat, iam deo nihil ingratiores Iudaeis ostendit, tametsi legem habuerint Iudaei, quandoquidem gratum deo esse non situm sit in auditione, sed in expletione legis. Si Gentes natura, id est, naturali lege dictante, ea fecerint, quae in tua lege sunt scripta, ostendunt certe se habere legem scriptam, non in tabulis quidem, sed in cordibus suis; et quod deus ista scripsit in eorum cordibus, id est, deus boni et mali cognitionem eis indidit. Et simul attestante conscientia, hoc est, intus sentiunt quid rectum, quid pravum sit, et quomodo in iudicio extremo consistere velint, quid eos accusaturum, quid vero excusaturum sit. Hoc observandum, Paulum hic per naturam, non intelligere naturam corruptam quae in nos ex Adam transfunditur, sed eam quam deus dirigit et ducit. Ubi enim deus in corde dux adest, satis legum est. Conscientia vel natura quae deo ducente dirigitur sine scripta lege: et hoc bene notandum, alioqui aliquis diceret: Conscientia mea dictat Missam esse cultum dei.

Iuxta evangelium meum per Christum.) Dominus iudicabit per Christum filium suum, Ioan. 5. Hic est iam finis digressionis.

Ecce tu Iudaeus quum sis.) Hactenus de Gentibus quales fuerint ostendit. Iam vertit sermonem suum ad Iudaeos. Quasi dicat: Ne vos Iudaei vobis nimium placeatis, neque efferamini, dicam et vos esse peccatores aeque ac Gentes. Gloriamini in lege, gloriamini patribus, sed quum facta vestra expenduntur, scelerati estis. Cognominari Iudaeum plane magnum est.

Acquiescis in lege.) Iactas te doctum esse in lege, videris tibi doctus in lege esse, tumidus et securus in lege, gloriaris te esse dei, deumque tuum esse, Gen. 17. nosti voluntatem eius, quid scilicet velit, quid minus, ex lege institutus, ut scias quae facienda, quae fugienda, nec solum hoc, sed confidis te eo usque profecisse in lege, ut dux esse possis ignorantibus, et praelucere errantibus, et qui in caecitate versantur, imo ut forma sies aliorum, a quo alii viam et formam salutis capiant.

Qui igitur alium doces.) Ex his verbis videmus Paulum haec dixisse per ironiam. Quasi dicat: Gloriamini quidem de lege et vitae sanctimonia, sed vanum hoc esse facta ipsa probant. Doces, id est, Du gibſt dich dar als ſyeſt du der, qui alios possis docere, at interim te ipsum non doces.

Doces non furandum.) Idque ex lege, non furandum, id est, ne quis alium circumveniat, aut fraudet in ullo negotio. ne quis quocunque modo alii noceat, tu vero quum contrarium facis, lex tibi nihil proderit, sed oberit potius. Ita et hodie, omnes volumus iusti esse comparatione aliorum, quum scilicet non facimus quod alii, aut cum caremus quorundam vitiis ac sceleribus, ideoque alios iudicamus, nos non iudicamus, vitam aliorum exploramus, nostram non expendimus; fur non in hoc iustus dici potest, quod parricida non est.

Execraris simulachra.) Doces idola non habenda, idque recte ex lege dei Exod. 20. at tu sacrilegium interim committis, vendicas tibi pauperum bona et reipublicae, pauperem patrem sinis penuria laborare, qui templum vivum est dei, nec illum ope tua iuvas.

De lege gloriaris.) Adversus Gentes scilicet, sed nihil aliud per legem efficis, quam quod deum, cuius tu te esse gloriaris, dehonestas. Ex his omnibus colligere potes te nihilo praestantiorem esse Gentibus, sed similibus peccatis adeoque poenis obnoxium.

Nomen dei blasphematur.) Similes estis iis de quibus Esa. dicit cap. 52. et Ezech. 36. Nomen dei male audit apud incredulas Gentes propter vos. Jr machend den nammen Gottes verhaßt vnd vnwärd vor den Heiden, et in hoc scilicet, quod deum ore confitemini, factis negatis.

Circumcisio quidem.) Antypophora est. Diceret enim Iudaeus: Ergo idem est circumcisum esse et praeputiatum: quare ergo legem et circumcisionem dedit nobis deus, si nihil a Gentibus differimus? Ad hoc iam respondet Paulus, dicens: Iudaeum esse et circumcisum, aliquid esset et certe magnum, si legem servares. Non autem servas legem, nam hoc tibi impossibile est, ergo nihil habes quod iactes circumcisionem, si hoc non servas propter quod circumcisio data fuit. Nam qui circumciditur, totius legis debitor ac observator efficitur. Accipit autem id, quo se Iudaei tuebantur, et quo se supra ceteros evehebant, nempe circumcisionem, dicens: Circumcisionem illam externam aliud quiddam prae se ferre, cordis scilicet circumcisionem et purificationem. Item nihil referre genere esse Iudaeum, sed spiritu et corde, hoc vero Gentilis non minus habere possit quam Iudaeus. Idem de Christianis baptizatis intellige. Aequat Paulus Iudaeos et Gentes, utrosque ostendens peccatores esse, nihilque Iudaeos Gentibus praestantiores aut meliores.

Quod si transgressor fueris.) Legis scilicet, quam tu profiteris aut iactas, simul indicas te exlegem esse et incircumcisum, id est, non de populo dei esse. Nam circumcisum esse nihil aliud est, quam hoc signo testari se de populo dei esse, Gene. 17.

Ergo si praeputium.) Quod si homo gentilis et incircumcisus ea facit quae lege sunt praecepta, Iudaeus et circumcisus coram deo habebitur.

Et iudicabit quod est ex natura.) Iudicabit te gentilis, te qui legis literae et circumcisionis notae fidis, spiritum et observationem legis nihil curas. Hoc fit comparatione, sicut Christus Matthaei 12. dicit: Filii vestri iudices vestri erunt. (De Vera et Falsa Relig.)

Non is qui in manifesto.) Id est, qui iuxta genus Iudaeus est. Iudaeus est, qui deum confitetur et laudat, Der ſich Gottes haltet. Et hoc infra vocat in occulto Iudaeum esse.

Nec ea quae in manifesto.) Vera circumcisio quam deus a suis requirit, non est ea quae cultro fit et litera, sed interior quae constat spiritu, ubi affectus comprimuntur, cuius exterior signum est, ut monet Moses Deut. 30. Et hoc idem gentes facere possunt, possunt confiteri deum, possunt circumcidere cor. In summa, vos Iudaei nihil habetis quo gloriemini, Gentes vobis nihilo sunt inferiores.

CAPUT III.

Quid igitur habet in quo praecellat?) Antypophora occurrit apostolus tantae quaestioni. Posset enim Iudaeus dicere: Si nihil praecellimus Gentes, idem ergo est ex Abraham esse natum, et non esse ex Abraham natum. Nobiscum loquutus est deus, legem suam nobis dedit et circumcisionem, hoc Gentibus non fecit, oportet ergo ut sit aliquid discriminis inter nos.

Multum per omnia.) Iam respondet Paulus per subiectionem, et dicit: Omnino vos Iudaei longe praecellitis gentiles, quod ad externa attinet, sed non in internis, et quod ad felicitatem attinet, nam in externis vos multis nominibus superatis Gentes.

Primum quidem.) Oracula dei, id est, promissiones, scripturae sacrae, literae divinae, hunc esse sensum sequentia indicant, quum dicit: Quid enim quod quidam sunt increduli? Et ista obiectio Gentilium est, quasi dicat Paulus: Posset autem dicere gentilis: Quid tum quod loquutus est Iudaeis deus, et quod multa est eis pollicitus? tamen non crediderunt ei. Respondet Paulus per antypophoram, et dicit: Quid enim? Quasi dicat: Was ligt daran daß jren vil vnglöubig geweſen ſind?

Num incredulitas.) Num incredulitas illorum evacuare posset veritatem divinarum promissionum? Nihilominus deus fideliter praestitit omnia quae pollicitus est, etiamsi inter eos plurimi fuerint, qui fidem eius verbo non haberent.

Imo sit deus verax.) Quasi dicat: Nulla perfidia cadit in deum, nulla inconstantia, deus inconcusse servat quae pollicetur, etiamsi quidam illorum fallunt et perfidi sunt. Probat ex Psalmis Davidis, deum veracem esse et fidelem, et quod non faciat irritas promissiones ob nostra scelera, et nostram incredulitatem. Historia est 2. Reg. 11. de adulterio et homicidio Davidis. Quum peccasset David, ardentissimis precibus interpellat dominum, dicens: Tibi soli peccavi, et malum coram te feci. Peccavi magnum peccatum, sed hoc maxime mihi dolet praeter cetera quod te offendi o deus, et quod contra te peccavi. Sed video domine cur hoc sit factum, nempe, ut omnibus hominibus nota fieret opulentia misericordiae tuae, ut misericordia tua scelus

meum longe maximum superet. Ut iustificeris, id est, ut iustus sis in promissis tuis, ut cuncti homines videant te fidelem et veracem esse in promissionibus tuis, quum praestas misericordiam tuam quam pollicitus es, etiam mihi peccanti.

Et vincas quum iudicaris.) Etiam in hoc peccavi o domine, ut quum iudicaris, id est, quum dicerent: Deus vindicabit et puniet, nec dabit ex semine David ut promisit Messiam: ut tu vincas, id est, Daß du alle menſchen zlugneren machiſt. Haec ergo a Paulo hac ratione inducuntur, ut ostendat deum veracem esse, nam promissiones testamenti ideo non mutantur. Nobis haec fiduciam praestant, ne ob multitudinem aut magnitudinem peccatorum desperemus. Nam gratiam quam peccantibus promisit, certissime praestabit: nolentibus vero resipiscere, non parcet.

Quod si iniustitia nostra.) Quum tantis laudibus veheret misericordiam dei Paulus, et quod deus promissiones suas ob peccata nostra non faciat irritas, quin dei veritas et misericordia clarior reddatur, posset impius calumniandi ansam hinc arripere et obiicere: Quid dicis Paule? Si sic res habet, quod iniustitia nostra dei iustitiam commendat, quid dicemus? Ergo iniustus est deus, dum punit peccata? Nam peccatis nostris, ut dictum est, misericordia eius excolitur et clarescit; si ergo punit iniustus est. Haec in persona impiorum loquitur apostolus, ideo addit: Humano more. Quasi dicat: Haec dico, ut solent homines impii loqui. Homo hic in malam partem capitur. Iuxta hominem, id est, more impiorum hominum haec obieci. Iam per subiectionem respondet, dicens: Absit, quomodo enim iudicaret deus si iniustus esset? quomodo posset iudex esse totius mundi? oportet enim iudicem iustum esse. Potest et in alio sensu intelligi: Si, ut vos dicitis, iustitia et veritas dei peccatis vestris commendatior et illustrior redderetur, quomodo iudicaret mundum? Nam tunc iudice nihil esset opus. Nam omnes salvi essemus, quantumvis iniusti.

Etenim si veritas dei.) Veritas, Hebraeis Aemeth, fidem hic significat, id est, constantiam dictorum et factorum. Si haec inquam dei veritas per meum peccatum aut mendacium gloriosior redderetur, cur ego peccator iudicor? Subiiciuntur quasi prosapodosis haec, illius quod supra dixit: Quare deus possit iudicare mundum: et hoc cognoscitur ex coniunctione rationali, Etenim, εἰ γὰρ, Nam si.

Ac non potius facimus mala.) Nam nihilominus essemus salvi, sicut et quidam de nobis loquuntur, ac si nos ita doceremus mala facere, ut bona hinc eveniant, ut hinc agnoscatur gratia dei.

Quorum damnatio iusta est.) Quasi dicat: Hoc solum impii et increduli loquuntur, qui hoc sermone se produnt damnatos esse. Quod Paulo contigit, hodie quoque his contingit, qui gratiam et misericordiam dei per Christum extollunt, sed ab impiis duntaxat. Fidelis enim, quum remedium peccatorum audit aut sentit, mirum in modum gaudet, et gratus est deo, a quo immensum hoc beneficium accepit, doletque supra modum se contra deum peccasse. Neque solum praeterita plangit et deflet, futuraque cum summa sollicitudine cavet, sed insuper virtutibus et praeceptis dei studet ardentius.

Quid igitur?) Redit ad institutum. Sic enim interrogat Iudaeus: Ergo praecellimus? Haben wir nemwas fortenis?

Nullo modo.) Dicit Paulus. Quasi dicat: Quod supra dixi, nos praecellere Gentes, de externis tantum loquutus sum, scilicet de lege, prophetis, et quod sumus populus dei appellatus; quod ad interiorem hominem attinet, ad gratiam et salutem per Christum, nihil omnino praecellimus Gentes. Nam ante causas reddidimus, speciatimque ostendimus, simul et Iudaeos et Gentes peccatores esse ex aequo, et sic omnium hominum (quod ad iustificationem attinet) eandem esse conditionem. Nihil enim est quo possit homo iustificari, nisi sola gratia dei, quae nobis manifestata est per Christum. Nam quod patrem habemus propitium, manifestatur nobis per Christum. Si enim proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum in mortem, quomodo non magnopere nos diligeret? quomodo non omnia nobis cum filio donaret?

Sicut scriptum est.) Testimonia iam adducit eorum quae dixit, et haec tametsi omnibus competant hominibus, tamen praecipue Iudaeis. Sic etiam Christus dicit: Nemo bonus nisi unus deus.

Non est qui intelligat.) Scilicet ea, quae dei sunt. Etiamsi intelligimus, nolumus tamen intelligere, hoc est, nolumus iuxta verbum dei intellectum vivere, nolumus doctrinam Christi intellectam vita exprimere. Ut quum deus dicit: Diliges proximum tuum ut te ipsum, mox responsamus et dicimus: Quis haec faceret? cur mihi non plus faverem quam alii? Non ergo exquirunt verbum dei ut iuxta illud vivant, sed affectus sequuntur, omnes ergo deflexerunt.

Inutiles facti.) Opus dei negligenter peragunt, socorditer, ignaviter, aut timore poenae, aut spe praemii, aut favoris ac laudis gratia, non puro ob deum et proximi salutem, impura nostra sunt omnia. Nemo exercet bonum quod deus, aut quemadmodum requirit.

Sepulchrum patens.) Hactenus testimoniis probavit factum nostrum inutile esse, quae iam sequuntur, mentem nostram etiam voluntatem ostendunt impuram esse. Quasi dicat: Sic habent res hominis, etiamsi facto externo non peccat, ut homicidio et adulterio, adhuc tamen nihil est in eo boni, sed sepulchro est similis patenti, ex quo nil nisi foetor nocens et putridus exhalat. Incipit autem a lingua et per omnia membra transit, ostendens nihil boni in nobis esse, sed lernam tantum omnium malorum. Ex gutture nil nisi impurum prodit, lingua dolis utitur, venenum aspidum quod maxime noxium est et insanabile; pedes properant ad effundendum sanguinem. Contritio, id est, perditio in omnibus viis eorum, nihil pacis aut mansuetudinis est apud eos. Sic probat Paulus omnes homines ex aequo peccatores esse.

Scimus autem.) Per antypophoram Iudaeis respondet, poterant enim dicere: Quid haec ad nos? Maxime, inquit, Paulus, vobis enim data lex est. Comprehendit autem et sub lege prophetas. Quasi dicat Paulus: Haec in primis ad vos pertinent, licet Gentes non sint excepti. Omnes enim sunt peccatores, ut omnium os obstruatur. Haec ideo tam clare produxi, ut obstruerem vobis omnibus os, ut nemo diceret:

Ego non sum peccator, sed ut se omnes homines peccatores agnoscerent, inutiles, infirmos, et sic tota fiducia se in deum coniicerent, se indigos divinae gratiae agnoscerent, nihilque de se gloriarentur.

Propterea quod ex lege.) Ex lege quam vos iactatis, nulla caro, id est, nullus homo iustificabitur, id est, iustus erit. Et ideo haec dico, ut nemo se iactet, nemo operibus fidat, et iustus apud deum legis observatione esse velit. Omnis ergo homo sua natura peccator est. Cognita ergo via iustitiae per Christum, gratias agat deo.

Per legem enim cognitio peccati.) Rationem subiungit, quare homo non possit iustificari lege. (Nam) coniunctio est causalis. Lex est cognitio peccati, id est, lex cognitum reddit peccatum. Ostendit quid peccatum, quid minus. Discimus in lege quid docere, quid facere debeamus, quid vitemus et fugiamus, sed simul discimus quod impossibile est nobis ista praestare. Et mortem per legem videmus. Lex docet, quod opus habeamus alio, qui adiuvet, iustificet, redimat, et servet. Exempli causa: Non concupiscas; diliges proximum ut te ipsum; haec praecepta ostendunt nos omnes esse peccatores adeoque damnatos; facit ergo ut desperemus de viribus et iustitiis nostris.

Nunc vero absque lege.) Dum homines legem non servarent, imo servare non possent, adeoque iusti esse non possent, manifestavit deus iustitiam suam per filium suum, qui est iustitia nostra

Dum comprobatur testimonia.) Quae iustitia, id est, qui filius dei, qui est iustitia nostra, comprobatur lege et prophetis, id est, testificatus est sub lege et prophetis. Gen. 3. Ipsum conteret caput tuum. Gen. 22. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Item 2. In Psalm. 131. De fructu ventris tui etc. Esa. 55. Misericordias David fideles etc.

Iustitia vero dei per fidem.) Haec dei iustitia: Die gerechtmachung Gottes, die fäligkeit die uns Gott gibt, contingit nobis per fidem in Iesum Christum, in omnes scilicet venit, vel: So dienet allen menschen, qui Christo fidunt.

Non enim est distinctio) Ergo nihil praecellunt Iudaei, nihil Gentes, nam hanc contentionem obiter, ubi locus est, attingit.

Omnes enim peccaverunt et destit.) Hoc satis supra probatum est ex divinis literis. Destituuntur gloria dei, id est, carent regno dei. Aut egent gratia dei, misericordia dei, nam gloria pro gratia capitur, ut exposui in Annotationibus in Exodum cap. 29. et 1. Reg. 15. Per gratiam enim, suam exhibitam gloria eius innotescit et illustrior fit.

Iustificantur autem gratis per illum.) Nemo suis operibus, sua iustitia, suis meritis iustificatur, sed omnes iustificantur gratis, per illius gratiam, quam exhibuit deus, dum filium suum in redemptionem nostri dedit, nam illa gratia et redemptio nobis manifestata est per Christum.

Reconciliatorem.) Graece est ἱλαστήριον propitiatorium. Alludit forte ad operculum arcae foederis. In Christo se nobis deus propitium exhibet et praestat. Tum vere reconciliamur cum deo, quum gratiam et misericordiam dei certo speramus per mortem et sanguinem Iesu Christi, Nam sanguis Iesu Christi emundat nostra delicta. Ipse est

agnus dei qui tollit peccata mundi. Unus est enim reconciliator Iesus Christus etc.

Ut ostenderet iustitiam suam.) Quasi dicat: Haec causa est quod dedit filium reconciliatorem pro peccatis nostris, ut ostenderet iustitiam suam, id est, ut ostenderet se veracem et iustum esse, quum servaret quae pollicitus erat.

Propter remissionem peccatorum.) Filium suum dedit ad remissionem peccatorum, quae facta erant, et perpetrata, antequam filius eius nasceretur.

Ad ostendendam iustitiam suam.) Non solum autem ad remissionem praeteritorum peccatorum, quae diu toleravit, sed etiam ad ostendendam iustitiam suam in praesenti tempore, quod ipse sit iustus qui iustificet omnem eum qui fidit Iesu Christo filio suo. Non ergo misit filium suum, ut duntaxat deleret et expiaret praeterita peccata, sed et praesentia et futura.

Ubi igitur gloriatio?) Ostendi vos una cum Gentibus peccatores esse omnes, et gratiam communem per Christum, qui ex gratia dei nobis datus est reconciliator et servator, ut scilicet esset nostra iustitia, non Iudaeorum solum sed et Gentium.

Exclusa est.) Scilicet gloriatio omnis et Gentium et Iudaeorum, ut nihil maneat omnibus nisi scelera. Quasi dicat: Detraxi vobis, ut opinor, personam, ut nihil vobis reliquum maneat, quam ut agnoscatis vos esse peccatores, et egere gloria ac gratia dei.

Per quam legem?) Id est, quomodo? operum? Non, sed per legem fidei, id est, per fidem. Et vocat ipsam fidem per abusum legem, schemate Graecanici sermonis, ut infra 7. cap. Lex peccati vel concupiscentiarum, id est, peccatum ipsum, vel concupiscentia. Sic infra cap. 8. Lex spiritus, id est, ipse spiritus. Sola ergo fide gloriamur, nullis operibus, nullis meritis.

Arbitramur autem.) Id est, colligimus. Quasi dicat: Huc tendo, hominem iustificari ex fide absque operibus legis. Salus ergo fidei non operibus tribuenda est.

An Iudaeorum tantum?) Iudaeos taxat, qui cum magno superbilio Gentes ut prophanas et immundas contemnebant.

Unus deus.) Est qui iustificat et salvum facit omnem hominem, qui ei fide adhaereat, sive is Iudaeus sit, sive Ethnicus.

Legem igitur irritam facimus?) Diceret iam Iudaeus: Ergo irritam facis legem Paule? Absit, inquit; per antypophoram, tantum abest ut legem irritam faciam, ut statuam potius eam et erigam. Nam qui fidit deo per Christum, is voluntati dei et innocentiae studebit, sed non fidet suis operibus, nec salutem aut iustitiam ex operibus sperabit.

CAPUT IV.

Quid igitur dicemus?) Postaquam Paulus fide iustitiam contingere docuit, ac confirmavit, obiicit Iudaeus: Quid igitur? (in persona enim eorum loquitur.) Quasi dicat: Quum opera legis sic exagitas,

quid de Abrahamo patre nostro dicis? an non is ex operibus iustificatus est? Respondet Paulus ad Iudaeorum obiectionem, et dicit:

Si Abraham ex operibus.) Iustificatus est, habet quod glorietur coram hominibus, sed non coram deo. Quasi dicat: Si ex operibus factus est iustus, non habet quod glorietur de gratia, benevolentia, et beneficio dei, nam tunc per se iustus est. Sic de nobis quoque sentiendum est, si volumus nostris operibus meritum, iustitiam, ac salutem tribuere, spoliamus deum gloria sua, et non omnia accepta ferimus divinae misericordiae: quae est blasphemia magna.

Quid dicit scriptura?) O Iudaei, an non legistis scripturam? Vestram opinionem, nempe ex operibus iustificatum esse Abrahamum falsam esse, scriptura ipsa ostendit, quam audiemus.

Credidit Abraham deo.) Hoc scribitur Gen. 15. Ei qui laborat, huic nihil datur ex gratia, sed merces ei redditur: sed quum datur ei qui non laborat, gratia mera est, non merces. Ab hac similitudine discite etiam, quod nobis propositum est, nempe salutem ex gratia contingere, non ex operibus, alioqui gratia non esset. Aut ergo gratia non est gratia, aut ex operibus non contingit iustitia. Wie kan Gott ein gnädiger Gott heiſſen, si ex operibus iustificamur? quum nihil gratiae nobis impertiat. Ad hoc iam testimonium Davidis addit.

Beati quorum remissae sunt.) Ex gratia scilicet dei; beati sunt quibus deus offert suam misericordiam, quibus gratuito remittit et tegit peccata. Non dicit: Qui operibus suis remissionem peccatorum obtinuerunt.

Beatificatio igitur haec in praeputium.) Obiicere Iudaeus posset: Admitto quidem, ut homo fide iustificetur, sed haec iustificatio Gentibus non impertitur. Nam per praeputium Gentes intelligit praeputiatas et incircumcisas. Per circumcisionem Iudaeos circumcisos. Obiectio ergo Iudaeorum est, qui omnino Gentibus ut profanis salutem negant.

Quomodo imputata.) Respondet iam Iudaeis Paulus pulcherrima et acutissima obiectione, dicens: Cur non animadvertitis qua via contigerit Abrahae iustitia? Nondum fuit circumcisus Abraham quum crederet deo, ergo haec beatificatio et iustificatio fidei etiam Gentium est. Iam Iudaeus posset quaerere: Si Abraham fuit iustus ante circumcisionem, cur ergo accepit circumcisionem? Respondet iam Paulus.

Et signum accepit circumcisionis.) Accepit quidem circumcisionem patriarcha, sed non ut iustificaretur, sed tanquam sigillum et signaculum illius iustitiae, quae ei contigerat ex gratia dei, quum esset adhuc Gentilis aut incircumcisus, in testimonium nimirum, ut pater esset, id est, exemplar omnium credentium per praeputium, id est, Gentium fidelium, incircumcisorum carne qui tamen viderent misericordiae dei, ut et illi iusti essent. Et pater circumcisionis denique, id est Iudaeorum, vel eorum qui ex circumcisis crederent. Ut ostenderet deus per Abrahamum, vel in Abrahamo, quod nulla esset gens, quae salutis esset exsors, modo crederet. Nota, Paulus vocat hic circumcisionem signum praecedentis fidei in Abrahamo, non hac sententia,

quod fidem suam praecedentem obsignaret circumcisio externa, vel quod nemo circumcidi debeat et signum hoc recipere nisi prius credat, quod Catabaptistae contendunt, sed quod signum esset, ei in praeputio contigisse misericordiam et gratiam dei, et velut tesseram quandam ac testimonium publicum. Sic baptismi signum non recipitur in hoc ut fidem firmet, ut peccata expiet, sed ut testimonium sit, baptisato per Christi sanguinem abluta esse peccata, contigisseque ei iustitiam et remissionem peccatorum ex sola gratia, ex nullo opere aut merito.

Iis qui non solum genus ducerent.) Rationem superius reddidit apostolus cur contigerit iustitia fidei Abrahamo in praeputio, nempe ut esset pater, id est exemplar gentium fidelium, simulque circumcisionis. Hic iterum ad gentium iustificationem revertitur, quod scilicet sit pater eorum qui non sunt ex circumcisione, scilicet gentium, quas gentes (inquit Paulus) vos Iudaei contemnitis, sed earum gentium, quae in praeputio credunt, quemadmodum Abraham credidit, hoc est qui fideles sunt in praeputio.

Non enim per legem promissio.) Probat iam Paulus dictum suum verum esse: Abrahamum non iustificatum esse ex operibus legis. Lex enim tum lata nondum erat, sed longe post, ut patet ad Galatas 3.

Nam si ii qui ad legem pertinent.) Quasi dicat: Si illis tantum contingit haereditas vitae aeternae, qui ad legem pertinent, id est qui factis legem exprimunt, et implent, consequitur vos cum Abrahamo damnatos esse, partim quod lex tempore Abrahami nondum fuit, partim quod nemo vestrum legem praestat. Porro si ii solum salvi sunt, qui sub lege sunt, et lege iustificantur, consequitur inanem esse fidem, et irritam promissionem. Promisit enim deus per semen Abrahae omnes gentes salvas fore, Gen. 22. Semen autem Christus est. Si nunc iustitia his tantum contingeret qui sub lege sunt, inanis esset ista promissio. Haec omnia dicuntur a Paulo, ut commendetur nobis Christus et eius mors. Nam omnia illa essent irrita, si ex lege esset iustitia, et sic etiam frustra esset fides in istam promissionem et gratiam, quae nobis exhibita est per Christum.

Nam lex iram operatur.) Supra dixerat: Lex est cognitio peccati; tantum abest ut salvet lex et iustificet, ut potius accuset quasi transgressores, adeoque damnet, et hoc de iis intellige qui nondum in Christum credunt, et lege salutem quaerunt. Nam eos qui in Christum credunt non damnat, sed ducit potius lex. Nam qui Christo credit, studet se legi dei conformare. Exempli gratia: Diliges proximum tuum ut te ipsum, hanc legem pius sic audit, ut ei grata sit et maxime probetur, incredulus vero sic audit, ut contemnat et odiat. Et sic parit iram, non lex, quae spiritualis est, sed incredulitas nostra et carnis contumacia, quae legis puritatem et perfectionem ferre non potest. Quum ergo Paulus dicit: Lex operatur iram, loquutionem esse sciamus, quarum loquutionum plena est omnis scriptura.

Ubi non est lex, non est transgressio.) Ex hoc loco videmus permultos non esse damnatos, in quibus lex nondum est, quia non est in eis transgressio, ergo nec damnatio.

Idcirco ex fide datur haereditas.) Ergo non ex lege. Ex fide

datur et ex gratia, ut firma maneat promissio omni semini, non tantum Iudaeis sed et omnibus gentibus, qui exemplo Abrahami deo credunt ac fidunt.

Qui est pater omnium nostrum.) Quemadmodum deus pater est omnium gentium, sic constituit Abrahamum patrem omnium credentium, id est exemplum, ut quicunque crediderit quemadmodum Abraham credidit, is salvus sit futurus et filius Abrahae. Promisit deus se testamentum conditurum, id est promisit per semen Abrahae, id est Christum, se salvaturum omnes gentes. Dicat aliquis: Quid ergo differunt vetus et novum testamentum? Hoc scilicet, quod foedus cum Abrahamo ictum, cum novo populo innovatum et erectum est, scilicet, cum gentibus. Item, quod nos praesentem et exhibitum Christum habemus, quem ipsi exspectabant promissum et futurum. Una ergo est ecclesia, una fides, unus populus, unicum et idem testamentum, et foedus.

Qui vitae restituit mortuos.) Per egressionem, ut solent Hebraei, in laudem dei expatiatur. Brevis est descriptio potentiae dei. Quasi dicat: Et deus quidem ista potest, ex populo scilicet qui suus populus non est, suum populum facere. Nam quod dicit: Facit ea quae non sunt ac si essent, de gentibus intelligit. Quasi dicat: Is qui omnia condidit, quum nihil essent, potest etiam gentes, quas vos Iudaei pro nihilo reputatis salvos facere, et in populum suum cooptare. Vita ergo et salus omnis a deo petenda est.

Qui praeter spem sub spe.) Quum multis verbis ostendisset hoc capite Abrahamum non operibus sed fide iustificatum, iam ostendit quomodo et quid crediderit, et quam firma fuerit fides eius.

Gloriam deo tribuens.) Gloriam deo tribuit qui eius promissioni firmiter credit, nec dubitat deum veracem esse, et servare quaecunque pollicetur. Hoc de deo sensit Abraham, constanti fide innixus promissioni divinae, utcunque rerum facies aliud suaderet et praetenderet. Fides enim nihil non sperat, nihil non fert, nihil ei grave est, fides coniicit se totam in deum summum bonum, idque summa constantia et spe certissima.

Quapropter etiam imputatum.) Iam concludit hoc argumentum Paulus quod toto capite urserat, imputatam iustitiam fuisse Abrahamo, non propter opera legis, sed propter fidem, qua deo firmiter et indubitate credidit.

Non solum autem propter eum.) Ne quis putet haec scripta esse duntaxat propter Abrahamum, ostendit ea ad omnes fideles pertinere, qui filii sunt Abraham. Deus semper idem est, nec unquam ab ingenio suo recedit: ergo si nos in eum, quemadmodum Abraham, speraverimus, erit et nobis qualis fuit Abrahamo olim: Si unquam fuit clemens et misericors, adhuc est; si unquam fuit iustus, adhuc est iustus.

Qui traditus fuit propter peccata nostra.) Illud non ab re adiicitur a Paulo, illi enim se operibus iustificari contendebant. Excitatus propter nostri iustificationem, ut patet 1. Cor. 1. Ipse enim est iustitia nostra.

CAPUT V.

Iustificati igitur ex fide.) Contendit contra eos qui operibus iustitiam tribuebant. Et posteaquam evicit sola fide contingere iustitiam, iam hoc capite quasi per epilogum repetit, per fidem non per opera constare pacem et tranquillitatem conscientiae. Nam utcunque sint splendida opera, tamen fidere eis nemo unquam tuto potest; qui vero deo fidit per Christum, is iam pacatam habet conscientiam. Christus est, per quem in hanc gratiam ducimur, nam per hunc accessum habemus ad deum.

In qua stamus.) Id est, firmi sumus, et gloriamur nos coelestis gloriae et vitae aeternae esse participes. Nemo nisi stultus gloriatur de re, de qua certus non est, nec fidelis duntaxat gloriatur se filium dei esse per Christum, sed etiam gloriatur dum affligitur cum Christo et ob Christum; novit enim sibi hoc fieri in bonum, pater enim quos diligit affligit; novit se corregnaturum Christo, si cum eo compatitur.

Scientes quod afflictio patientiam.) Persequutiones et tentationes probant hominem, et augent spem, exercetur homo tentationibus et discit, spe certa accurrit ad deum, quae spes nunquam fallit. Isti sunt fructus fidei: iustificatio, pacatum esse in conscientia, laetum, fortem, imperterritum et constantem in tribulationibus, gloriari et gaudere sub cruce, in finem usque perseverare.

Quod dilectio dei effusa sit.) Spes non pudefacit, quia diligimus per dilectionem, quam deus infudit in corda nostra suo spiritu: id est, hoc certo sentimus in nobis, spem scilicet non pudefacere, per dilectionem, id est per fidem, quam deus per spiritum suum effundit in corda nostra. Quod caritas et fides idem sint, vide in Annot. epist. ad Corinth. 1. Cor. 13.

Christus enim quum adhuc.) Commendat iam Paulus caritatem dei erga nos; aut sunt certa indicia, quibus Paulus ostendit, spem in deum per Christum non posse pudefacere nec pudefieri. Et hoc facit coniunctio rationalis Enim. Est autem argumentum a maiore ad minus. Infirmi eramus, id est impotentes ad redimendum et salvandum.

Iuxta rationem temporis.) Id est, praedestinato et certo tempore mortuus est Christus pro nobis, illo scilicet, quod a patre erat praescriptum. Animat hoc nos ne vereamur deum accedere, imo cum magna fiducia eum adeamus per Christum. Potest et ratio illa temporis ad nos referri, tum scilicet quum nos essemus adhuc infirmi. Sed videtur prior sensus melior ut punctum ponatur post Infirmi, et deleatur post Rationem. Non solum gloriamur nos certo esse filios dei, sed etiam gloriamur nos per filium redemptos et reconciliatos, non auro, non argento, sed pretioso sanguine Iesu Christi. Illud fiduciam nobis auget apud deum. Deinde admonet, ut sancti et innocentes vivamus coram eo. Iam dicat aliquis: Unde sum peccator factus? Respondet per antypophoram.

Propterea quemadmodum propter unum hominem.) Ex Adam omnes facti sunt peccatores, quotquot ex eo nascuntur. Peccatum per Adam in mundum venit, id est, omnes homines corrupti et

infecti sunt in radice. Capitur enim hoc loco peccatum pro morbo. Nam totus homo caro factus est, Gen. 6. Cogitat ergo quae carnis sunt.

Ac propter peccatum mors.) Quemadmodum enim per Adam omnes constituti sumus peccatores, id est: Eyner ſünt-lichen präſthafftigen art: Sic morti omnes obnoxii sumus. Loquitur autem de corporali morte quam omnes obimus. Peccatum autem mors animae est. Mortuus ergo est homo corpore et anima, sed per Christum vivificatur. Quatenus omnes peccavimus: iterum capitur peccatum pro morbo. Nam alioqui actu non peccavimus omnes, ut Adam peccavit.

Usque ad legem.) Est antypophora. Diceret enim quis: Quomodo illi peccaverunt quum nondum esset lex? Respondet: Hoc peccatum quod per Adam in mundum introiit, in omnes introiit, ita ut omnes peccatores constituerentur: Die böſe art iſt in alle menſchen gefloſſen, et peccatum semper fuit peccatum etiam antequam fuisset lex data. Et hoc patet ex eo, quod mortui sunt etiam hi qui non ut Adam peccaverunt. Ubi vero mors est, ibi est et peccatum. Nam mors poena est peccati.

Sed peccatum non imputatur.) Id est, hi homines qui legem non habent, illud quod peccatum est, eis pro peccato non reputatur, non imputatur hoc illis coram hominibus, non possunt plecti ut peccatores. Nam hoc non refertur ad deum, imo deus eis imputat, ut pàtuit supra, quum dixit: Qui sine lege peccarunt, sine lege punientur. Hoc probat factum Cain Gen. 4. qui fratrem occidit, quum nondum esset lex, quae homicidium vetaret, nihilominus sibi in homicidium a domino imputatur. Nam dixit deus: Sanguis fratris tui clamat ad me. Respondet Cain: Maius est peccatum etc. Ecce verbum dei lex ei erat. (De Vera et Falsa Relig.) Cum ergo dicit Paulus peccatum lege nondum existente non imputari hominibus, debet non ad deum referri, quod scilicet ipse non imputet; nam si hoc, ante legem fuissemus omnes excusati.

Imo regnavit mors.) Quasi dicat: In hoc quidem cognoscere potestis, hoc peccatum quod per Adam mundum introiit, semper fuisse peccatum damnabile, quod omnes homines ad Mosen usque mortui sunt, sub Mose autem tandem lex data est. Hic patet quam commode peccatum et mortem, id est damnationem, quam propter peccatum incurrimus, deinde liberationem, quae per Christum fit, explicat atque ostendit Paulus: per Adam nempe omnes homines peccatores et morte dignos factos, et nisi per Christum liberati essent, aeternum damnatos.

Qui typum gerit illius futuri.) Iam Adamum primum parentem, et Christum committit, et utriusque officium clare ostendit.

At non ut peccatum.) Dico Adam figuram Christi gerere, at longe diversissima ratione, ut sit simile dissimile. Nam finis Adae mors, Christi vero vita, 1. Cor. 15. Factus est primus homo etc.

At non sicut peccatum.) Donum dei (Christus) multo est copiosius, locupletius, magnificentius quam peccatum, in quod nos Adam coniecit. Ostendit autem non solum peccatum originale, scilicet morbum, per Christum tolli, sed et fructus peccati, qui scilicet ex infecta radice suppullulant et erumpunt, de quibus Matth. 15. et Gal. 5.

Nam si unius delicto.) Hunc esse sensum indicat coniunctio causalis Nam. Multi, *οἱ πολλοὶ*, id est omnes, tota multitudo: sic alibi multos vocatos dicit, id est omnes, per praedicationem scilicet externam. Per multos ergo omnes et universam multitudinem intelligit. Nam peccatum Adae in omnes effluxit et serpsit.

Multo magis gratia.) Donum dei hic Christum appellat Paulus, quemadmodum Christus sese, Ioan. 4. Si scires donum dei. Sensus est: Si Adam suo peccato tantum potuit, ut omnes nos peccatores constitueret, cur non potius donum dei tantum posset ut per ipsum omnium omnia peccata remitterentur?

Nam condemnatio quidem.) Adam nos uno peccato omnes condemnat. Christus non ab uno duntaxat peccato, scilicet morbo isto genitali, sed a multis flagitiis et sceleribus liberavit. Nam ut in Adam tanquam in radice infecti et morbidi facti sumus omnes, morbus hic erumpit in malos fructus et mala opera quae fiunt contra legem et voluntatem dei, et ista peccata etiam tolluntur per Christum: hoc ostendit hic Paulus. Possunt tamen omnia illa per antypophoram dici illis, qui se operibus legis, non morte Christi iustificari contendebant. Dicuntur et in consolationem peccatoribus ne desperent, ne putent peccata sua maiora et graviora esse, quam ut veniam impetrare possint. Item faciunt ad commendationem gratiae dei, et abiectionem nostri, et ad dei dilectionem.

Mors regnavit.) Pleonasmus est. Describit autem iustitiam dei, et quemadmodum de peccato iam loquutus est, ita et iam de morte.

Ceterum lex obiter subiit.) Diceret iam quis: Si ex fide salus, quid opus est nobis lege? Per Antypophoram respondet et dicit: Lex non in hoc data est ut iustificet, sed in hoc subiit, ut abundaret delictum, ut homines viderent quid peccatum esset, quid minus. In lege discimus peccatum cognoscere. Sic supra 3. et 1. Cor. 15. Potentia peccati lex.

Ubi vero abundavit delictum.) Non est data lex ut iustificet, sed ut lege agnoscamus quanti essemus peccatores, et quam egeremus misericordia dei qua servamur, ut multiplicato peccato, id est quum peccatum abunde et clare esset ostensum et cognitum, gratia dei per Christum etiam tum abundaret, id est se manifestaret. Nisi enim Christus factus esset iustitia nostra, omnes essemus damnati.

CAPUT VI.

In hoc capite Paulus iis respondet qui sic obiiciebant: Si per Christum omnium peccata tolluntur, et multiplicatis peccatis gratia fit abundantior et clarior, quid ergo aliud faciendum quam continue peccare, quo gratia dei magis abundet? His iam occurrit per anticipationem Paulus, ostendens, quod fidelis non modo sic non loquatur, sed quod nunquam sit peccaturus; quin caveat a peccatis omni studio, curetque quotidie ut moriatur peccato, et veteri homine exuto et reiecto novus resurgat. Et ad maiorem explicationem epicherema a baptismo trahit, ut fortius moveat ad vitam Christo dignam. Quum igitur illi sic cogitant aut loquuntur:

Quid igitur dicemus? Manebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit (inquit) *qui mortui sumus peccato, quomodo posthac vivemus in eodem?*) Quasi diceret: Quomodo vero posthac in peccatis vivere possetis, quibus iam mortui estis, aut saltem esse deberetis? Iam dicere poterant ubi mortui sumus peccatis? quomodo, aut quando? Respondet Paulus, hoc in baptismate vestro discite. In externo signo baptismatis satis intelligere potestis quam vos peccata dedeceant, ut infra. Per peccatum autem, quo nos mortuos vult esse, intelligit veterem hominem. Quum homo nondum est regenèratus, quum deum adhuc non recte cognoscit, quum uni deo adhuc non fidit, quum adhuc iuxta affectus suos vivit, qui sine deo adhuc est, hoc est peccatum quod ab Adam habemus quasi ex traduce, et est vetus homo. Novus vero homo is est, qui deum verum vere cognoscit, huic uni fidit, in hunc sperat, hunc super omnia amat, cui deus est omnia, qui iuxta dei voluntatem duce spiritu vivit.

In mortem eius.) Quum intingeremini in aquam baptismalem, in mortem Christi inserti estis, id est, intinctio corporis vestri in aquam signum fuit, vos insertos esse debere Christo et eius morti, ut quemadmodum Christus mortuus est et sepultus, et vos mortui sitis carni et veteri homini, id est vobis ipsis.

Ut quemadmodum excitatus est.) Quod vero ex aqua rursus existis, significat, quod quemadmodum Christus a morte ad novam vitam resurrexit, et vos a morte peccati resurgatis, nunquam amplius morituri sed cum deo victuri, ut in novitate vitae ambuletis. Christiana ergo vita fiducia est firma in deum per Christum, et innovatio vitae in Christo, carnis mortificatio etc.

Nam si insititii.) Eadem est sententia cum priori: nam eadem variis tropis et verbis explicat.

Illud scientes.) Ab hac similitudine hoc discimus, quod vetus homo cum Christo in fidelibus debet esse crucifixus, id est, mortificatus, interemptus.

Ut evacuetur.) Vel aboleretur. Latius explicat quid intelligat per hoc quod crucifixi debeamus esse cum Christo. Corpus peccati: Das wäſen der ſünd, die ſünd ſelbs ſelbs. Ut posthac non peccato, id est, morbo et corruptioni obsequamur et serviamus. Corpus peccati nos ipsi sumus. Sic Col. 2. Divinitas corporaliter habitat in Christo, id est: Gott ſelbs. Sic Germanice dicimus: Das iſt der lybhafft tüfel, id est: der tüfel ſelbs. Alioqui nec deus nec diabolus corpus habent, quum uterque sit spiritus incorporeus. Servire peccato, est, audire affectus carnis et illis obsequi.

Etenim qui mortuus est.) Qui mortuus est, amplius non peccat. Similitudo sumpta a mortuis. Et nos per baptismum commorimur Christo, ergo a peccato debemus esse alieni. Christianum esse, est mori peccato, non sequi affectus carnis, sese abnegare, innocenter in Christo vivere.

Peccato mortuus fuit.) Christus peccato mortuus fuit, id est, propter peccatum; ut scilicet peccatum occideretur, tolleretur, mortuus est Christus. Nos vero peccato, id est, carni debemus mortui esse,

ut non carni posthac, sed deo vivamus per Christum, ut simus nova creatura in Christo. Ita non satis est baptizatum esse, sed in hoc esse baptizatum, ut novi simus homines.

Ne igitur regnet peccatum.) Iam ostendi, inquit Paulus, quid nos, qui Christi sumus deceat, nempe, ut simus novi homines, nova creatura in Christo, ut novam vivamus vitam. Hoc igitur volo, ne regnet peccatum in vestro mortali corpore. Quasi dicat: Scio quidem ingenium carnis, scio quod nunquam requiescit dum hic vivimus, scio quod semper aedit fructus malos; sed hoc diligenter curate, ne regnet, ne dominetur, ne imperium obtineat; hoc tum fit, dum iuxta carnis affectus vivitis. Abneget semetipsum homo dicit Christus, quod Paulus dicit: Ne regnet peccatum. Sic Christus docet orare: Ne nos inducas in tentationem.

Neque accommodetis.) Non solum in peccatum consentire non debetis, sed nec membra vestra exhibere arma iniustitiae, id est, peccato et veteri homini. Etiamsi homo aliquando in malum consentiat, non debet tamen administrare membra sua ut perficiat iniustitiam.

Velut ex mortuis viventes.) Ergo non decet nos ut vivamus sicut antea, nam sumus iam viventes ex mortuis.

Peccatum vobis non dominabitur) Vobis scilicet credentibus, fidelibus, qui peccato et veteri homini estis mortui. Peccatum non dominabitur, idem est cum superiori, quum dixit: Ne regnet. Velper dominare damnare intellige: Non dominabitur vobis, id est, non potest vos damnare, utcunque semper sua dictet. Sed prior sensus simplicior est.

Non enim estis sub lege.) Rationem subiungit. Lex non habet in vos imperium, ut damnet vos.

Sed sub gratia.) Scilicet Christi, qui legis iram et indignationem fregit, id est, qui iustitiam dei, qua merito in nos animadvertisset, lenivit. Et illa coniunctio Enim, rationalis, magis quadrat secundo sensui. Lex maledicit omnes qui non manent in omnibus quae ipsa praecipit, Deut. 27. Per Christum autem ab hac lege, id est, a maledictione hac legis, vel a damnatione legis liberamur, dum ipse factus est pro nobis maledictio, cruci scilicet affixus, Gal. 3.

Quid igitur?) Iterum per antypophoram respondet illis, qui dicebant: Si a lege sumus liberi, item ab eius maledictione, peccabimus ergo?

Absit.) Inquit. Quasi dicat: Si Christi sumus facti, voluntati eius studebimus. Voluntas eius est, ut pure et innocenter vivamus. Servus enim studet ut placeat hero suo, utque se eius voluntati accommodet. Servitus peccati in mortem est, dei servitus in vitam. Si igitur astrinximus nos in servitutem dei, audiemus illum, et ei obtemperabimus.

Gratia autem deo.) Quasi dicat: Tales quidem aliquando fuistis, scilicet servi peccati et carnis, quum non puderet vos illarum rerum quae turpes sunt, sed iam obedistis ex animo in aliam vitae formam, quam Christus praescripsit, idque non ex vobis sed ex gratia dei.

Humanum quiddam dico.) Quasi dicat: Ich züch die ding yemerdar an zu lychtem verſtand. Liberati a peccato, servi facti sumus

iustitiae. Ut clare intelligatis, fingite vobis duos heros, alterum peccatum, et veterem hominem: alterum iustitiam et gratiam per Christum, per quam renascimur in novos homines. Si sumus servi peccati, liberi sumus a gratia: si sumus gratiae servi, liberi sumus a peccato. Aliquando fuistis servi peccati et iniustitiae: nunc vero servi estis gratiae, Christi, dei, iustitiae, servite ergo iustitiae.

Quemadmodum praebuistis.) Dum eratis servi peccati, veteris hominis, carnis, ex peccato in peccatum cecidistis, nullum peccatum vitastis, ut hero vestro fideliter inserviretis. Iam contrarium facite, et eadem strenuitate ac diligentia servite domino, iustitiae, innocentiae. Christianum ergo esse, est servum esse Christi, et illi fideliter servire.

Ad sanctificationem.) Id est, ut sancte et pure vivatis, 1. Thes 4. Haec est voluntas dei sanctificatio vestra, 1. Pet. 1. Et est antithesis (ad iniquitatem.)

Quem fructum?) Hic latius respondet ad superiorem quaestionem quando dixerunt: Peccabimus ergo? Tantum, inquit, abest ut peccetis vos fideles, ut vos vehementer pudere debeat praeteritorum peccatorum. Quemadmodum in ebriis et aliis facinorosis videmus, qui ubi resipiscunt et ad mentem redeunt, valde erubescunt. Sed impii dum in profundum venerint, contemnunt. Gratia ergo dei nobis impartita, non debet nos facere insolentes et impudentes, sed gratos, modestos, et cautos.

Finis illorum.) Quasi dicat: Dicam vobis quid praemii vos maneat si in peccatis permanseritis, mors nempe et damnatio: fideles vero manumissi a peccato, servi facti iustitiae fructum habent non mortem, sed sanctificationem et vitam aeternam.

Autoramentum peccati mors.) Ex peccato nihil erit vobis stipendii, quam aeterna mors. Donum vero dei, id est, Christus, qui donum dei est ex gratia nobis donatus, vita aeterna est. Et hoc subiungit, ne quis operibus iustitiam tribuat, in hoc enim versabatur cardo contentionis.

CAPUT VII.

An ignoratis fratres.) Hoc capite resumit illud, quod superiori capite dixerat, fideles non esse sub lege, sed sub gratia. Hoc iam probat et ostendit commoda similitudine coniugii. Quamdiu vivit. Hoc amphibolum est, potest enim referri ad hominem et ad legem.

Alligata.) Scilicet per legem coniugii. Et haec lex coniugii talem habet tenorem. Mulier subesse debet viro quamdiu vivit etc.

Itaque fratres.) Ostendit nos per corpus Christi, quod pro nobis mortuum fuit, legi mortuos esse, id est, ob mortem Christi damnationi, quae per legem constat, mortuos nos esse, ut amplius nos damnare non possit. Per legem ergo virum intellige qui dominatur, damnat, et ius in nos exercet. Nam dicit: Maledictus, qui non permanserit in omnibus quae praecipit lex. Item per mulierem intellige hominem quem lex damnat. Mortuo vero Christo e damnatione legis sumus erepti. Nec docet Paulus, ut sic simus a lege liberati, ut quae lex praecipit et praescribit non faciamus. Nam lex dei aliud nihil est quam voluntas dei quae permanet in saeculum saeculi.

Ut iungeremur alteri viro.) Quemadmodum uxor mortuo marito, libera est a lege viri, ita ut non sit adultera etiamsi alteri nubat: ita et nos liberati sumus, non ut legem non faciamus, sed ut nos alterius simus, nempe illius qui a mortuis resurrexit, ut fructificemus deo. Legi ergo, id est, damnationi legis mortui sunt fideles, ut omnia iam non metu legis, sed caritate impellente faciant. Nam deus caritas est. Sic ergo a lege liberi sumus: primo, ut lex nos non possit damnare: secundo, ut omnia quae legis aeternae sunt, spiritu et caritate ducente faciamus sponte et hilariter.

Cum essemus in carne.) In carne esse quid sit, supra 6. cap. patuit, nempe iuxta carnem vel affectus carnis vivere, vivere ad praescriptum veteris hominis.

Affectus peccatorum.) Die hetzungen, reitzungen veteris hominis, qui sunt per legem, id est: Die ſich durch das gſatz regend vnd offnend, qui se per legem exerunt, mirum in modum in nobis ad mortem operantur. Tantum abest (dum carni adhuc servimus) ut deo fructum feramus, ut quidquid lex praecipit, nos contrarium velimus, et quanto magis lex vetat, hoc magis irritantur affectus carnis, et hoc magis contra legem cupiunt, sicque nil nisi morti fructum tulimus. Nam omnia taedio quodam, aut simulatione ac invite fiebant, et illa opera ingrata sunt deo.

Nunc autem liberati.) A lege quae nobis tam dura erat, tam graviter imminebat, damnabatque, per mortem Christi liberati sumus, ut serviamus iam Christo ex caritate, non legis impulsu coacti.

Non per vetustatem literae.) Litera est, quum lege praecipiente et coacti facimus opus legis. Novitas spiritus est, ubi homo non legis respectu, vi, aut metu, sed ductu spiritus, et ex caritate omnia agit. Tales sunt qui per Christum sunt liberati, non enim metu inferorum, aut spe praemii, sed per ignem caritatis inflammati bonum operantur, Luc. 12. et quasi voluntarii et spontanei ad omnia quae dei sunt feruntur.

Lex ergo peccatum?) In his quae sequuntur Paulus peccatum, id est, veterem hominem describit, de quo supra 5. et 6. cap. Ostendit autem peccatum morbum et luem esse. Item vim, naturam et efficaciam legis depingit. Deinde pugnam carnis et spiritus describit. Quum superius dixisset, eum qui Christi est, legi et peccato mortuum esse, potuit aliquis obiicere: Paule, tu dixisti nos legi et peccato mortuos esse per mortem Christi, ergo peccatum et lex idem sunt. Absit, inquit Paulus, sed per legem abundat peccatum, hoc est, per legem cognoscitur peccatum quantum sit. Homo nescit quid sit peccatum, quid non, nisi deus verbo suo hoc manifestet, quid factum, quid omissum oportuit. Lex enim expressa est doctrina de voluntate dei, quid ille velit, quid nolit, quid exigat, quid vetet.

Nam et concupiscentiam.) Per exempla declarat quod dixerat. Hominum enim et philosophorum doctrina negat concupiscentiam esse peccatum. Sic ratio humana colligit: Quis posset esse sine concupiscentia? peccatum ergo non est concupiscere. Verbum autem dei concupiscentiam prohibet.

Occasione accepta.) Quum vetus homo, et ingenium illud pravum et vitiatum, legem in manus sumit, et coepit expendere universa opera sua ad legem, reperit omnia esse peccata.

Per praeceptum genuit.) Id est, lex ostendit omnem concupiscentiam humanam peccatum esse. Nihil vult ostendere hoc loco Paulus, quam quod lex sit cognitio aut index peccati. Quasi dicat: Quum hanc regulam divinorum praeceptorum in manus sumpsi, et hac mensus sum concupiscentias meas, inveni omnes affectus meos peccata esse, item omnia consilia et studia mea. Nihil invenio quam philautiam. Qui ergo operibus suis fidunt, accipiant hanc regulam divinae legis, et expendant omnia studia opera sua, invenient se nihil esse quam peccatum.

Peccatum mortuum erat.) Ut supra: Ubi non est lex, ibi non est praevaricatio, id est, quum homines hanc regulam divinae legis non habent, peccatum pro peccato non habent. Nam vetus homo peccatum non agnoscit esse peccatum, donec deus verbo suo veniat et manifestet.

Ego vivebam aliquando sine lege.) Me exemplum proponam, dum puer eram, atque per aetatem, etiam legis nomen ignorarem, nec etiam legem naturae adhuc intelligebam, peccatum erat mortuum, id est, ego peccatum peccatum esse non agnoscebam. Pueri ergo et stolidi non comprehenduntur sub hoc quod supra dixit: Qui sine lege peccant, sine lege iudicabuntur.

Veniente mandato.) Id est, dum ad hanc veni aetatem, ut peccatum intelligerem ac cognoscerem.

Peccatum revixit.) Id est, tum sentiebam quam pravus, quamque corruptus essem, quantis peccatis obnoxius, planeque videbam nihil esse boni in me. Hoc prius non intellexeram nec agnoveram, donec lex veniret; quod prius iniquum esse non intellexi, per legem iniquum esse deprehendi. Explicat clare veteris hominis et peccati vim et naturam.

Ego vero mortuus.) Mox ut hanc vim legis vidi, totus concidi. Nam quidquid in me erat, hoc totum erat peccatum, concupiscentia nempe carnis, oculorum, et fastus vitae. Quid mihi inde nasci potuit quam desperatio?

Et repertum est.) Quod bono meo datum mihi fuerat a deo, hoc occidit me, hoc est, ex lege deprehendi me esse plane mortuum, vel reum mortis, quod tamen non legis, sed meo vitio contigit.

Nam peccatum occasione accepta.) Decepit me, id est, ostendit me hactenus esse deceptum, quod non agnovi peccatum meum, falsum scilicet me esse mea opinione, nam ego me iustum existimabam. Decepit me, id est, ostendit me deceptum, ut sit Hiffeil Hebraicum. Per legem enim reperi omnia mea scatere vitiis et sceleribus, reperi me contaminatum et mortuum.

Lex ipsa sancta.) Respondet iterum per antypophoram superiori quaestioni: Num lex peccatum? Dicit: Lex est sancta et bona, vel sic: Quod ego sic per legem damnor et reus fio, non debet imputari legi, nam sancta est.

Quod bonum erat ergo mihi factum est mors?) Sic obiiciebant quidam, in quorum persona haec citat Paulus. Absit, inquit, ego non dico hoc, quod lex quae bona et spiritualis est, facta sit mala, sed peccatum, quod per legem fuit deprehensum, quodque ante legem in me delituit, damnavit me. Est autem prosopopoeia, fingit enim peccatum personam esse. Per legem apparet peccatum quid sit, quum autem peccatum manifestatur, homo mortuus reperitur.

Ut fieret maiorem in modum peccans peccatum per praeceptum.) Id est, ut ego per legem constituerer maximus peccator, et in hoc data est lex, et sic lege abundat peccatum. Peccans peccatum, id est; homo peccans.

Lex spiritualis.) Iam incipit describere pugnam carnis et spiritus, quae in fidelibus est. Lex non habet culpam mei casus: ratio, quia spiritualis est, hoc est, si legem ex integro et pro divina voluntate servaremus ac perficeremus, viveremus; at hoc est impossibile carni: ratio, quia lex spiritualis est, ego vero carnalis, id est, nil nisi caro. In se autem omnes homines adumbrat. Et venundatus sub peccatum, id est, omnino mancipatus et deditus peccato, id est, veteri homini, morbo, et corruptae naturae Adae, omnino propensus sum ad malefaciendum. Nota, venundare sub peccatum, est totum deditum esse peccatis. Esa. 52; 3. Reg. 21. Lex spiritualis est: Es wil ytel lutere geiſtliche ding, quas assequi ego non possum, quum sim carnalis. Si Adam primum legem servasset, non fuisset eiectus e paradiso. Si nos servaremus legem, iusti essemus, sed non servamus, quia venundati sumus sub peccatum, ergo iusti ex nobis esse non possumus, sed per Christum assequimur iustitiam.

Quod enim ago, non probo.) Probat hominem esse venundatum sub peccatum: Quod ago per veterem hominem et per carnem, non probo iuxta spiritualem et novum hominem. Non probo, id est, non placet mihi.

Non enim quod volo hoc facio.) Non facio hoc, quod iuxta internum, spiritualem et novum hominem volo ac propono, sed potius contrarium, quod odi. Non enim facio quod statueram iuxta fidei et spiritus consilium.

Consentio legi.) Quum hoc facio quod nolo, tacite consentio legi, et testimonium ei do, quod bona sit. Nam ego ipse, quod lex iubet, statueram facere ob hoc quod bonum videbatur. Et lex nihil nisi bonum iubet ac praecipit.

Inhabitans in me peccatum.) Ego igitur non perpetro peccatum quod mihi displicet, quatenus scilicet sum fidelis, sed inhabitans in me peccatum, id est, morbus et vetus homo, cui sum obnoxius et qui tyrannidem in me exercet.

Novi enim quod in me, id est, in carne mea non habitet bonum.) Quantus quantus sum agnosco in me nihil boni esse. Caro hic pro anima et corpore accipitur, ex quibus constitutus est homo, id est, pro toto homine. Novi me nil nisi carnem esse si mihi permittar, nihil statuo, nihil meditor, quam quod malum est, Gen. 6. 8.

Nam velle adest mihi.) Quatenus scilicet fidelis sum, quatenus-

que spiritus dei me ad pie vivendum ducit. Intelligo dictante spiritu dei, quid bonum sit, quid velit deus, et quid a me exigat, et hoc quidem volo, at ut faciam hoc quod intelligo et volo, non reperio, dum scilicet carni ausculto, torpet, renuit sequi, contrarium facit etc. Sic fidelis homo, auribus (ut aiunt) lupum tenet, carne ad suas partes trahente, spiritu ad ea quae dei sunt. Audit deum loquentem: Diliges proximum tuum ut te ipsum. Spiritus statim hoc dictat: Hoc dignum est, ut fiat. Caro vero ad sui amorem sollicitat, et multa causatur ac praetexit. Omnia haec a Paulo dicuntur, ut ostendat miseriam humanam, ut ostendat hominem nil nisi peccatum esse.

Reperio igitur per legem.) Dum quod bonum est facere statuo, malum quod mihi adiectum est, per legem reperio, quae dicit: Diliges proximum tuum ut te ipsum. Licet mihi hoc iuxta fidem placeat, tamen non facio. Ex quo per legem reperio mihi malum adiunctum esse.

Delectat enim me lex.) Iuxta internum hominem scilicet. Vocat autem internum hominem, qui spiritui dei aurem praebet. Delectat autem eum lex dei, quia non vult aliud quam quod lex iubet.

In membris meis.) Per membra exteriorem hominem intelligit. Quum mens et spiritus legi dei consentit, et ea delectatur, mox omnia membra repugnant.

Captivum reddentem me.) Non tantum repugnat, imo vi quadam me agit, et internum hominem quasi captivum ducit. Dum mea ad legem dei conformare ordior, mox prosilit vetus homo, et vi quadam me alio rapit, huc scilicet, ut quod statueram deseram, et ad partes carnis deficiam.

Miser ego homo) Exclamatio est vehemens in desperata causa, quum homo in se praeter peccatum nihil invenit, adeoque se merito damnatum videt, quam damnationem per se nullo modo effugere potest. Alienam ergo opem implorat.

Gratias ago.) Gott ſey lob, Christus est is per quem eripior. Christus, non Papa, nos in huiusmodi angustiis constitutos consolatur et liberat.

Ita idem ego.) Haec per modum epilogi adiicit. Quasi dicat: Ab eo tempore quo Christum cognoscere coepi, perstat mens in meditatione earum rerum, quae legis et dei sunt. Caro vero (ut est ingenium eius) perpetuo peccato aurem praebet et obsequitur.

CAPUT VIII.

Nulla igitur condemnatio.) Per Christum liberatio fit a peccato, a morte, a damnatione, infert ergo: Non ego solus igitur, sed et omnes quotquot in Christo Iesu sunt, nihil damnationis habebunt. Quid autem aliud docet Christus Ioan. 3. 6? Nihil ergo metuendum nobis, si in Christo manserimus.

Qui non iuxta carnem.) Indicat iam, quid sit in Christo Iesu esse, nempe non secundum carnem vivere, sed ambulare secundum spiritum. Non audienda est caro in his quae dictat ex morbo latenti in nobis, qui dicitur vetus homo, sed spiritus audiendus est, qui ex deo loquitur. Vivere secundum carnem, est totum carni et imperio eius

cose deditum, et a spiritu alienum. Iuxta spiritum vivere, est audire quid deus loquatur in nobis, a fide in deum non discedere, etiamsi caro interim a contagio peccati non sit aliena. Qui ergo sub carnis imperio serviunt, in Christo nondum sunt, ut supra 6. Ne regnet peccatum.

Nam spiritus vitae.) Rationem subiungit, quare nihil damnationis his sit, qui sunt in Christo Iesu. Nam quemadmodum lex terruit et ad desperationem adegit, ita lex spiritus vitae, id est, certa et indubitata in Christum fides, liberat et consolatur, quam legem nemo nisi spiritus vere dat, et quem spiritum sequitur vita.

A iure peccati.) A iure, id est, a vi et necessitate per Christum ita sumus liberi, ut peccatum et corrupta illa natura, mors, id est, damnatio in nos nihil iuris obtineat. Et sic per antithesim legis peccati, spiritum, id est, fidem in deum per Christum etiam legem appellat, abutens vocabulo legis.

Quod lex praestare non potuit.) Per legem hic hominem intelligit cui lex data est, ut iuxta eam vivat, id est, dum homo operibus legis iustus et salvus fieri non potuit, ut supra satis ostensum est.

Imbecillis enim erat.) Haec certa nota est, per legem hic hominem legi obnoxium intelligi. Nam ut lex est scripta nec imbecillis est nec valida, nec possibilis nec impossibilis. Item ut est aeterna dei voluntas, non est imbecillis etc. Intelligit ergo hominem, qui imbecillis est ad legem servandam, et qui non potest servare legem.

Per carnem.) Lex non habet carnem, intelligit ergo hominem, ut dictum est: impossibile dum fuit homini carneo legem implere.

Misit deus filium suum.) In carnem misit deus filium suum. Induit enim carnem nostram, at non morbosam, alioqui nostrae per omnia similem, simili specie carnis: Einen lyb hat er gehebt glych wie wir, absque tamen peccato.

Hoc praestitit. Per filium suum hoc praestitit, quod homo sub lege non potuit. Christus enim satisfecit divinae iustitiae, quae per legem exigebatur.

Et de peccato damnavit peccatum.) Id est, hunc morbum quem ex Adamo recepimus, quique morbus magnam scelerum multitudinem in nobis excitavit, nobis indemnabilem (ut ita loquar) fecit, et innoxium. Aut, ut hic (de) pro propter vel ob exponatur, ut in Evangelio Ioannis 8. Quis arguet me de peccato, id est, propter peccatum, vel ob peccatum? Ut sit sensus: Damnavit peccatum, id est, morbum, de peccato, id est, propter peccatum, quod hominem tantopere damnarat.

Per carnem.) Et hoc factum est per carnem, id est, per mortem, quam in carne, et iuxta humanam naturam passus est. Sic ad Hebraeos decimo cap. velamentum vocat carnem, nam carne occultabatur deitas.

Ut iustificatio legis impleretur.) Id est, ut iustitia, quam deus per legem a nobis exigit, impleretur. Nam legi dei, atque eius voluntati satisfieri oportuit; quod per nos haudquaquam fieri potuit, sed per Christum qui morbo caruit. Et illi qui in Christo sunt, deo per Christum sunt reconciliati.

Qui non secundum carnem.) Christus est illis iustitia, qui iuxta spiritum, non iuxta carnem ambulant. Christus enim his duntaxat iustitia et legis satisfactio est, qui crucifixo iam vetere homine, spiritui obtemperant, hoc est solis fidelibus.

Nam qui carnales sunt.) Qui carni et morbo obsequuntur, nil nisi carnalia meditantur, consultant, cogitant ac sectantur. Contra, qui spiritum audiunt, id est, qui spiritui obtemperant, quae dei sunt meditantur, consultant, cogitant ac sectantur.

Nam affectus carnis.) Affectus carnis nihil sunt quam ipsissima mors, et qui eos sequitur, moritur, et mortuus efficitur. Contra, affectus spiritus: Die fürnemmen vnd angeben des geiſts. (Nam alioqui spiritus sanctus affectus non habet.) Qui sic deo haeret per fidem in Christum, quod nihil apud eum valet, quam quod deus loquitur et dictat per spiritum suum, is vivet et vitam habebit. Arx ergo fidei firmiter tenenda est, ne peccatum turpis ille dominus semel per Christum expulsus redeat, et nos iterum occupet, ac in nobis dominetur. Etiamsi obsideat nos, tamen negandum est ei imperium.

Affectus carnis.) Quidquid caro cogitat et vult, hoc totum contra deum est. Ratio, quia legi dei non obtemperat, ut supra patuit 7. cap.; nec potest quidem, scilicet ob corruptionem et imbecillitatem, legem dei assequi; seu non potest, scilicet cogi ut obtemperet vilis legibus, nisi spiritus impellat.

Qui in carne sunt.) Qui sibi fidit, qui sibi nititur, deo placere non potest.

Vos non estis in carne.) Fidelibus hoc scribit, ut in argumento dictum est. Quasi dicat: Non estis amplius carnales, abnegastis vosmetipsos, estis iam in spiritu: Jr gältend nüt me by üch ſelbs, Gott allein, ſin gſatz, ſin wort, das giltet by üch. Siquidem spiritus dei, id est, si modo spiritum dei habetis, si modo fiditis filio dei.

Quod si quis hunc spiritum Christi non habet.) Quo certo agnoscat et profiteatur se deo per Christum reconciliatum, item quo credat Christum esse suam iustitiam, salutem, vitam, is non est Christi. Is enim adhuc in suam iustitiam, sapientiam, opera, merita confidit.

Porro si Christus in vobis est.) Si illuminati et fideles estis, licet corpus mortuum sit propter peccatum, id est, morbum, et licet homo perpetuo iuxta corpus agat morte dignum, nam peccato nunquam caremus, spiritus tamen, id est, fiducia in deum per Christum, vitam servat et reddit, idque

Propter iustificationem.) Quae scilicet per Christum facta est. Sic ergo Christianus, quod ad corpus attinet, semper mortuus est, quod vero ad mentem et spiritum attinet, semper deo adhaeret, semper spiritu vivit. Ubi etiam observandum, hominem nulla externa re posse vivere, sed solo spiritu.

Quod si spiritus eius qui excitavit.) Ista probationis loco subiicit, posse scilicet spiritum vivificare corpus quod quotidie propter morbum moritur. Quasi dicat: Si spiritus potuit Christi corpus a morte excitare, etiam te poterit vivificare, etiamsi sis peccator. Neque tamen

aliter vivificaberis, quin corpus semper sit mortuum. Nam (ut infra dicet) vanitati creatura subiecta est non volens.

Debitores sumus.) Hic respondet illis qui dicere poterant: Si sic res habet Christiani hominis, ut corpus semper sit mortuum, et spiritus semper vivificet, vivimus ergo iuxta carnem: Es mag vns doch nit fälen. Absit, inquit. Nam sumus iam debitores facti spiritus, id est, fidei, ut deo posthac vivamus. Huic vitam nostram debemus, qui nos liberavit morte sua, et non carni aut veteri homini. Vita ergo Christiani hominis abdicatio est veteris hominis et imitatio novi, studium innocentiae. In hoc Christus est, et apostoli omnes. Induti quidem sumus carne, dum hic vivimus, sed non ut iuxta eam vivamus, nam alioqui nihil differremus a bestiis, sed ut per spiritum quo nobis illuxit deus, corporis facta mortificemus, et quasi in alios homines transformemur.

Quicunque spiritu dei ducuntur.) Qui secundum carnem vivit, Adae dicitur filius; qui vero dei spiritu ducitur, audit quid loquatur ei deus, et hic filius est dei.

Spiritum servitutis.) Vos qui ita filii dei facti estis per Christum, et per spiritum eius, non debetis posthac servire deo timore poenae, aut legis terrore, quemadmodum servi mercedis tantum gratia, sed sponte, libere, et voluntarie ex caritate, ut solent filii, qui sponte omnia faciunt. Sciunt enim se haeredes fore paternorum bonorum. Habemus ergo spiritum non servorum, sed adoptorum. Fidelis ergo non vi aut metu legis ac poenae compulsus bonum operatur, sed amore et dilectione patris.

Abba pater.) Eum spiritum habemus, quo deum patrem nostrum esse scimus. Qui ergo vere fidelis est, nec mortem nec damnationem horret. Nam scit deum patrem suum esse.

Idem spiritus testimonium reddit.) Spiritui nostro, id est, menti nostrae, quod et nos filii dei simus; docet nos intus, persuadet nobis et certos facit nos filios dei esse. Qui spiritum Christi hauserunt, intus sentiunt se filios dei esse. Si quis non sentit se filium dei esse, hunc spiritum nondum habet.

Quod si filii et haeredes.) Christus naturalis est filius dei, nos adoptati in Christo, et cum Christo in hanc haereditatem recepti sumus. Hoc tamen fiet, si cum eo compassi fuerimus, si commorimur, si parati sumus pro gloria patris (sicubi opus est) quemadmodum Christus, mori.

Nam reputo, non esse pares.) Respondet his qui dicere poterant: Ergo nos nostris afflictionibus meremur hanc haereditatem; dixit enim: Conregnabimus, si fuerimus compassi. Nequaquam inquit Paulus, nam afflictiones huius temporis quas fideles ob Christum ferunt, non sunt pares tantis gaudiis, quae rependet deus se diligentibus.

Et enim sollicita creaturae exspectatio.) Creaturae, id est, hominis. Nam creatura hic pro homine capitur, ut Marci ultimo: Praedicate evangelium omni creaturae, id est, omni homini. Quasi dicat: Tanta est felicitas quam dabit dominus suis, ut omnes fideles hanc summis et ardentissimis suspiriis exspectent. Fideles cupiunt exiuni ab hoc mortali corpore, ingemiscentes, et cupientes esse cum deo, Philip. 2.

Vanitati creatura subiecta est.) Homo quamdiu in hoc mortali

corpore degit, vanitati subiectus est, id est, peccato, corruptioni, ut supra patuit.

Sub spe.) Gemimus ac anxii sumus in exspectatione futurorum, subiectique corruptioni et vanitati anhelamus, bona tamen spe, ut aliquando liberemur. Deus enim sic vanitati nos subiecit, ut aliquando simus liberandi ab ista corruptione, et in libertatem filiorum dei reducendi.

Non volens.) Quasi dicat: Homo hanc voluntatem ex se non habet, sed deus eum sic ordinavit.

Creatura liberabitur.) Creatura, id est homo, aliquando liberabitur ab ista molestia. Corpus nostrum aliquando istam corruptionem et mortalitatem ponet, 1. Cor. 15. et induet gloriam immortalitatis. Hac spe fultus fidelis, omnia ferre potest, nihil est ei difficile, etiam mori pro deo. Per vanitatem corruptionem veteris hominis intelligit; quamdiu enim hic vivit homo, corruptus et peccabilis est.

Scimus enim quod omnis creatura.) Id est, omnis homo quamdiu in hoc sæculo vivit, semper dolet ac ingemiscit, nunquam miseria caret, nunquam afflictione, unde sæpe ingemiscere cogitur. Nemo vivit qui non quotidie aliquid molestiæ sentiat, hinc gemitus et suspiria, quemadmodum mulieri parturienti. Vita ergo hominis mors est, 2. Cor. 5.

Sed et ipsi qui primitias spiritus habemus.) Diceret aliquis: Sed apostoli liberi sunt ab his malis. Respondet Paulus: Nemo excipitur ab huiusmodi afflictione, ne nos quidem, qui primitias spiritus accepimus, qui primi fuimus apostoli, quos primum vocavit deus, quos primum suo spiritu illustravit, non sumus liberi ab hoc gemitu, idque propter carnis contumaciam et inobedientiam, quare et nos cupimus dissolvi et esse cum Christo. Quotidie gemimus et exspectamus, quando dominus nos eximat huic mundo, et ad æternam illam hæreditatem vocet.

Spe servati sumus.) Consolatur Paulus se et alios fideles. Tametsi ingemiscamus et anxii simus, cupientes liberari, tamen spes nos servat et retinet, nihil dubitantes, statim fore ut liberemur. Hac spe freti nihil non ferimus, etiam novissima.

Spes quae videtur.) Hic respondet his, qui dicere poterant: Si viderem, Paule, facile crederem, etc. Non est spes, inquit, si vides, sed experientia. Nam qui rem tenet, spe potitus est, nec amplius sperat.

Si vero quod non videmus.) Spes est sperare quae non vides, et per patientiam ea exspectare. Hoc faciunt fideles, certi sunt de promissis divinis, tametsi ea præsentia non videant, indubitato tamen exspectant; impii contra.

Spiritus auxiliatur.) Per spiritum hic fidelem hominem intelligit; per spiritum enim sanctum fideles reddimur, ergo fidelem hominem spiritum appellat per alloeosim. Et is spiritus qui nihil aliud est quam certa fides in deum, incessanter dolet de imbecillitate nostra. Videtur enim Paulus angorem hunc fidelis animi latius velle explicare. Quasi dicat: Exterior noster homo licet semper carnalia et terrena, imo vana consulat, cogitet, et sectetur, spiritus tamen, id est, fides animi fidelis auxiliatur infirmitatibus nostris, id est: Er verbeſſeret das, das der präſt

deß fleiſchs verderbt, der gloub vnd die verrichtung mit Gott richtet yemerdar widerumb vf, das der vſſer menſch vmbkeert.

Hoc ipsum quod oraturi sumus.) Saepe petimus, quae si deus daret, officerent, aut non essent ad gloriam dei, ut dum pauper divitias petit, infirmus sanitatem.

Spiritus intercedit.) Mens fidelis, spiritus fidelis hominis qui spiritu dei illustratus et doctus est, intercedit pro nobis apud deum, id est, emendat et corrigit quod caro perperam petit, idque facit gemitibus ardentibus, queritur enim suam imbecillitatem, et quod sua in oratione quaesiverit, non gloriam dei.

At ille qui scrutatur corda.) Hic patet verum esse quod dixi, per spiritum interiorem hominem intelligi. Nam ille spiritus dei quo fidimus et fideles sumus, gemitus non habet. Quum audacia carnalis hominis petit, quae nec deum dare, nec nos accipere convenit: So fart der geiſt zu, id est: Der gloub, vel spiritus fide imbutus, et orat pro nobis, intercedit ne indignetur deus, clamat ad deum flebilibus quibusdam et nobis inexplicabilibus gemitibus, veniamque precatur. Et deus qui novit corda et ea scrutatur, scit et novit intercessionem hanc mentis fidelis. Videt enim deus quid pia mens et fide imbuta consultet, nempe, quod sollicita sit pro salute hominis, et sic nunquam non clamat pro sanctis, id est, fidelibus. Christianus ergo tametsi quotidie peccet et cadat, tamen mente et fide incessanter resurgit, et culpam deprecatur, ac deo reconciliatur.

Omnia cooperantur in bonum.) Respondet Paulus obiectioni. Diceret quis: Si spiritus intercedit pro fidelibus, consequitur et fideles peccare. Verum est, inquit Paulus, sancti etiam peccant, sed per gratiam dei omnia cedunt eis in bonum, ut in Davide, Petro et Paulo est videre.

His qui secundum propositum.) Qui ab aeterno scilicet vocati sunt. Ego enim haec de interna vocatione, id est, de electione intelligo, non de externa verbi vocatione. Quasi dicat: Dixi iam omnia in bonum cedere sanctis aut vocatis, quod probo, nam omnia electione dei libera constant. Deus qui omnia novit antequam sint, etiam praefinivit eos, ut cohaeredes sint filii sui, ita tamen ut Christus sit primogenitus, id est naturalis et essentialis filius dei, nos vero adoptivi. Quos sic praefinit et praeordinat, eos deinde interna vocatione vocat, id est, trahit intus, Ioan. 6. id est, fideles reddit, trahit ut mens ei adhaereat et fidat. Quos sic fideles reddidit, hos et iustificat, per certam fidem scilicet filii sui, et tum demum glorificat. Tametsi Paulus hic nonnihil de praedestinatione dei attingat, in capite tamen nono demum absolvit. Electio ergo, si proprie velimus loqui, salvat, non fides, sed quia fides certum signum est te esse electum, tribuitur fidei quod est electionis. Vide 1. Cor. 7; 2. Cor 4.

Si deus pro nobis.) Si deus a nobis stat, quis poterit aliquid contra nos? Quasi dicat: Nemo.

Proprio filio suo.) Diceret aliquis: Unde scio mihi deum adesse, et stare a partibus meis? Respondet apostolus: In hoc, quod filio suo

proprio non pepercit, sed pro omnibus tradidit illum. Item si filium dedit nobis, quomodo non omnia donaret nobis in illo?

Quis intentabit?) Ex propheta Esaia desumpta sunt haec verba cap. 50. Deus iustificat, id est, deus ex parte nostra est, absolvit nos, sententiam pro nobis fert: Er ſpricht vns ledig vnd gerecht, wil vns wol. Quis ergo damnabit? quis ergo accusabit electos dei? Non respondebis mihi deum hoc facturum. Ratio, quia dedit pro nobis filium in mortem. Condemnare hic pro iure convenire accipitur: Anklagen vor dem richter, vel sententiam contra aliquem ferre; hoc nec deus faciet, nec Christus, quia ille filium pro nobis dedit, hic pro nobis mortuus est, excitatus coelos ascendit, ad dexteram dei, illicque pro nobis intercedit. Quasi dicat Paulus: Nemo potest nos condemnare.

Quis nos separabit.) Ex his omnibus merito in nobis crescet caritas et fiducia in deum, a qua nemo nos unquam separare poterit.

Propter te morti obiicimur.) Quasi dicat Paulus: Christianum esse, aut Christum profiteri et agnoscere, est sese quotidie morti devovere et obiicere, vitamque suam in periculum ponere, quotidieque mortem exspectare. Ovibus enim mactationi destinatis morte nihil certius. Sed haec omnia superantur per eum, qui filium suum pro nobis dedit ex ineffabili sua caritate.

Neque Angeli.) Tanta res est fides et caritas dei, ut ne angeli quidem a deo avocare fidelem possint. Hic consideranda est nostra socordia et torpor, quum nos vel pessimi a deo avellant.

CAPUT IX.

Veritatem dico in Christo.) Revertitur ad praedestinationem et vocationem dei, de qua superiori capite coeperat, quamque obiter attigerat. Ut autem hac epistola tota docuit Iudaeos et gentes sola fide iustificari, conqueritur magno cum dolore, populum Iudaeorum, qui deo semper carus fuit, abiectum esse et obcaecatum, ita ut salvatorem non agnoscant. Indicat simul suarum virium non esse, ut ipsos faciat credentes, sed vocantis dei, alioqui anathema esse vellet, modo ipsi salvi fierent.

Attestante conscientia.) Quasi dicat: O Israelitae, loquor hoc vero et syncero corde, nec mentior, idque testor per conscientiam meam, non carnalem illam, sed per eam quae dei spiritu illustrata est, quod vestra incredulitas magnum dolorem mihi infligit. Ostendit Paulus studium et amorem suum in gentem suam: Vellem perdere quae mihi carissima sunt, ut vos lucrifacere possem, sed non est meae potestatis, nam si in me situm esset, nihil est quod non facere et ferre paratus sim. Zelus hic magnus est in piis, sic in Mose Exod. 32. Dele me de libro viventium.

Quorum est adoptio.) Id est, quos deus prae ceteris nationibus, in toto orbe in populum suum adoptavit, et filiorum vice habuit. Exod. 19. Quos deus ab initio elegit, quos in humeris portavit, supra omne periculum, et extra omnem telorum iactum in tuto posuit, non aliter quam aquila pullos suos etc.

Et gloria.) Quae enim maior gloria, quae par maiestas, quam

populum dei esse? Aut per gloriam intelligit, quod deus se ipsum supra arcam revelavit. Item gloria est, quod servator Christus secundum carnem ex Iudaica gente natus est.

Et testamenta.) Testamentum dicitur quidquid deus cum humano genere unquam fecit et testatus est, et hoc totum fecit per hanc gentem, primum cum patribus, deinde per prophetas, per filium, per apostolos.

Legis latio.) Non solum contentus fuit summus deus et maximus testamentum et foedus inire cum populo Iudaico, quin per legem voluntatem suam divinam ipsis innotesceret.

Et cultus.) Ostendit praeterea eis, quibus rebus coli vellet: Iustitia scilicet et aequitate ac vitae innocentia. Et cultum etiam externum eis instituit, qui ei quum a fidelibus exhiberetur, non displicuit, ob significationem futurae oblationis, sed ad tempus tantum. Verus cultus Esa. 28. Refocillare lapsum. Matth. 9. Misericordiam volo etc.

Promissiones.) De futuro scilicet Christo.

Quorum sunt patres.) Viri scilicet sanctissimi et deo pleni, qui deo magnopere placuerunt ex ipsis nati sunt.

Ex quibus est Christus.) Quantum scilicet ad carnem attinet, quia est de semine Davidis ex tribu Iuda.

Qui est deus.) Ecce aperte Paulus Christum deum vocat. Ista omnia dicta sunt ab apostolo in commendationem populi Israelitici, magno cum dolore, quod talis populus filium dei Christum non reciperet.

Non autem hoc loquor.) Diceret aliquis: Num omnes sunt reiecti? ergo sermo dei est irritus. Respondet: Non hoc dico, quasi omnes Iudaei aut Israelitae reiecti essent. Licet incredulitas Iudaeorum magno mihi sit dolori, scio tamen deum potentem esse et veracem in suo proposito, si quem praedestinavit ab aeterno, hic certo salvabitur.

Non enim omnes.) Vos Iudaei gloriamini carnali prosapia, sed hoc nihil proderit vobis genus duxisse ab Abrahamo aut Israele. Nam etiamsi aliquis natus est secundum carnem ex Israele, non propterea mox sanctus erit, fortis, electus, populus aut filius dei, sed qui filii sunt non carnis, sed promissionis et fidei, hoc est, qui certa et indubitata fide haerent promissionibus dei de semine benedicto etc. In quo benedicendae sunt omnes gentes. Qui fideles sunt quemadmodum Abraham, qui credidit semini promisso. Non ergo satis est filium esse Abrahae, nisi quis servet pactum, id est nisi credat; sic Luc. 3. Ne coeperitis dicere: Filii Abrahae sumus.

Non solum autem hoc.) Iam ostendit non sui aut alterius esse, ut aliquis credat, sed electionis divinae solius, alio autem exemplo idem probat. Nota hic non solum filios dei esse fideles, id est eos, qui iam credunt, sed etiam eos qui nondum sunt fideles, scilicet electos.

Quid igitur dicemus? Num iniustitia.) Obiiceret aliquis: Ille nihil male fecit, et deus eum damnat etiam antequam nascatur, videtur ergo deus iniustus esse. Vel in alio sensu: Si omnino omnia dei electione contingunt, et is malus efficitur, videtur deus culpandus esse, quod peccat iste, et deinde iniustus esse quum illum punit. Prior sensus

magis arridet, et eum genuinum esse sequentia indicabunt. Absit, inquit Paulus per antypophoram, dicit enim Mosi:

Miserebor cui miserebor.) Hoc verbo dei quod ad Mosen dixit, inquit Paulus, manifestum fit nullius hominis esse, ut aliquis credat, sed solius dei. Excusat enim se Paulus, quod non sit virium suarum, ut ipsos reddat fideles. Nam in prophetis est, omnes doctos esse a deo, Ioan. 6 Esa. 54. Hierem. 31.

Maior serviet minori.) Maior pro seniori ponitur vel maiore natu, more Hebraico; et minor pro iuniore. Nam maior natu ius primogenitorum obtinebat. Sic dicimus: Der meer ſant Jacob, id est senior.

In hoc ipsum excitavi.) Aliud testimonium affert, omnia dei electione constare, Exod. 9. Ut annuncietur nomen meum, id est potentia mea.

Itaque cui vult miseretur.) Idem probat, omnia scilicet constare electione dei. Quod si quis dicat: Si omnia constant electione dei, consequens est remissos fieri homines et ignavos, nihilque bonorum operum facturos. Respondet Paulus: Nullus fidelis hoc dicet, imo perpetuo benefaciet, nec unquam a benefaciendo cessabit. Nam qui sic loquuntur, produnt se esse impios et nequam, non electos. In Pharaone ergo ostendit deus, quod qui indurati sunt, per deum sunt indurati, ut tandem potentiam suam in ipsis, et contra ipsos ostendat, ut nomen suum cui restiterunt glorificet et magnificet, et sic impii tandem perdentur. Nam nulla admonitione fiunt meliores, sed incessanter contra deum pugnant, sicut Saul et Pharao.

Quid adhuc conqueritur?) Obiectio impiorum est: Si omnia fiunt providentia divina et eius electione, quid ergo conqueritur deus? Nam ubique deus de populo suo queritur, quod eum dereliquerint et perfidi fuerint etc. Quum enim omnia eius voluntate fiunt, nemo agit (inquiunt illi) nisi quod deus vult, nemo enim potest eius voluntati resistere, quid igitur conqueritur?

Tu quis es?) Hac responsione audaciam nostram compescit apostolus, ne divinis consiliis obstrepamus, et sumptum est ex Esaia 45.

Num dicet figmentum?) Homo in manu dei est, quemadmodum lutum in manu figuli. Hierem. 18. Esa. 9. 45. nec culpandus est, utcunque nobiscum agat.

Quod si deus volens ostendere iram. Iam rationem subdit Paulus, quare nam deus sic et sic agat, scilicet, ut iram suam id est iustitiam suam ostendat, vindictam, potentiam suam, creat malos, ut patet in Pharaone. In perpetuum vindicabit se deus de hostibus suis, quia subdentur scabellum pedum suorum.

Et ut notas faceret.) Deus voluit ostendere et manifestare potentiam suam in hoc quod punit malos, rursus divitias gloriae et misericordiae suae voluit etiam manifestare et notas facere hominibus in his qui servantur. Nam omnino eos qui salvi futuri sunt, oportet agnoscere se sola gratuita misericordia dei salvatos. Sola ergo dei misericordia servamur. At fides testimonium est, nos esse vocatos et electos a deo.

Quos et vocavit.) Ut supra 8. cap. Ostendit Paulus vocatione

dei omnia contingere, et quod ille vas sit contumeliae, alius honoris et gloriae. Et ad hoc vocat sibi non solum ex Iudaeis, sed etiam ex gentibus, et hoc male habuit Iudaeos, idcirco Paulus semper obiter dirimit contentionem.

Oseas dicit.) Quod vere dixerim deum vocasse gentes, ex propheta Osea dictum meum probo in 1. et 2. cap. In primo cap. per filiam quam ex fornicatione habuerat intelligit populum Israel, quem deus sit repudiaturus, electurus alium populum, qui prius deum non cognoverat, nempe gentilem, qui a Iudaeis fuerit contemptus, ad quem deum nihil pertinere Iudaei affirmabant. Una ergo ecclesia est ex Iudaeis et gentibus, Esa. 45. et Matth. 8. Eph. 4. Idem ergo testamentum, Gen. 17. Signum testamenti mutatum est. Nam in Christo omnis sanguis sistitur, Eph. 1. Col. 2.

Esaias vero.) Quum iam supra dixisset gentes magno numero ad Christi fidem et cognitionem perventuras: Cogor (inquit) de Israele loqui iuxta scripturas et vaticinia prophetarum. Etiamsi magnus eorum et ingens sit numerus, pauci tamen ex his in cognitionem Christi venient, quin reliquiae tantum eorum qui supersunt servabuntur. Et hoc ostendit misericordiam dei erga gentes, quae deum non cognoverunt, et iustitiam erga ingratos et impios Iudaeos qui ob incredulitatem suam merito repudiantur.

Sermo enim perficiens.) Quum Paulus dixisset paucos ex Israele salvandos, rationem quasi reddens subiungit dicens: Ne speretis vos tanta multitudine futuros, quanta olim fuistis, nam deus qui ipsa iustitia est, faciet hunc exitum, et absolutionem perficiet, id est perdet. Abbreviatum verbum, id est certam et firmam rem, id est certissime faciet. Et istis per Metaphoram usus est Paulus de Christo, quod deus brevem quidem sed consummatum sermonem, id est negotium salutis vel iustificationis in terram mittet; quod tale est: Dum per nos iustificari non potuimus, misit deus filium suum, ut omnis qui credit in eum habeat vitam aeternam, Ioan. 3. 6. Quemadmodum deus abbreviatum verbum faciet de perdendo Israele, ita ad salvandum brevi verbo utetur. Videtur itaque Paulus rationem reddere, cur ex tanta multitudine Iudaeorum, reliquiae tantum sint salvae futurae. Nam sequitur coniunctio rationalis. Deus notum faciet quod non sacrificiis aut suffitu salus acquiritur, sed ex hoc quod deus dedit filium suum in carnem ac mortem; qui hoc credit vitam consequitur aeternam. Hoc Iudaei non recipient, confisi suis sacrificiis et ceremoniis.

Nisi dominus reliquisset.) Aliud adducit testimonium ex Esaia, et ostendit, se non velle dicere, quod ex Israele nemo salvus fiat. Nam licet populus Israeliticus semper fuerit contumax et rebellis, adeo ut deus merito eos exciderit, semper tamen aliquos servasse reliquos; sic et iam fit facturus, ita ut ex semine pars aliqua servetur, et in cognitionem dei veniat. Attamen omnia Pauli huc tendunt, Israelem reiectum esse a deo, et quod gentes in eorum locum sint successurae, quas tamen ipsi despiciant et contemnant.

Quid igitur dicemus?) Ad hoc scilicet quod deus aliud vas in honorem, aliud in contumeliam facit? Hoc, quod gentes quae legem

non habuerunt cuius sequerentur iustitiam, assequuti sunt iustitiam veram fidei, illam scilicet quae ex fide Christi est. Israel vero per observationem legis iustus fieri quaerebat, quod non assequitur, imo legem non implere potuit, ideoque ad legis iustitiam non pervenit.

Nam fide non operibus.) Impletur lex, ut infra cap. 10. Nam perfectio legis Christus. Nota quam paucis viam iustitiae perstringit, quandoquidem nemo legem servat, nemo lege fit iustus, sed fide in Iesum Christum.

Pono in Zion lapidem.) Id est Christum, qui lapis est et fundamentum solidum, sed iis qui fidunt in eum; contra, offendiculum et petra offensionis iis, qui non fidunt. Esa. 28. Hoc capite propheta hypocrisim, impietatem ac pervidiam sacerdotum arguit, et praedicit deum lapidem et solidum fundamentum positurum, quem amovere nullo modo possint, Christum scilicet, qui omnem istam hypocrisim sit aboliturus, et veram viam solidamque ac coelestem virtutem docturus. Et is Christus impiis, et aliunde iustitiam quaerentibus offendiculum erit, credentibus vero fundamentum solidum quo nitantur, ità fiet ut qui illo nititur et fidit, non pudefiet, non stupebit, non festinabit. Qui enim ad conspectum alicuius horrent, festinant ad fugam, et qui festinant, offendunt. Apte ergo hoc loco contra Iudaeos utitur Paulus. Quasi dicat: Vos offenditis ad lapidem istum, qui tamen vobis (si non obstaret invidia et incredulitas) salutaris esset.

CAPUT X.

Fratres propensa quidem voluntas.) Posteaquam Paulus probavit paucos ex tanta multitudine per Christum salvos fore, iam ostendit, quam sibi ex animo doleat illorum incredulitas et repudium, neque tamen in se situm esse ut hoc avertat, sed solius dei. Miro tamen affectu pro salute populi sui clamat. Sic nullus pro se solo oret, sed etiam pro omnibus aliis, ut docet Christus in oratione dominica: Adveniat regnum tuum, Remitte nobis debita nostra.

Zelum dei habent, sed non.) Tametsi video Christi salutare verbum apud eos non capi nec audiri, hoc tamen testimonium eis perhibere cogor, quod zelum habent ingentem dei. Sy woltend gern recht thun vnd sälig werden.

Non secundum scientiam.) Sed non rite hoc faciunt, non ut debent; colunt et quaerunt deum, sed non ut oportuit; felices et salvi esse volunt, sed non ea via quam deus praescribit et monstrat, fide scilicet in Christum, sed süis operibus ad deum ire contendunt. Horum similes plures hodie reperies. Vide Esa. 28. ubi eadem agit propheta.

Nam ignorantes dei iustitiam.) Per ignorantiam errant et negligentiam, quod ignorant et negligunt iustitiam dei, quae est filius suus, quem dedit, supra 3. et 8. 1. Cor. 1.

Propriam statuere.) Id est, suis operibus iustificari volunt. Et huc tendit Paulus, ut iustitiam nobis ostendat contingere, non nostro merito, sed gratia dei per Christum.

Iustitiae dei non sunt subiecti.) Non se dant in obedientiam et obsequium fidei: Sy haltend sich Christus gerechtigkeit nit, et ideo

damnantur, Ioan. 3. Haec est condemnatio, quod lux venit in mundum.

Nam perfectio legis.) Hoc vero Iudaei intelligere minime volunt, operibus legis iustificari hominem non posse, quia nemo legem implere potest. Legis autem perfectio Christus est: Das erfüllen vnd vßmachen des gſatzts iſt Chriſtus. Omnis qui est in Christo, est in perfectione legis, et per hoc salvus. In Christo esse, est ei fidere, et firma fide haerere, Ioan. 6. Omnis qui credit illi, is iustus est, is legem implevit, is peccatis caret.

Moses enim scribit de iustitia.) Diceret aliquis: Ad quid est utilis lex, et legis tam diligens observatio, si non per eam iustificamur? Ad hanc obiectionem Paulus per antypophoram respondet, et dicit: Hanc satisfactionem recipite, quae non mea est, sed Mosis, ad quid scilicet utilis sit tam anxia observatio mandatorum dei. Ad hoc nempe servit legis observatio, ut qui servat legem, per legem vivat, id est, non punitur iuxta legem. Neque tamen ob id iustus est coram deo, quia nemo legem servat ad mentem et voluntatem legislatoris.

Ceterum quae ex fide est iustitia.) Hic redit Paulus ad ea, quae supra dixit, videlicet Gentes, quae non sectabantur iustitiam, veram iustitiam apprehendisse, istam inquam, quae apud deum valet. Hic iam quispiam diceret: Quis dicet mihi, quae sit illa iustitia quae apud deum valet? Quis me certum reddet, an haec via sit iustificandi, quam tu nobis praescribis? Quis apud deum in supernis fuit, qui nobis e coelo voluntatem suam declaret? sive, ut deus etiam in inferno est, et omnia implet, quis nobis illinc voluntatem suam attulit? ex qua veram iustitiam agnoscamus? Ad hanc obiectionem hic respondet Paulus. Haec iustitia quae ex fide est, non sic dubia quaerit, quis in coelo fuit? hoc enim esset Christum ex alto deducere et revocare, id est, dicere Christum sua gratia, misericordia, et illustratione non ubique esse, etiam in infimi hominis corde, quasi ascendendum nobis sit in coelum, pro voluntatis suae manifestatione. Aliud vero est Christum ex mortuis reducere, quasi nondum resurrexerit, aut quasi non etiam apud inferos potestatem habeat. Sed verae iustitiae opus non est, ut diu hincinde vagetur, maria transcurrat, aut in coelum ascendat, aut in abyssum descendat ad perquirendum voluntatem dei. Qui se tam familiarem nobis fecit, ut verbum suum in ora nostra dederit, iusseritque praedicare, deinde et corda nostra verbo suo illustravit, ut plane cognoscamus quae sit voluntas et verbum hominis, quae sit voluntas et verbum dei.

Et hoc est verbum fidei.) Tale scilicet: Si confessus fueris ore dominum Iesum, etc. ut infra sequitur. Fidelis ergo et a deo doctus de verbo domini et eius voluntate nihil diffidit, nec dubitat, sed certus est de voluntate dei erga se, et de salute per Christum parta, et in Christo donata, neque opus est ut ascendat in coelum, aut in abyssum descendat. Mutuatur autem Paulus verba Mosis, quibus Moses olim usus erat ad firmandum et certificandum Iudaeos de verbo et voluntate dei, quod verbum ipse ex mandato domini eis proposuerat. Ubi fides est, id est, ubi homo deum in corde habitantem habet, in quem fidit et sperat, non quaerit: Quis fuit apud deum? quis nobis voluntatem

eius innotescit? Nam verbum eius ut novit, ita et credit. Ioan. 10. Oves meae vocem meam audient, alienum non sequuntur. Impiorum ergo vox est, quum dicunt: Quis nobis dicit, quae sit voluntas dei? ibi enim neque deus est neque fides.

Si confessus.) Quasi dicat: Hoc verbum salutis est quod praedico, quum homo illuc venit, ut ore suo confiteatur et corde credat Christum mortuum esse et resuscitatum, hoc salutare est.

Corde enim creditur.) Quasi dicat Paulus: Salus consistit in sola fide cordis, et oris confessione. Et hoc probo per prophetam vestrum, Esa. 28. quum dicit: Omnis qui fidit illi, non pudefiet. Ergo non vos soli (o Iudaei) salutis estis participes, sed omnes gentes, qui in Christum credunt. Et hac ratione dico: Nullam esse distinctionem Iudaei et Graeci.

Dives in omnes.) Is idem deus satis dives est, ut possit salvare omnes gentes, et omnes eos, qui eum invocant. Invocare hoc loci significat certa fide opem et salutem apud eum quaerere, ei fidere.

Quomodo invocabunt.) Antypophora respondet hic Paulus iis, qui obiicere possent: De eo nihil audierunt, quomodo ergo in eum credere possunt? Ostendit autem Paulus nihil illis defuisse eorum quae necessaria sunt, non ergo posse se excusare. Et huc pertinent, quae ad finem capitis usque dicuntur.

Nisi mittantur.) Nemo ergo sese ingerat, aut intrudat invocatus, et non missus.

Quam speciosi pedes.) O quam iocunda res est, si quis pacem annunciet et laeta. Apud Esaiam haec aperte de Christo vaticinata sunt. O quam speciosi pedes illius, qui nobis tantum gaudium annunciat, et dicit: Laetare Ierusalem, deus tuus regnat in Zion, et alludit propheta ad venturum Christum regem in Zion. Paulus commodissime istis verbis ad apostolos et praedicatores evangelii abutitur. O quam laetum, quam consolatorium est afflictis conscientiis, si quis eis nunciet peccatorum remissionem, si quis dicit: Deus favet tibi, deus remisit tibi peccata tua, deus rediit tecum in gratiam, eo quod fidis filio suo quem pro te dedit. Et haec nihil sunt quam descriptio praedicatoris, et quid sit praedicandum: Primo, nemo praedicare debet, nisi sit missus; deinde, nihil nisi pacem et remissionem peccatorum resipiscentibus. Et eorum nihil defuit Iudaeis, audierunt de Christo, habuerunt praedicatores apostolos, quos dominus ad eos miserat.

At non omnes.) Tametsi (ut auditum est) omnes audierunt, non tamen omnes crediderunt. Et hoc quidem venturum, deus olim praedixit per Esaiam prophetam, cap. 53. Praedicabitur quidem eis, audient quidem, at non credent praedicato verbo: fient apud eos miracula per brachium domini, sed nequicquam, non enim credent huiusmodi miracula virtute divina facta esse.

Ergo fides ex auditu.) Hic observa, fidem hic a Paulo pro manifestata dei voluntate, et fidei manifesta et publica inter Gentes ac Iudaeos praedicatione accipi, quae tempore Christi et apostolorum primum coepit, prius enim erat mysterium reconditum a saeculo, Col. 1. Non enim propositum est Paulo hoc loco de natura et ingenio fidei

loqui, sed de fidei praedicatione. Nec dicere vult quod nemo credat, aut salvus fiat, nisi audiat verbum externum. Sed in persona obicientis loquitur. Posset enim quis dicere: Ergo fides ex auditu est? So hör ich wol man muß vor hören ee man gloubt? Ostendit ergo Paulus morem communem, quo deus utitur apud suos, et quo usus est semper, nempe mittere prophetas et servos suos, qui per verbum praedicatum vocent et invitent homines: quam gratiam Iudaei semper spreverunt, nec credere unquam verbis prophetarum voluerunt, imo nec filio dei. Ubi simul misericordia dei, et Iudaeorum obstinata contumacia declaratur. Nihil enim habent quod praetexant, etiamsi fides ex auditu esset, nihil eis hac quoque parte defuit. Missi enim sunt apostoli, verbum praedicatum est, neque tamen crediderunt.

An non audierunt?) Nequaquam possunt hoc dicere Gentes se non audivisse. Equidem in omnem terram exivit sonus eorum, id est, ubique in quatuor orbis partes.

Nunquid non cognovit Israel?) Ad Iudaeos vertit sermonem: Sed forte Iudaei dicerent se non audivisse. Ego vero ostendam eis ex scripturis, eorum excusationem vanam esse, Deu. 23. Deus per Mosen loquitur, se provocaturum populum Iudaeorum per populum qui suus non sit, et irritaturum per gentem stultam, gentibus scilicet praedicando evangelium suum. Gens stulta dicitur, quod idola vana et stulta adorarit, quae summa est stultitia, adorare scilicet, quem tu tibi deum finxisti. Item stultae sunt Gentes in hoc, quod voluntatis et legis divinae non fuerunt gnari. Scire autem voluntatem dei, summa est sapientia.

Esaias post hunc.) Primum testimonium Esaiae Gentes respicit, innuitque nullis eas meritis salvatas, nam non quaerebant deum, imo deum ignorabant. Nihilominus populus dei factae sunt. Neque vult dicere Paulus quod quis in cognitionem dei suo Marte veniat, sed dei praedestinatione. Alterum testimonium, Iudaeorum taxat ingratitudinem, quos tametsi deus semper protexit expandendo alas suas super eos, advocandoque ad se, nihil tamen promoverit apud eos. Sic Christus: O Ierusalem quoties volui congregare, etc. Ostendit ergo Paulus etiam Gentes populum esse dei, quod Iudaei negabant. Comprobavit autem Paulus maiorem esse numerum eorum qui ex Gentibus crediderunt, quam qui ex Iudaeis. Item discimus, deum etiam impiis semper revelare verbum suum, quod si non recipiunt, praedicatur eis divina misericordia in cumulum et testimonium damnationis.

CAPUT XI.

Num repulit deus?) Quum in superioribus ostendisset Paulus misericordiam dei erga Iudaeos nunquam cessasse, semper deum monuisse et revocasse eos, ipsos vero nunquam obediisse, fieri hinc ut pauci ex Israelitis salutis fiant participes: deinde constituisse alium populum, nempe Gentium, quem favore prosequi velit, dicere posset aliquis: Repulit ergo populum suum deus, quem ante sibi peculiariter elegit? est ne promissionum suarum immemor? Hoc certe indignum est deo. Respondet Paulus: Absit. Quasi dicat: Etiamsi bona pars illorum repudiata et abiecta est propter incredulitatem: non ex hoc consequitur

omnes Israelitas reiectos esse. Nam et ego Israelita sum. Si iam totus Israel reiectus esset, ego non essem apostolus. Tametsi eos superius inexcusabiles ostenderit, et merito repudiatos, hic tamen argumentis quibusdam spem illis de misericordia dei facit, si vel hac ratione aliquos lucrifacere possit. Misericordiam autem dei in hoc commendat, quod reliquias ex illis sumpserit, et quotidie sumat, et hoc potissimum sui ipsius exemplo probat. Me non solum non reprobavit, sed insuper praeconém me verbi sui fecit.

Quem ante agnoverat.) Quasi dicat: Hi videlicet salvi fiunt, quos a saeculo, imo ante mundum conditum elegit, et ut sui essent praedestinavit. Promissio enim et haereditas ad solos electos et praedestinatos pertinet, Ioan. 17. Quos dedisti mihi. Electionis est salus. Fides autem signum est certissimum electionis, fidei vero signa et indicia opera sunt.

An nescitis de Helia quid.) Clarius se explicat per historiam de Helia 3. Regum 19. cap. Helias zelo quodam conquerebatur intercidisse promissionem, eo quod non apparebant fideles, sed a deo reprehenditur cuius occulta sunt iudicia. Certum enim est, semper aliquos bonos esse, tametsi ab hominibus ignorentur. Putabat Helias neminem superesse veri dei cultorem quam se. Semper autem deus habet ecclesiam suam, qua nunquam caruit, id est: Er hat allweg lüt gehebt die in für einen Gott, id est, helffer, ſchirm, vnd troſt erkennt habend, neque fisi sunt operibus aut rebus externis. Quod propheta conqueritur sic impietatem abundasse, ut prophetae veri occidantur, arae, in quibus tum fiebant sacrificia, demoliantur, in causa sunt mali principes. Vide 3. Reg. 12. de Hieroboam, qui primus idololatriam in Israelem invexit, quem deinde ceteri sunt sequuti, donec eo usque venirent, ut veros prophetas occiderent, ut est in libris Regum et relictorum videre. Magni ergo refert pios habere reges et principes; quod si populus impios eligat, aut impiis si electi sint non resistat, culpa carere non potest, meritoque simul cum rege punitur. Huius rei exemplum in populo Israel et regibus satis apertum est. De Aris tempore Evangelii nihil est quod solliciti simus si demoliantur, nam umbrae tum fuerunt et figurae, quae in Christo abolentur et cessant. Christus ara nostra est, Hebraeorum nono, decimo et 13. cap.

Reliqui mihi septem.) Hoc argumentum duo complectitur. Primo probat Israelem non reiectum omnino: secundo declarat divinae electionis hoc esse, non humanarum virium aut meritorum, quod quidam ex Israele non sunt reiecti, et hoc facile intelligitur ex hoc, quod dicit: Reliquos feci mihi septem millia, qui non adorarunt Baal. Non ergo adorare Baal, divinae electionis opus est.

Reliquiae secundum electionem gratiae.) Loquutio est Hebraica, ac si dicerem: Electio gratuita. Si qui servantur, est gratuitae electionis, non operis aut meriti. Hoc iam probat duobus enthymematis.

Quod si per gratiam.) Primum enthymema: Si per gratiam, non ex operibus; nam gratia et opus ex diametro repugnant, alioqui gratia non esset gratia, ut supra quarto cap. patuit.

Quod si ex operibus.) Secundum enthymema, a contrario: Si ex meritis operum, non ex gratia. Contra eos pugnat, qui operibus et meritis iustificationem et salutem tribuunt.

Quod quaerit Israel non assequutus est, sed electio.) Id est: Hi qui electi sunt, ut supra nono cap. Fiducia ergo operum Iudaeis non profuit, sed electis gratia. Reliqui, qui ex operibus iustitiam quaesierunt, excaecati sunt.

Spiritum compunctionis.) Videtur desumptum ex Esaiae capite sexto. Spiritus compunctionis durus est, inflexibilis, inobediens, repugnans verbo dei, et quasi spina pungens. Ein verkerter, vnrüwiger, beweglicher geiſt, der halsſtarrig vnd häſſig wirt ab dem Euangelio. Spiritus rursum fidei dulcis est, et commodus, replet corda credentium gaudio et consolatione ineffabili.

Vertatur mensa eorum in laqueum.) Ex Psalmo 68. Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto, fiat mensa eorum in laqueum, etc. Sensus est: Quemadmodum filium tuum aceto et felle potarunt ingratissimi homines, ita et eorum mensa, id est, cibus erit eis in laqueum et captivitatem. Hoc est: Quum sibi videntur tuti esse in laribus suis tranquilli et quieti, capientur et abigentur e terra. Et consilia eorum laquei erunt, in quibus capientur. Item lapis offensionis in quem impingent, et rependet eis dominus iniquitatem eorum in caput eorum. Nam captivitas poena est peccatorum et impietatis, ut patet ex lege. Dorsum eorum incurva semper. A passione domini, Iudaei ita sunt incurvati, ut spes erigendi nulla sit. Servi sunt, calamitosi, contempti, et subiugati.

Num sic impegerunt, ut concíderent?) Redit ad propositum. Non in totum repudiavit Israelem, sed removit eos aliquantulum, ut interim Gentes introeant. Hoc iam consolatur Iudaeos. Deprimit nihilominus supercilium Gentium, ne dono dei superbiant et abutantur, et hoc facit pulcherrimis similitudinibus. Promiserat deus Gentes se accersurum, hoc ut commodius fieret, Iudaeos ad tempus repudiavit et impingere fecit: Hat ſy laſſen ſchlipffen, fallen, per incredulitatem; ut servaretur Gentibus promissio, maior pars ex Israele cecidit. Reiectis autem Iudaeis Gentes catervatim irruerunt. Sic ad aemulationem provocat Iudaeos ad fidem, idque Gentium exemplo, ut quum viderent haereditatem suam transferri ad Gentes, ipsi provocarentur ad retinendam eam. Abutitur itaque deus incredulitate Iudaeorum. Noluerunt parere dum beneficiis provocaret, abiecit ergo eos et exhaereditavit, ut vel hac poena provocaret. Aemulatio autem illa aut provocatio duplici sensu accipi potest. Primo electi Iudaei ad fidem per aemulationem trahuntur: Secundo impii Iudaei ad invidiam et excaecationem irritantur.

Vobis dico Gentibus.) Antypophora est. Diceret Gentilis aliquis: Paule tu nimium tribuis Iudaeis, nimiumque in illorum partes inclinas, putabam te Gentium esse apostolum, tu vero semper Iudaeos defendis. Verum est (inquit Paulus) a Iudaeorum parte sto, eosque defendo, idque mihi licere, imo ex officio incumbere arbitror. Nam sic illustro officium et ministerium meum, nempe, dum non omnes cor-

vere possum, saltem aliquos ad aemulationem provocem. Et hac ratione Iudaeos carnem suam appellat, quia Israelita erat secundum carnem. Nota hic studium et zelum apostoli. Idem facit Esaias cap. 62. Sic non debet pastor fugere aut cessare, etiamsi res videantur desperatae; sic nec magistratus. Nauclerus aut navis gubernator, clavum non abiicit in rebus dubiis. Affectu ergo suavi et fraterno simus nos Gentes erga reprobos Iudaeos, et omnes incredulos, nihilque intermittamus, si quo modo et illos lucrifacere possimus, tametsi quodammodo desperati videantur.

Nam si reiectio illorum.) Si reiectio illorum ad salutem vobis tantum profuit, quid futurum putatis, si iterum recepti fuerint, unus populus, una ecclesia vobiscum futuri? Fuerit hoc tantum miraculi, quantum si ex mortuis resurrexerint. Et plane mortui fuerunt, nempe infideles, et Christo carentes. Loquitur hoc Paulus, ut ferociam Gentium domet, et eos hortetur, ut aequo animo ferant Iudaeos, ne reiiciant, ne contemnant. Docet hoc nos non praefractos esse, nec impatientes erga infirmos.

Si primitiae sanctae.) Lepidissimis similitudinibus rem omnem declarat, non omnes scilicet Iudaeos abiectos esse, sed salvos quosdam futuros. De oblatione primitiarum Exodi 23. Numeri 15. Item de escis ac placentis. Si primitiae sanctae, cetera omnia sancta, id est, sanctificata, inaugurata, et commoda ad esum erunt. So der erſt anbruch Gott geheiliget was, ſo was denn das ander alles den menſchen erloubt ze eſſen vnd rein. Qui vero primitias non obtulisset, sacrificio deinde se expiabat, etc. Ad hunc usum alludit Paulus hic. Quandoquidem olim tota massa primitiis oblatis sancta reddebatur, non debetis Israelitas contemnere atque reiicere, tametsi enim magna pars non credit, primitiae tamen sanctae sunt: Der anbruch, id est, pars quaedam ex illis, ut sunt Abraham, Isaac, et Iacob, apostoli, et alii nonnulli. Non est ergo massa tota contemnenda, ex qua tam sanctae sunt primitiae.

Quod si radix sancta.) Alia similitudo ab arbore sumpta. In oblatione primitiarum tota arbor, id est, arbor et quidquid producebat omnes scilicet fructus sanctificabantur, id est, ad esum commoda iam erant. Per radicem autem patres sanctos intelligit.

Quod si nonnulli rami defracti.) Posset quis ex Gentibus dicere: Verum est, radix quidem sancta fuit, ut Abraham et ceteri, sed ipsi sunt excisi rami per infidelitatem, et ideo non amplius populus dei. Respondet Paulus: Recte. Tu vero Gentilis sylvestris es oleaster insertus in locum eorum, consors ac particeps olei misericordiae dei et fructus, filius Abrahae scilicet factus. Ne glorieris, ne contemnas, nam nisi defracti essent, tu inseri nunquam potuisses, id est, non potuisses filius Abrahae fieri. Quod si gloriaris, scito te id non ex te habere, sed ex radice, ex oleo et gratia dei. Non fert Paulus, ut Iudaeis insultent Gentes, reprimit illarum superbiam, et reducit eis in memoriam pristinam indignitatem, quod fuerint oleastri, id est, idololatrae, non participes pinguedinis spiritus Christi: misericordia autem dei, non suis meritis, aggregatae sint patriarcharum et prophetarum societati. Omnia ista docent modestiam et timorem dei. Sic enim natura comparatum

esse videmus, ut qui in altum ex humili sorte evehuntur, fere sibi placeant, et glorientur insolentius.

Dices igitur: Defracti sunt rami.) Alia obiectio. Dicet quispiam: Ideo defracti sunt, ut ego inserer. Verum est, inquit. At quae causa quod defracti sunt naturalès rami? nempe, infidelitas. Quod vero tu insertus es, electionis est et fidei. Ita oportet ut nostram impietatem et malitiam non deo, sed nobis, pietatem rursus ac fidem non nobis, sed deo adscribamus. Hoc enim est quod subiicit: Fide constitisti. Fides autem nullo humano opere, sed in sola gratia dei gloriatur, ut a nullo nisi a deo conferri potest.

Ne efferaris.) Quod in locum eorum suffectus es, ob hoc noli efferri. Nam si deus ita egit cum naturalibus ramis, quanto minus tibi parcet si infidelis fueris? Quum eandem omnes carnem geramus, et non minus ad peccandum proclives simus quam reliqui, non est quod alios contemnamus. Nisi enim adiuvaremur per misericordiam dei, nos multo gravius caderemus. Afferat igitur alienus casus timorem dei, et maiorem ac diligentiorem cautionem ac custodiam, ne si deum non ut oportet glorificaverimus, nos quoque relinquat et abiiciat. Ita Gal. 6. monet Paulus: Si praeoccupatus fuerit homo, etc.

Ecce igitur bonitatem.) Hoc tu considera et expende bonitatem dei erga te, quod immerentem suscepit, et in numerum filiorum suorum cooptavit: et gratias age. Severitatem nihilominus in eos qui ceciderunt, iustitiam suam severissimam. Deus voluit in eis iustitiam extremam et exactam ostendere, ut supra nono cap. de vasis irae. In te bonitatem suam exercuit quod te elegit, quem optimo iure potuisset in perfidia relinquere: quod ergo te fidelem fecit o Gentilis, non est tui meriti sed suae bonitatis. Quin et hoc considera fieri facile posse, ut et tu excideres, si scilicet in fide non perstares, illi vero rursus inserantur si credant. Illis similitudinibus docet Paulus, nos Gentes oleastros insitos esse in truncum oleae, id est, in Abrahamum, hoc est in fidem eius et foedus, Galat. 3. Deus qui fuit deus Abrahami, et deus noster est, foedus eius foedus nostrum est. Semen Abrahae promissum servator Iudaeorum Christus, et noster servator est.

Potens est deus.) Si tu non permanseris in ista dei bonitate, sed arrogans, ingratus ac infidelis fueris, rursus excideris, id est, non amplius eris in numero fidelium et populi dei, et illi rursus inserentur. Discimus ex hoc loco grati esse deo, qui sui cognitionem nobis dedit, spectareque bonitatem dei. Tunc autem grati sumus, si vitam nostram ad eius voluntatem composuerimus, quod fiet, si ea quae contra deum sunt emendemus: sin minus, auferetur a nobis regnum, et dabitur genti facienti fructum. Item de nullius hominis salute desperandum quamdiu hic vivit, non licet ut ullum damnemus.

Etenim si tu.) A maiori arguit, et causam praedictorum reddit, manet autem in coepta metaphora.

Nolo ignorare.) Quasi dicat: Haec omnium quae dico summa est, totiusque rei, quam tot similitudinibus adumbravi: Volui vobis arcanum dei consilium ostendere, quo placuit domino reiicere Iudaeos, et inserere gentes.

Ne sitis animo elato.) Haec omnia in hunc usum dixi, ne quid vobis placeatis, ne gloriemini, ne insultetis casui Iudaeorum.

Donec plenitudo.) Excisi quidem sunt et resecti, sed ad tempus duntaxat, donec Gentium plenitudo introeat.

Et sic totus Israel.) Id est, reliquiae salvae fiant, quidquid reliquum est ex Israelitica gente. Nam utcunque iam longe abesse a Christo videantur, tamen iterum erunt populus dei. Probat haec ex prophetis eorum.

Et hoc illis testamentum.) Testamentum est remissio peccatorum, quod scribit in cor: hoc firmavit Christus sanguine suo.

Secundum Evangelium.) Sunt quidam iam inimici dei propter vos qui evangelio creditis, quantum vero ad electionem pertinet, sunt illi quos deus ab aeterno elegit, et prae ceteris dilexit, ita propter patres adhuc sunt electi. Simile est in Esa. 63. quod recordatus sit Mosis, etc. Tametsi eum ad iram concitarunt, ut merito hostis eorum esset, tamen adhuc sunt electi, etc.

Nam dona quidem dei.) Quod vero populus dei sint propter patres, patet. Nam deum non poenitet promissionis. Appellavit Israelem populum suum, ergo populus iste non damnabitur, sed redibit ad fidem et salvabitur, etiamsi ad tempus sint reiecti. Stat promissio dei firma, sed solis credentibus, Zach. 6. Erit autem hoc si auditu audieritis.

Quemadmodum et vos.) Scilicet gentes infideles fuistis, nunc vero per misericordiam dei fideles redditi, per illorum incredulitatem, id est, interim dum illi increduli fuerunt, ita ipsi aemulatione fidei vestrae, provocabuntur.

Conclusit enim deus omnes.) Quasi dicat: Sic domino visum est, ut omnes homines essent infideles, ut dum fideles redderentur, non hoc ex se, sed misericordia dei consequutos agnoscerent, ut ipse misericordiam omnibus impenderet.

O profunditatem.) Hanc longam litem Iudaeorum et Gentium concludit tandem Paulus, et docet quod deus faciat quod sibi libeat, hunc damnet, hunc salvet pro sua voluntate. Ne simus ergo curiosi in consiliis domini perscrutandis. Utcunque enim omnia fiunt, fiunt ex consilio et ordinatione divina omnia, quod consilium et propositum domini impervestigabile est omnibus creaturis. Piorum ergo hominum est, deo nihil respondere, neque rationem factorum suorum ab eo velle exigere, Esa. 45. Ierem. 18. In hoc autem epilogo obscure contentionis meminit, quae erat inter Iudaeos et Gentes, ostendens quod merita et opera quae salvent nulla sint, eo quod Iudaei fideles illis multum tribuebant. Quasi dicat: Dixi vobis de rebus quibusdam quae inter vos controvertuntur (quarum vos rationes exigitis) quantum ego quidem intelligo: verum quis omnium factorum et operum dei, cur id faciat, istud vero omittat, rationes et causas afferre possit, quum iudicia dei sint inscrutabilia, et viae eius investigabiles? Proinde moneo, ne nimium sitis in hisce rebus curiosi, ne velitis ab eo rationem singulorum exigere.

Quoniam ex illo.) Causam subiicit praedictorum, ex illo enim

sunt omnia. Aut, quod praecedentibus respondeant, quum interrogavit: Quis prior dedit illi? Quasi dicat: Nemo. Nam ipse nemini quicquam debet, quum ex ipso sint omnia. Ipse dat omnibus esse et vivere, fons bonorum inexhaustus, sine cuius nutu nihil fit in rerum natura.

CAPUT XII.

Composuit praecedentibus capitibus controversiam gravem inter Iudaeos et Gentes, docuitque fundamentum iustificationis esse fidem per Christum, hoc capite iacto fundamento incipit praescribere eis paraeneses quasdam, quibus vitam Christo dignam formet ac instituant.

Obsecro vos per miserationes.) Obsecrat non imperat, idque more apostolico, et obsecrat per misericordiam dei, hoc est, admonet eos misericordiae, quam deus eis exhibuit, ut summa gratitudine illi respondeant, digneque illa vivant.

Hostiam viventem.) Christianus est qui vitam suam, vel se vivum deo offert. Offerre autem est mortificare carnem, veterem Adam, domare carnem, castigare et in servitutem redigere. Christianorum ergo sacrificium est sese totos deo dedicare et offerre, ut abnegent sese, abnegent affectus, Christoque commoriantur et simul cum eo crucifixi consepeliantur. Ut enim nunquam non peccant Christiani, ita quotidie sese offerant, et pecuinos affectus iugulent ac mactent. Haec sunt sacrificia viva, sancta, et rationalia, id est, spiritualia, per spiritum scilicet oblata.

Ne accommodetis vos.) Subinde clarius exponit quid intelligat per sacrificium illud. Tum vere offertis vos deo, tum estis hostia viva et immaculata deo, quum non accommodatis vos ad figuram huius saeculi, quum corpora vestra servatis munda et pura, ut non inquinentur saeculi contaminatione. Quid vero sit mundus, et quae sit figura huius mundi, beatus Ioannes in epist. priore cap. 2. declarat. Sic apostolus Iacobus monet: Haec est vera religio, immunem se servare ab hoc saeculo. Sic Paulus Ephes. 4. et Petrus, 1. Pet. 4.

Ut probetis.) Quasi dicat: Illud vero, non se conformare huic mundo, atque mente renovari, est probare, id est animadvertere quid deus velit, et quod ipse vult gratum et acceptum habere. Ita Christus: Non omnis qui dicit: Domine domine, intrabit in regnum coelorum, sed qui fecerit voluntatem patris mei. Et illud bonum, acceptum, et perfectum est apud deum, audire scilicet quid deus loquatur, non quid homo. Hic est verus cultus dei, audire quid iubeat deus, et quid velit; hoc nemo facit nisi renatus spiritu.

Cuilibet versanti.) Quasi dicat: Vobis omnibus hoc dico, ne quis nimium sapiat: Das ſich nieman überwitzige, überſinne. Iterum tangit litem quam diremerat: Dz nit ein parthy witziger ſin welle dann die ander, vnd die andere überflugen. Nemo debet esse nimium sapiens.

Ut modestus sit.) Huc tendat omne studium vestrum, huc spectet tota vita, ut novi sitis homines, modesti, humiles, non fastuosi. Sic docet in Epistola ad Philip. cap. 2. exemplo Christi.

Mensuram fidei.) In nimio sciendi appetitu quaedam ebrietas est, nisi quis verbo dei manserit addictus, quod hic vocatur mensura fidei.

Necessario enim aberratur, nisi lex fidei nos direxerit. Scientia nostra lineam fidei non excedat. Fides enim fundamentum est, ex qua omnia ut profluant, ita dirigantur. Hanc regulam saepe transilimus, et plus sapimus quam oportet. Non est autem omnium par fides.

Quemadmodum in uno corpore.) Pulchra est haec corporis et membrorum similitudo, qua Paulus hic et alibi utitur, ut moneat quod quisque suo munere rite fungatur. Alter alterius sit membrum, id est, alter alteri opem ferat et subsidium. Quidquid deus cuique contulit, hoc utatur ad utilitatem corporis.

Sive prophetia.) Prophetiam hic interpretationem aut expositionem sensus scripturae vocat. Sic 1. Timoth. 4. Si quis donum prophetiae habuerit, non abutatur ea, sed iuxta rationem fidei eam exerceat.

Sive ministerium in administrando.) Ut Act. 6. Quisque ministerium bona fide et diligentia obeat, ut reprehendi aut culpari non possit. Sic faciat qui docet, qui exhortatur. Aliquando deus alicui contulit, ut eos qui in afflictione sunt bene possit consolari et erigere, alii aliud, quisque suum officium fideliter expleat.

Qui impertit.) Est alius cui datum est ministerium ut administret necessaria pauperibus ex ecclesiae bonis, hoc agat citra fraudem, summa cum fide.

Qui praeest.) Et is faciat officium suum fideliter et diligenter, 2. Paralip. 19. Deuteron. 10. Donum ergo suum non negligere, imo in bonum totius ecclesiae, quae est corpus Christi, exequi, bonum est et acceptum coram deo.

Qui impertit in simplicitate.) Ut non quaerat quae sua sunt, non spectet quaestum et retributionem, non quaerat gloriam. Matth. 6. Quum facis eleemosynam, etc. item Luc. 14.

Dilectio sine simulatione.) Superius dixit hoc bonum et gratum esse deo, ut quilibet sit alterius, ne quisquam sua quaerat, ne quis sibi soli vivat, sed sit communis omnium, ne donis quis abutatur, sed in bonum aliorum. Summa ergo omnium est dilectio, hanc iam latius prosequitur.

Odio prosequentes quod malum.) Christiani hominis est adhaerere bono, odisse malum. Adhaerere pro diligere, tropo Hebraico.

Per fraternam caritatem propensi.) Geneigt, angefochten, gleich als einen lyblichen bruder zu lieben. Hoc est esse Christianum, hoc parit vera et viva Christi cognitio. Caritate prosequi homines, ostendit fidem veram esse, non multa loqui aut disputare de fide aut de deo, ut multi hodie solent, re nihil praestantes. In rebus et negotiis dei fortem esse et constantem, odisse malum, adhaerere bono, ita ut nihil possint apud nos nec mundus, nec peccatum. Ita Christus Ioannis 8. Si filii Abrahae estis.

Honore invicem praevenientes.) Idem docet exemplo Christi Philip. 2. Nam etiamsi alius alium donis praecellat, ubi vera est modestia, nullus alii se praeferet, sed quisque alium sibi praeferet et excellentiorem existimabit. Ut animo nostro alios semper nobis praeferamus, etiamsi hoc externo honore non semper fiat.

Studio non pigri.) Caro semper cunctatur et cessat. Cavemus

ergo a socordia et ignavia, excutiamus veternum. Maledicti qui faciunt opus dei negligenter. Simus constantes in operibus dei.

Spiritu ferventes.) Raro invenies qui fervent in promovenda veritate, iustitia, gloria dei. Multi dulciter de Evangelio disserunt, sed quum resistendum est sceleribus et sceleratis, frigent. Oportet Christianum hominem ita esse animatum, ut cum iactura vitae et sanguinis gloriam dei et veritatem tueri sit paratus: Es gelte hut vnd belt, nit wyche.

Tempori servientes.) Id est, opportunitatem captantes, ut omnia fiant debito et commodo tempore et loco: Jetlichs zu siner zyt vnd gelägenheit, quo multos domino lucrifaciamus.

Spe gaudentes.) Spes in deum erigit et alacrem facit animum quantumvis depressum et afflictum.

In afflictionibus patientes.) Opus est patientia Christiano. Nam crucem ferre post Christum oportet, et per multas tribulationes introire in regnum dei. Exemplo ergo Christi omnia forti et laeto animo ferenda sunt, Rom. 5.

Precationi instantes.) Oportet enim incessanter orare et non deficere, etiamsi non statim impetremus quae petimus, perseverandum est in oratione. Et patientiae commode iungitur oratio, quod nemo in afflictionibus consistere potest, nemo vincere, nisi domino manum praebente et auxiliante. Auxilium ergo domini ferventi et constanti oratione implorandum.

Necessitatibus sanctorum communicantes.) Sanctum pro fideli qui adhuc nobiscum in terris vivit accipi, locus hic manifeste contra Papistas probat. Nisi velint dicere divos adhuc in egestate esse. Mox ut viderimus proximos nostros nostra ope egere, debemus illis opem ferre.

Hospitalitatem sectantes.) Pauli tempore nimirum multi erant exules et proscripti propter fidem, hos colligere docet, et hospitio excipere etiam invitos, nec exspectare donec veniant ipsi. Exemplum est in Lot et Abraham.

Bene loquamini.) Sic Matthaei quinto Christus ipse docet: Decet ut filii ingenium et naturam patris referant.

Gaudete cum gaudentibus.) Omnino vult nobis esse unum cor et unum spiritum, ut tam prospera quam adversa omnia communia nobis sint.

Ne sitis arrogantes.) Arrogantia quae ex philautia generatur pessimus est affectus, deinde et fiducia in propriam sapientiam et iustitiam. Clam taxat litem quae erat inter eos, de qua supra. Caritas inter fastuosos et arrogantes constare non potest. Caritate laesa aut exacta, omnia frustra sunt, et mortua.

Providentes honesta.) Monet ne ulli simus offendiculo, honeste et inoffense vivamus apud homines. Sic Christus Matth. 18. Vae illi qui offendit. Sic Petrus, 1. Pet. 2.

Si fieri potest.) Quamvis quidam propter atrocitatem suam vos infestent, illis tamen vos ne detis occasionem plus saeviendi, sed offerte pacem ante omnia, et beneficiis eos vobis devincire studete, ultionem

deo et magistratui suo relinquentes. Hoc cum sequenti versiculo (Non vosmet ulciscentes) ad privatum quemque pertinet. Nam magistratus officium est, sontes punire, vim et iniuriam inferentes coercere, eosque defendere quibus haec inferuntur. Exemplum est in Abrahamo, Gen. 14, Deuter. 2. Non enim frustra gladium gestat.

Si esurierit inimicus tuus.) Caritas ad benefaciendum propensa est, etiam hostibus a quibus est laesa. Per cibare intellige omnia necessaria ministrare: Erſetz jm allen mangel vnd präſten.

Coacervabis carbones ignis.) Tropus est non absimilis Germanico, quum dicimus: Der trieht jm ſelbs ein glut vff die füß. Sensus est: Ei qui tibi malefacit, tu benefac, ut eum beneficiis demerearis, ex quibus si non melior redditur, coacervabit sibi carbones ignis in suum caput, id est, accerset sibi magnam vindictam, provocabit iram domini in se. Nam per carbones vindictam dei intelligo, Psal. 17. Carbones ignis succensi sunt ab eo.

Ne vincaris.) Per malum scilicet hominem, aut afflictionem, sed posside in patientia animam tuam.

CAPUT XIII.

Omnis anima potestatibus.) Ex hoc textu liquet et in principio praedicati evangelii, quemadmodum etiamnum hodie, homines fuisse, qui libertate Christiana ad carnis desyderia abuterentur. Vide de Vera et Falsa Relig. Omnis anima, id est, omnis homo, more Hebraico. Pugnat autem hic locus contra emunitatem sacrificorum et privilegia pontificiorum. Per potestatem intelligit omnem magistratum, quocunque vocetur nomine, sive monarchia sit sive aristocratia. Et videtur esse responsio ad tacitam obiectionem. Poterat enim obiici Paulo ab aliquo: Si omnia fero quae mihi inferuntur ab hostibus et malis hominibus, quid tandem fiet? occasio dabitur malis plus saeviendi et turbandi omnia. Respondet Paulus: In hoc constituti sunt magistratus, ut haec caveant, nihil opus ergo, ut tu sumas vindictam, magistratus hoc officium est, ut te a vi asserat et iniuria.

Non enim est potestas.) Rationem subiungit quare parendum sit potestati, nempe quod a deo sit ordinata et constituta Exodi 18. et alibi. Et mali principes a deo sunt, ut patet ex verbis Christi, cum dicit ad Pilatum: Non haberes in me potestatem ullam, nisi tibi data esset desuper. Esaiae 3. Dabo pueros principes. Item Hieremiae 25. Nabuchodonosor dicitur servus dei.

Quisquis resistit.) Quandoquidem potestates omnes a deo sunt ordinatae, consequitur eos peccare qui potestatibus resistunt, adeoque sibi iram, id est vindictam et iudicium domini acquirunt. Iudicium hoc loco pro ira et poena capitur, quae malis a deo intentatur.

Nam principes.) Indicat in quem usum magistratus a deo constitutus sit: videlicet, in laudem et defensionem bonorum, timorem malorum.

Laudem feres.) Alludit ad morem Romanorum, apud quos laude aut laurea donabantur, qui rem bene gesserant.

Ad tuum bonum.) Omnium bono praefecti sunt magistratus, qui

ergo omnium malo praesunt, videant quo pacto Christi nomine glorientur. Et mali principes ministri dei sunt, sed quemadmodum satan.

Gladium gestat.) Is qui male agit huic metuendus est magistratus, non enim frustra fert gladium.

Dei minister est.) Ad communem tranquillitatem custodiendam. Sunt enim quidam tam audacter mali, ut ni feriantur gladio, ceteri pacem habere non possint. Et ideo magistratus minister est dei, vindex ad iram, id est vindictam et punitionem ei, qui quod malum est operatur. Dei ergo nomine ferit non suo.

Verum etiam propter conscientiam.) Non tantum ob iram, id est vindictam subditos esse decet magistratui, sed et propter conscientiam; conscientia igitur laeditur si non pares magistratui in hisce, quae ex officio suo iubet. Ergo etiam impio magistratui parendum est, si nihil praecipiant, quo te contra deum facere cogunt. Leges civiles ad tranquillitatem et necessitatem publicam latae sunt: nobis ergo obtemperandum est illis, non modo ut poenam eorum evadamus, sed quod ita deo placet. Neque tamen intelligendum est, quod aliquis possit mihi lege sua conscientiam meam obstringere, si pro sua libidine leges statuat, sed in hoc laeditur conscientia mea, si illi non obtemperem, et turbem pacem publicam, violemque ordinationem dei mea inobedientia et contumacia, occasionemque aliis praebeam rebellandi et leges perfringendi. Non est offendendus magistratus neque contemnendus, neque dandum est offendiculum proximis, nisi forte praecipiat, quod bona conscientia facere pius non possit, ut est Act. 5. Et principum edicta ac leges animas non ligant, sed his parendum est, ne anima laedatur.

Ob hanc causam.) Videlicet ut malos feriant, bonos tueantur, publicamque tranquillitatem custodiant; in hoc ipsum intendentes, ut loco scilicet dei vindicent, et animadvertant in eos, qui quod malum est perpetrant.

Reddite igitur.) Vos qui evangelio creditis reddite omnibus debita, nec est quod vos dicatis liberos. Sic et Christus docet: Reddite Caesari quae debentur Caesari.

Nemini quidquam debeatis.) Quasi dicat: Quid multis opus est? Si habueritis caritatem, hoc est si vere, non titulo tantum tenus, Christiani fueritis, non afferetis proximis vestris quidquam mali aut incommodi. Nihil vobis grave erit, si proximum dilexeritis, neque detrectabitis magistratum, neque quae eis debentur. Ubi enim libertas est spiritus, servitus quae hominibus debetur, quae alioqui dura est, non erit gravis. Carnales ubique aliquid praetexunt, in omnibus suum commodum spectantes. Videtur loquutio esse per antiphrasim: Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis, id est, videte ut invicem diligatis. Non nego, id est assentior.

Nam qui diligit.) Qui caritatem habuerit nihil negligit eorum quae vel deo vel proximo debet, totam legem exacte servat.

In hoc sermone summatim.) Sic dominus dicit Matth. 22. pendere ab hoc praecepto caritatis et legem et prophetas.

Praesertim quum sciamus.) Epilogus quasi est superiorum. Capitur autem καιρὸς pro opportunitate temporis. Est autem forte

epicherema in epilogo. Maxime nunc ratio temporis admonet, ut pareamus magistratui, serviamusque invicem per caritatem, quum scilicet per evangelii lucem dominus nobis illuxit. Tempus ergo est: Die ſtund iſt hie, ut tenebris excussis a somno, in quo hactenus fuimus, surgamus. Somnus autem letalis fuit, ut existimaremus licere, ut nos ipsos diligeremus, nihil curantes proximos. Illucescente autem gratia, intelligimus iam proximum diligendum esse quemadmodum nos ipsos; expergiscamur ergo oportet ab isto veterno philautiae. Aut quod Paulus per somnum et expergiscentiam figuraliter intelligat, tempus iam adesse ut resipiscamus, et aliam vitam inchoemus. Sic 1. Pet. 4. Sat est quod anteactae vitae tempus malis impendimus, reliquum vitae deo dedicetur. Ne praetexamus vitiis nostris, gentes fuimus; iam vocati ad lucem evangelicam, vitam luce dignam agamus. Exigamus autem omnia ad regulam caritatis, et si quid cum illa pugnat, hoc emendemus, aut Christiani esse desinamus.

Nunc propior nostra salus.) Propior refertur non ad futurum tempus ut adhuc futura sit salus, sed ad praesens, ostenditurque iam adesse imo advenisse. Item Credere hic non proprie capitur sed pro opinari. Fides enim de certis rebus est. Sed abutimur nonnunquam hac voce. Sensus est: Putabam aliquando salutem esse in operibus legis, sed iam certo scio, salutem mihi in Christo esse certam, Ioan. 3. Sic deus dilexit mundum. Olim putabam me apprehendisse, quum longe esset, sed iam teneo salutem etc. Et Iudaei putabant se ex iustitia legis salutem consequi posse, sed fallebantur, Rom. 10.

Nox progressa est.) Nox in qua detinebamur, abiit, lux vera iam lucet, in qua videmus nos deceptos esse falsa hac opinione, quod opera iustificent. Operibus enim fidere, salutem dare non potest; at deo per Christum niti, hoc demum salvat nos. Possunt et haec alio in sensu de innovatione vitae intelligi, ut per noctem vitia, per diem pietatem intelligas. Turpe esset nos diutius vitiis et sceleribus vacare. Et hic sensus fortasse magis sequentibus quadrat.

Abiiciamus ergo opera tenebrarum.) Opera tenebrarum sunt quarum nos in luce poeniteat, scelera videlicet, quae non tantum divini iudicii lucem, sed ne humanum diem ferre possent, quae evangelii lucem non decent.

Arma lucis.) Prius dixit opera tenebrarum, iam non dicit opera, sed arma lucis, quod vita Christiana pugna et lucta quaedam sit. Militi ergo Christiano armis opus est. Militum autem est vigilare et in statione stare armatos, non oscitare aut dormire. Hic habitus vitae Christianae sic induendus est, ut honeste incedamus, ut filios lucis decet, et ut convenit in die ambulare. Solent adulteri mutata veste noctu deambulare, ut alii appareant quam sint, ut solet impia hypocrisis.

In comessationibus.) Modum docet, non vetat necessitatem. Non vivimus, ut edamus et bibamus, sed edimus ac bibimus, ut vivamus. Sic Christus Luc. 21. a crapula et ebrietate praemonet. Et Paulus a vino abstinere, in quo luxuria est, id est cuius abusus luxuriae causa est.

Non in cubilibus et impudicitiis aut lasciviis.) Iterum modum

praescribit, necessitatem non vetat. Docet ut casta sint coniugia, ut castus thorus, ne carni et libidini vacemus, ac nimium indulgeamus, quemadmodum fit in ganeis, ubi lasciviae et omni inhonestati frena laxantur.

Non in contentionibus.) Nam haec nobilissimae virtuti caritati ex diametro repugnant. Ubi contentio est, ibi exulat caritas; ubi non est caritas, nihil recte fit. Tangit obiter litem inter eos, de qua supra. Aemulatio zelus est amarus, ubi quis odium concipit contra eum, a quo propter scelera sua corripitur: prioribus duobus vitiis obnoxii sunt impuri scortatores, postremis laborant, qui adversam experiuntur fortunam.

Sed induimini dominum Iesum.) Ἀλλὰ expositivum est, aber; tropica est locutio quarum multae sunt in hoc capite, et magnam habent vim. Quasi dicat Paulus: Supradictis verbis omnibus hoc unum volo, ut Christum induatis, id est ut ad exemplum eius vitam instituatis, vivite et facite ut Christus vixit et fecit, exprimite cum tota vita. Difficilius est Christum induere, quam totum corpus chirotheca madida vestire. Haec vero induitio tota vita durat, nec unquam perfecte absolvitur. Christus est imago et character dei patris, exemplar vivum et expressum substantiae dei, cui nos conformari oportet, ut geramus et exprimamus imaginem dei, non veram modo, sed et efficacem, ac ut ita dicam, operativam. Exprimere debemus Christum Iesum absolutissimum illud exemplar in operibus et tota vita nostra, ut Christus se in nobis ubique exerat, ut ubique ac undique ex nobis eluceat, ut et nos ad archetypum formati exemplar vivum simus, studio scilicet iustitiae et veritatis, iuxta mensuram spiritus, quam cuique partitus est deus. Christiani hominis vita, ut ex tota ista epistola totaque doctrina Christi colligi potest, nihil aliud est, quam se agnoscere peccatorem, fidere dei misericordia per Christum, et vitam in sanctitate et innocentia ad exemplum Christi instituere.

CAPUT XIV.

Hoc capite iterum revertitur ad ea quae contentionem faciebant in corpore Christi. Iudaei observabant ciborum et dierum discrimen, nec solum ipsi haec observabant, sed et ceteros ad haec observanda cogere volebant. Rursus qui ex gentibus ad Christi fidem conversi erant, haec tanquam frivola et stulta reiecerunt, et exibilarunt, sine delectu cibis quibuslibet vescentes, etiam cum offensione Iudaeorum. Hos utrimque componit hoc capite Paulus.

Eum qui infirmatur.) Si quis inter vos nondum solidus et firmus fide fuerit, hoc est nondum intelligat se quocunque tempore quibuslibet vesci posse, aut qui adhuc diem prae die eligeret observandum, eum assumite: Den nemmend hüpſchlich an, hunc consolamini, hunc docete, alite, fovete, sustinete, donec proficiat. Nota vim Graecanicae dictionis *προσλαμβάνεσθαι*. Sic in epist. ad Philip. cap. 4. *συλλαμβάνεσθαι*. Infirmus est qui libertatis Christianae nondum gnarus in multis offenditur, qui non scit mundis omnia munda esse.

Non ad diiudicationes disceptationum.) Non anxiis dispu-

tationibus et disceptationibus, quibus infirmi implicantur et turbantur, non explicantur et liberantur. Tolerandi sunt infirmi, sed hac spe et eatenus, ut proficiant. Vide quae in Marcum annotavimus capite quarto.

Alius quidem.) Diversi sunt homines; sanus est alius et validus, qui quibuslibet cibis vesci sibi licitum arbitratur; alius infirmus est, et oleribus vult uti. Qui vescitur firmus et solidus, non debet contemnere infirmum, et dicere, Christianus non est, quia die Veneris non edit carnes, aut huiusmodi verbis; nihil improperet ei. Rursus qui infirmus adhuc est, et non vescitur quibuslibet, non debet diiudicare eum qui sine discrimine quaelibet edit. Maius enim est iudicare quam contemnere. Sic solent, qui adhuc haerent nec solidi sunt, dicere: Is comedit carnes die Veneris, nebulo est, haereticus est, etc.

Deus enim illum assumpsit.) Causae redditio est, quare non sit iudicandus, quia deus assumpsit eum, deus enim assumpsit et illuminavit eum, ut iam per spiritum dei eruditus, sciat sibi licitum esse sine delectu omnibus vesci, idque bona conscientia.

Tu quis es.) Quasi dicat: Qui haec a deo doctus intelligit, is de familia iam est dei, quid ergo iudicas hunc?

Proprio domino stat.) Si benefacit in hoc quod quaelibet edit, domino suo stat: sin peccat et male agit dum vescitur quibuslibet, domino suo peccavit ac cecidit, nec quidquam horum ad te pertinet.

Fulcietur ut stet.) Satis potens ac fortis est dominus, ut istum in omnibus corroboret et erudiat. Ecce quam iniquiter peccent hodie principes quidam et magistratus, qui puniunt quosdam, quod libertate sua utuntur. Et hi quoque peccant, qui defendere et intercedere deberent, negligentia sua consentientes aliorum tyrannidi.

Hic quidem iudicat.) Iam de delectu dierum loquitur. Est aliquis qui putat sibi hunc diem observandum esse, eumque prae aliis eligit ut potiorem; alius contra omnes dies similes ducit. Unicuique sua mens satisfaciat, ita tamen ut quisque in hoc domino serviat, ut eruditus sit quisque, se domino feriari aut non feriari, quisque norit se contra deum nihil designare. Quisque ergo a fide sua ducatur et eruditur. Idem sentiendum de delectu ciborum. Sic omnino faciendum est in hisce externis rebus, si tranquille inter nos cum proximis vivere velimus. At non debet infirmus semper manere infirmus, nec velle promovere ulterius, sed quotidie in fide augescere.

Nullus enim nostrum sibi vivit.) Quid ergo opus est contentionibus? quid opus ut is hunc spernat, alius illum iudicet? quum nemo sibi vivat aut vivere debeat, sed omnes simus instrumenta dei. Non sumus nostri iuris, sed sub iure domini nostri, qui nobis pro arbitrio suo uti poterit. Non possumus neque vivere, neque mori, dum nos volumus, sed cum domino visum fuerit.

In hoc enim Christus.) Probat quod domini utrimque simus. In hoc enim, scilicet ut nos filios dei faceret, item ut dominus omnium esset, mortuus est Christus. Duo hic discimus: In externis sic agere cum proximo ne quem offendamus semper loquor de infirmis, non de

impiis et contumacibus; secundo ut discamus, deum non cibi extrariis rebus, sed sola mentis puritate, ac vitae innocentia, Hierem. 7.

Cur iudicas.) Tu scilicet qui ita infirmus es, ut non intelligas tibi licere vesci quibuslibet, et quod is non peccat qui illis vescitur. Rursus, tu qui firmus es et in fide solidus; cur idem non intelligentem despicis, quum utrique sitis dei?

Mihi flectetur omne genu.) Id est, me agnoscent dominum, mihi iurabunt.

Ne igitur alius alium iudicet.) Hoc intellige de indifferentibus ac rebus externis, nam in sceleribus secus est, illa enim iubentur excludi et vitari si offendunt.

Illud iudicate.) Hoc potius dispicite, ut neminem offendatis. In offensionibus regula erit fides et caritas, quantum cedendum et quatenus, hoc etiam docent Christus et apostoli. Sic omnia moderanda, ut aedificemus.

Nihil esse commune.) Iudaei hoc commune vocant, quod Latini profanum, quod omnibus ex aequo licet. Ex hoc ergo quod ceteris gentibus commune est, ipsis vero vetitum, vocant Iudaei vetitos contaminatos et insolitos cibos communes, Marci 7. Communibus manibus id est illotis: commune ergo est immundum. Nihil, inquit Paulus, per se immundum est: omnia enim munda mundis, sed illi tantum immundum est, qui immundum existimat, 1. Timoth. 4. Paulus dicit omnia sanctificari, id est licita fieri ad esum, et quasi inaugurata ad edendum per orationem et deprecationem, quod cognoscuntur dona dei in usum nostrum creata et donata a deo. Haec loquitur Paulus propter Iudaeos, qui adhuc infirmi erant, quique adhuc in delectu ciborum haerebant: his inquam dicit Paulus, nihil esse immundum ac vetitum, his scilicet qui sunt in Christo Iesu.

Verum si propter cibum.) Iam vertit sermonem ad gentes, ac firmos in fide Iudaeos, ut citra offensionem quibuslibet vescantur. Nam qui cum offensione infirmorum fratrum sua libertate utuntur, non secundum caritatem ambulant. Nam supra 13. capite auditum est, caritatem esse totius legis consummationem. Caritas regula est et index, iuxta quam omnia sunt moderanda.

Ne cibo perdas.) Posset enim infirmus cibo tuo offensus omnino resilire a Christo, aut Christum verbumque eius blasphemare et reiicere, et sic tu eum perderes pro quo mortuus est Christus. Nam caritas hoc exigit, ut sicut Christus pro me passus est toto corpore, ut redamem illum in omnibus membris eius. Membra proximos dicimus, quos ita debemus diligere sicut Christus nos dilexit. Quomodo vero pro proximo moriemur, si eius causa a cibo aliquo abstinere non possumus?

Ne igitur vestrum bonum.) Per bonum Paulus hanc libertatem intelligit spiritus. Quasi dicat: Quum omnia editis ex libertate qua donavit vos Christus, sic ea utimini, ne potius libido ab aliis vel temeritas merito iudicetur. Tunc vero libertas nostra blasphematur et calumniis patet, quum non est regulata fide et caritate, quum ea abutimur ad carnis desideria, quibus solis se quidam Christianos esse declarant.

Non est regnum dei.) Christianus populus non hinc censetur Christianus, quod illis aut illis vescitur, sed hinc, quod deo fidit per Christum, quodque innocentiae, iustitiae, paci et tranquillitati studet. Gaudium ex pace nascitur et eam consequitur, quod et in mediis adversitatibus durat. Per cibum autem et potum quaevis externa hic intellige. Regnum dei intra vos est. Idem sensus est, 1. Corinth. 4. et 8.

Acceptus est deo.) Qui sic vivit, atque hoc pacto servit deo, hic probatur deo, Hierem. 7. Nec deo solum approbantur tales, sed et piis omnibus.

Quae pacis sunt sectemur.) Posteaquam regnum dei nec cibus est nec potus, sectemur quae pacis sunt, praesertim in hisce rebus quae sunt indifferentia. Semper hoc spectemus, ut aedificemus, non ut destruamus quae bene structa sunt. Caritas sit regula, alias nunquam habebitur ratio aedificationis aut pacis. Sic Christus laudat fidelem et prudentem dispensatorem Lucae 12.

Destruas opus dei.) Idem est cum eo, quod supra dixit: Ne perdas cibo fratrem. Usque adeo cura tibi esse debet proximi, ut commodi proprii obliviscaris, tantum absit, ut cibo eum offendas.

Omnia quidem pura.) Quasi dicat: Novi quid mihi obiici a quibusdam possit, omnia munda esse mundis, omnia licere. At malum est homini, etiam hoc quod mundum est per offensionem edere.

Neque bibere vinum.) Quasi dicat: Si observaretur dies in quo bibere vinum non vellent omnes, et esset aliquis qui vino carere non posset, biberet autem cum offensione, iam bonum esset non bibere. Per bonum autem hic non intellige meritorium, sed commodum, Füglich, geſchickt. Non dicit simpliciter: Bonum est non edere carnes, sed ideo bonum est, ne frater peius habeat.

Tu fidem habes.) Id est, certo et indubitato scis nihil esse immundum, tibique licere, ut quaelibet edas, et in hac scientia firmus es: apud te habe, hoc est, tene hoc firmiter, ne cedas ab hac fide, et utere hac libertate et fide apud deum et te, si absque offensione apud proximos nondum licet.

Beatus qui non iudicat) Id est, qui non dubius est in eo quod probat, id est, intelligit, et certo scit sic esse. Probare pro intelligere, ut rursus intelligere pro probare, supra 7.

Qui diiudicat.) Id est, si quis ederit, et se interim diiudicat, hoc est, sese damnat in facto suo, putatque se malefecisse aut peccasse, nondum apud se certus, quod sibi liceat, et quod benefaciat, nihilo tamen minus edens, is peccat, quia non ex fide edit: Nit vß ſtyffem wüſſen vnd verſtand.

Quidquid non est ex fide.) Impiis non licet quod piis atque fidelibus licet. Nam propter peccatum istis non possunt uti sine delectu et cum bona conscientia, cibis (inquam) vestibus, diebus et omnibus externis rebus. Ubicunque fides non est, illic nec peccati neque timoris dei ratio habetur, fucus et hypocrisis sunt omnia, gloriaeque aucupium. Summa enim blasphemia in deum est, deo non fidere, ei non credere.

Nos placemus deo per Christum, perque illum filii dei constituimur. Si iam filii dei sumus, quomodo dubitare possumus nos patri caros, ac curae esse? quomodo non omnia quae ex hac fiducia facimus grata deo erunt? Qui deo non fidit, nec se deo carum esse credit, quomodo illius opera deo probari possunt?

CAPUT XV.

Nos qui potentes sumus.) Id est, nos qui firmi sumus in fide et scientia istarum rerum, qui non diiudicamus nosmetipsos, debemus impotentium, id est, infirmorum et vacillantium infirmitates portare ac sustinere. Metaphora sumitur a fido et bono pastore, qui ovem infirmam humero suo imponit, trahit, gestat etc. ut Christus Lucae 15. cap. docuit. Nam fortiores et robustiores in hoc amplioribus viribus praediti sunt, non propter se ipsos tantum, sed ut infirmiores iuvent. Sicut oculus non sibi ipsi videt, sed toti corpori, et pes totum corpus sustinet, manus toti corpori laborat: ita singuli vires accepimus, ut alius alii inserviat. Vae igitur iniquis dispensatoribus, et talentum suum abscondentibus. Vide de pastoribus in Ezechiele. Exemplo sit mansuetissimus Moses, qui pervicacissimam Iudaeorum gentem, toties obmurmurantem, et tantum non lapidantem, tot annis, tam longanimiter pertulit.

Et non placere.) Quum nos scientiam illarum rerum habemus, neque aliorum, qui adhuc infirmi sunt, ratione habita, nostra tantum spectamus, non sumus vere Christiani, quin alter alterius onera ferre debet. Placere enim sibi ipsi, hoc in loco capitur pro sua quaerere. Placere proximo, est quaerere quod proximi est. In Galatis placere hominibus, est laudem affectare, sed hic aliter.

Nam Christus.) Huiusmodi habemus exemplum in Christo, si sua tantum spectasset, non descendisset ad nos, maxime quum nostri nihil egeret. At quandoquidem non suum, sed nostrum commodum spectavit: Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens etc. Philip. 2. Efficacissimum est exemplum Christi, quod omnibus fidelibus proponatur, qui prodigus sui sanguinis et vitae, perinde ac si se odio haberet, pro nobis mortuus est. In hoc ergo imitandus est nobis Christus, ut odio habeamus animam nostram.

Quemadmodum scriptum est.) Christus conqueritur se suscepisse obprobria, quae nobis debebantur, ut discamus eum non sua quaesivisse, sed ut nos servaret, adeoque noster fieret. Hoc idem nos imitari debemus. Non sumus meliores domino nostro, nihil ergo gravemur, si ob Christum male audimus. Non enim possunt placere mundo, qui Christo placent et serviunt, Matth. 5. Beati eritis quum vobis maledixerint.

Nam quaecunque scripta sunt.) Quidquid est scriptum, in hunc usum scriptum est, ut nos discamus et erudiamur, ut quemadmodum ipse fecit, et nos faciamus, Ioan. 13.

Spem capiamus.) Id est, per patientiam, quam in Christo testante scriptura invenimus, spe freti eadem patienter ferre discamus, utque

consolationem accipiamus. Multa enim consolatoria sunt in scripturis sacris, per quae animi piorum eriguntur, ut, Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam illorum est regnum coelorum. Item: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Discamus deum semper esse sui similem: si semper suos iuvit et consolatus est, et nos consolabitur. Contra, si invenimus in scripturis deum pro sua iustitia sceleratos, dum non resipiscerent, punivisse, discamus et nos deum metuere et resipiscere, ne nobis idem accidat, Ierem. 3. usque ad 10. Deinde si quando liberavit suos, ut Noe et Lot, certi simus et nos liberandos. Sacrae literae hoc profanis praestant, quod meliores reddunt, et solidam spem ac consolationem praebent.

Deus patientiae.) Hebraismus est, id est, deus qui dat patientiam et consolationem: is deus dat ne nobis sed proximo placeamus, utque unanimes simus, quod tunc fiet, si unum eundemque spiritum habuerimus.

Assumite vos invicem.) Iterum assumere ut supra 14. cap. idque exemplo Christi, qui nos hostes et peccatores assumpsit, Rom. 5. Ephes. 2. Et gloriosos nos reddidit, adque gloriam dei evexit. Assumptio nostra, gloria dei est.

Ministrum circumcisionis.) Circumcisio pro Iudaica et Israelitica gente ponitur. Iudaeis enim promissus fuit Christus, illisque exhibitus, ut fidem suam liberaret deus. Promissio fuit, non meritum. Salus autem ex Iudaeis est, istis praecipue promissus fuit servator ex semine David, exhibitus ergo, ut promissio impleretur. Utrinque partibus aliquid adimit et aliquid concedit, ut sopita lite, pax et caritas inter eos rursus coeat.

Ceterum ut Gentes.) Probat iam testimoniis et Gentium esse Christum. Nam Gentes glorificaturae erant Christum: si glorificaturi, ergo in eum sperabant; si in ipsum sperabant, ergo per eum servantur et salvi fiunt.

Deus autem spei.) Hebraismus est, id est, qui omnem spem dat, vel in quem est sperandum, is efficiat ut sitis pacati et unanimes in credendo, id est, in fide, et hoc per potentiam sui spiritus. Precatur Paulus non solum ut initia capiant, sed ut consummentur in virtutibus, ut Christo digna sentiant, ut gaudeant atque securi sint.

Persuasum habeo.) Quasi dicat: Importunior fortasse fui hisce meis literis erga vos, admonens, ut unanimes sitis, tametsi nihil dubito vos suapte sponte huc inclinatos. Excusat se Paulus, quod non tanquam ad malos et indoctos scripserit, sed quod universitati Gentium prodesse cupiens suo officio fungeretur. Scio vos plenos esse scientia, ut admonitione mea nihil fuerit opus.

Sed tamen audacius.) Scilicet, quum supra dixit: Tradidit eos in cupiditates.

In hoc ut sim minister.) Puto hoc mei esse officii et debiti, propter gratiam mihi a deo datam in ministerium, id est, praedicationem ad Gentes.

Ut fiat oblatio.) Quasi dicat: Commissum est mihi evangelium, ut hoc praedicem inter Gentes, id est, ut Gentes in cognitionem dei

per praedicationem inducam. Et quum hoc a me perfectum fuerit, id est, quum vos Gentes in cognitionem dei per Christum venistis, estis oblatio acceptabilis.

Sanctificata.) Id est, dedicata, consecrata, oblata, non ritu quidem Iudaico, sed per spiritum. Aut sanctificata, id est, grata facta. Nota hoc esse munus episcopi et praedicatoris evangelici, ut sacrificet, id est, ut populum rudem in cognitionem dei perducat.

Habeo igitur.) Quasi dicat: Et spero quidem me in officio meo sic gessisse, ut reprehendi nec possim nec debeam, quin de officio meo gloriari possim, me scilicet fidelem fuisse in functione mea.

Circumiacentibus regionibus.) Ut Arabia, Damasco, Antiochia. Tardiorem adventum ad Romanos excusat. Primo, propter evangelium annunciandum. Secundo, propter diaconatum, eo quod pauperibus Hierosolymitanis eleemosynam esset allaturus. Opportune autem incidit in memoriam eleemosynae, ad quam aliorum exemplo vafre Romanos provocat, non dure praecipit.

In pauperes sanctos.) Duplici nomine digni sunt in quos conferatis, et quia pauperes, et quia sancti, id est, fideles. Laborabatur autem Hierosolymis penuria et caritate annonae, fames enim incidit sub Claudio Caesare, insuper et propter persequutionem saeviores Iudaei in pauperes erant.

Debitores illorum sunt.) Debent enim subvenire doctorum necessitatibus, 1. Corinth. 9. Galat. 6. Matth. 10.

CAPUT XVI.

Hoc caput refertum est salutationibus, non tamen frivolis aut inutilibus. Discimus hic, quibus titulis et laudibus praedicandi sint Christiani. Nam qui hic laudantur, non laudantur a divitiis, ab eloquentia, vel a potentia saeculari, sed a caritate, simplicitate, obedientia, fortitudine fidei, et fidelitate ministerii. Nemo reiicitur, ne mulieres quidem, nullus est personarum respectus.

Ministra ecclesiae.) Quomodo mulieres ministrent ecclesiae, habes ad Titum 2.

Salutate Priscam et Aquilam.) De Prisca et Aquila habetur Actorum 18. capite, erant eiusdem opificii cum Paulo.

Et quae in domo illorum est ecclesiam.) Vides hic paucorum Christianorum congregationem et collegium ecclesiam vocari.

Osculo sancto.) Alludit forte ad patriae morem. Quasi dicat: Quemadmodum homines mundi huius osculo excipiunt sese, ita vos caritate invicem prosequimini. Nam osculum syncerae caritatis symbolum est.

Conterat satanam.) Per satanam omnes eos intelligit, qui veritati obsistunt, sive sint falsi apostoli, sive alii, quos deus brevi conteret. Non enim sinit suos ultra quam ferre possunt tentari, vel diutius quam expediat.

Erastus quaestor.) Vel hinc apparet Christianos fungi posse magistratu.

Ei vero.) Desinit in gratiarum actionem, et quod prae omnibus quaerit, soli deo omnem gloriam tribuit.

Secundum revelationem.) Definit quid sit evangelium suum. Est enim evangelium revelatio secreti et mysterii quod retroactis saeculis ac multis temporibus fuit ignoratum, per prophetas praedictum, per apostolos annunciatum et evulgatum. Et hoc fuit mysterium, quod omnes Gentes in fide per Christum, et non ex operibus suis salvarentur.

IN PRIOREM AD CORINTHIOS ANNOTATIONES

HULDRYCHI ZUINGLII.

ARGUMENTUM.

Corinthus Achaiae Metropolis, urbs ut opulentissima, sic et voluptuosissima fuit; ut ob corruptissimos mores et vitae licentiam, vulgo adagium natum sit: Non datum esse cuivis Corinthum adpellere. Hac in urbe annum unum et menses sex, evangelium praedicavit Paulus, summa quidem fide, ac maximo studio, et iacto solido fundamento, ecclesiam Christo dignam aedificavit. Quum vero post abitum eius quidam sese ingererent, qui suae quam dei gloriae magis essent studiosi, quique eloquentia et mundana sapientia turgidi, humilem Christi doctrinam fastidirent, veritus Paulus, ne qui bene instituti erant, in Iudaismum et varios errores a sana doctrina Christi abducerentur, monet, ne sapientia aut eloquentia capti, praedicationem crucis, ut stultam, reiiciant, sapientiam enim huius mundi stultitiam esse coram deo. Deinde, quum aut vitae superioris nonnihil in eis haereret, aut ad ingenium quidam, post confessam fidem, redirent, Apostolica autoritate eos corripit et obiurgat, severitatem interim correctionis verborum lenitate mitigans, et quasi condulcans. Acerrime autem reprehendit vitia quaedam, idque nominatim, quae a populo Christiano longissime abesse debent, nempe, contentionem, factiones, vanam in hominibus gloriationem, tumorem, fastum, violentiam, impatientiam, luxum et vitae impuritatem. Porro, ut supra modum vani erant et curiosi quidam, scientia magis inflati quam ornati caritate, curiosis et frivolis eorum quaestionibus, breviter et scite respondet. In primis eos ad concordiam et mutuam caritatem, et ad constantiam in evangelica doctrina, quam ab eo acceperant, adhortans. Singula suis locis fusius indicabimus.

CAPUT PRIMUM.

Vocatus apostolus.) Hebraica forma est. Vocari enim pro esse fere utuntur, ut Luc. 1. Vocabitur altissimi filius, hoc est, erit. Vindicat autem his verbis autoritatem et officium suum Paulus.

Per voluntatem dei.) Quasi diceret: Ego non me ipsum ingero, nec mihi id muneris adscisco, sed deus misit me, qui voluit ut essem apostolus. Non ergo aliud nomen mihi vendico, quam quod deus dedit.

Sosthenes.) Hunc principem synagogae fuisse, Acta testantur Apostolica. Apparet autem hunc Christianum factum, odioque Iudaeorum ejectum, cum Paulo habitasse, quem humilitatis nimirum gratia Paulus in salutatione sibi adiungit, ut elatorum deprimat supercilium.

Sanctificatis per Christum Iesum.) Fideles intelligit, pro quibus seipsum sanctificat Christus, ut sint et ipsi sanctificati in veritate, hoc est, vere. Veteris enim legis sacrificia, iustitiam carnis tantum operabantur, hoc est, exteriorem quandam mundiciam operabantur. Christi sanguis vere sanctificat, et animas purgat.

Vocatis sanctis.) Hoc est, his qui vere sanctificati sunt, ut iam patuit.

In quovis loco.) Quasi diceret: Nihil oberit quod ego corpore absens sum: si vere nomen domini nostri Iesu Christi invocatis, praesens sum.

Gratia vobis.) Gratia favor est, quo deus miseros nos et damnatos prosequitur, dum peccata remittit, culpam condonat, et nos sibi in filios adoptat.

Pax.) Tranquillitas est conscientiae, ac gaudium illud animi, quo fideles vel in mediis afflictionibus exultant ac gloriantur.

A deo patre, et domino nostro Iesu Christo.) Quod Paulus Christum, alioqui humilem et despectum, dominum vocat, sine ratione factum nemo putet, augustius nimirum domini nomen Paulo fuit quam pro more. Etenim si Hebraeorum rationem spectamus, excellentius est nomen τετραγραμμάτον, יהוה, quam sit אל. Quae duo nomina simul iuncta, frequenter in libris Mosis ac prophetarum leginus. Et propheta Esaias, Meschiae nomen illud ineffabile יהוה tribuit capite 42. Quandoquidem ergo Christus filius est dei, et dominus omnium, deo patri, cui et deitas et omnipotentia tribuitur, similis sit necesse est. Ostendit ergo hoc Epitheto Paulus, Christum filium dei patri per omnia similem. Nam omnium rerum dominum esse, non minus est quam deum esse.

Ditati estis.) Hoc est, cognitione dei plurimum locupletati, probe edocti.

Testimonium Iesu Christi confirmatum.) Hoc est, praedicatio evangelii Iesu Christi, quae ad vos pervenit, increvit apud vos, et supra modum confirmata est, adeo, ut donorum quae ad conservationem corporis Christi, hoc est ecclesiae, pertinent, nihil omnino vobis desit. Habetis doctores, prophetas etc. 1. Corinth. 12. Ephes. 4.

Exspectantes revelationem.) In hunc usum huiusmodi dona vobis donata sunt, ut hisce fulciti, in finem usque fortes atque irreprehensibiles perseveretis.

Fidelis deus.) Deus, de quo hic loquor, fidelis est, non fallit, neque mentitur: is dedit vobis omnia, ut nihil vestris meritis adscribatis.

Per quem vocati estis in consortium.) Ethologia est. Neque enim nobis certo constat, qui in societatem Christi admittantur. Ad morem ergo nostrum loquitur Paulus, quatenus nostro iudicio aliquem inter filios dei recensemus.

Idem loquamini omnes.) Hebraico more, loqui pro cogitare usurpat, aut meditari. Ut omnes unum sapiatis, sentiatis ac cogitetis; ut unanimes sitis.

Nec sint inter vos dissidia.) Inter initia proponit quod capu

rei est. Quum enim concordia parvae res crescant, discordia maximae dilabantur, in primis ad concordiam eos revocat: quae tum adest, si omnes, quantumvis multi ac varii, unum spiritum habuerint, si omnes huc spectent, ut gloriae dei, et publicae tum saluti tum utilitati consulant. Felici ergo auspicio incipit Paulus. Quasi diceret: Quandoquidem vultis esse una ecclesia, unum corpus, operam date fratres carissimi, ut unanimes sitis, unum sentiatis omnes.

Ego vero Christi.) In sermone reprehensorio, Christum ultimo loco ponit. Ac si diceret: Sunt tamen (pauci licet) inter vos, qui dum alii plerique hominum, ipsi solius Christi appellatione glorientur, et hi soli fideles sunt. Petrum Corinthi fuisse, literis sacris non est proditum. Apparet ergo aliquem ex discipulis Petri illuc venisse, a quo fortassis nonnulli baptisma susceperant, qui deinde appellatione tam magnifica gloriati sunt.

Non enim misit me Christus ut baptizarem.) Quomodo se Paulus ad baptizandum non esse missum dicit, quum tamen Christus discipulis suis id mandati dederit, ut quibus evangelium praedicarent, simul eos baptismate inaugurarent? Duo ergo praeceptum Christi complectitur: alterum, ut evangelium praedicarent in omnes gentes, et hoc praecipuum erat; alterum, ut eos, qui Christo nomen dedissent, populo dei baptismatis signo inserevent. Non ergo omnino se ad baptizandum missum negat (nam et Stephanae domum, Caium quoque et Crispum baptizavit) sed se praecipue ad evangelizandum missum ait, poenam sibi, si non evangelizet, imminere ostendens. Et huic operi adeo fuit intentus, ut quod minus esset per reliquos expleret.

Non erudito sermone.) Eos obiter taxat Paulus, qui sese apud Corinthios elegantia orationis, et verborum lenocinio venditabant. Quasi diceret: Ego non tanta eloquentia et verborum pompa apud vos evangelium praedicavi, sed neque opus fuit, imo contra sermone simplici usus sum, ne crux Christi evacuaretur, aut inanis redderetur. Ne quis se putet sermonis elegantia, aut dicendi vi, ut crederet, adactum, quod solius crucis Christi est et spiritus dei.

Sermo crucis.) Id est, doctrina et praedicatio evangelii de Christo filio dei crucifixo, Der handel, die predig deß crützes, quod scilicet per mortem Christi vita contingat credentibus, stultitia est huius mundi sapientibus, qui sua perfidia perduntur. Contra, his qui credunt, evangelii ratio virtus est efficax, et salus aeterna.

Perdam sapientiam.) Propheta in hoc vaticinio sapientiam et prudentiam humanam his comparat, quae per somnia videntur dormientibus: quod suo proposito pulchre adaptat Paulus. Quasi diceret: In negotio evangelico abneganda et evacuanda est omnis mundi sapientia, quae crucis mysterium perscrutari et nosse nequaquam potest, tam abest, ut quidquam hic promoveat, ut etiam reiiciatur. Quid enim hic poterit scriba sapiens, aut saeculi inquisitor? Nihil plane, infatuat deus huius mundi sapientiam, posteaquam salutem uni cruci alligavit. Quum enim deus per solum filium eumque crucifixum salutem mundo contulit, cur non videtis omnem huius mundi sapientiam stultitiam esse? Colebant et Gentes deos suos, sed inanis erat hic cultus: contendebant humanis

praesidiis ac iustitiae operibus ad felicitatem omnes; sed nequicquam. Vana omnia fuisse evangelium Christi docet, quae vel diis suis stulta gentilitas impenderet, vel huius mundi sapientia mortalibus praescriberet. Ostenditque deum sola cordis puritate ac vitae innocentia coli, sola Christi iustitia hominem beatum reddi posse Deinde et impiorum consilia, quibus extinguere Christum nitebantur, stulta fuisse, Christi resurrectio prodidit.

Nam posteaquam in sapientia dei non cog.) Nolebat mundus neque per sapientiam dei, id est, per instinctum dei, neque per suam sapientiam deum cognoscere, ideo aliam viam adinvenit divina sapientia, per stultitiam scilicet praedicationis salvos facere credentes: hoc est, constituit deus alia ratione salvare humanum genus, nempe, per praedicationem crucis. Intelligit autem hic per praedicationem rem praedicatam, *κατ' ἐναλλαγήν*. Res autem praedicata est, quod deus dedit filium suum in mortem, ut nos vivamus per eum (Hoc enim praedicarunt apostoli.) Est rursus, ubi res ipsa praedicata pro praedicatione ponitur, ut quum Christus dicit: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Idem enim est, ac si diceret: Praedicate evangelium omni creaturae, qui crediderit, salvus erit. Non quod praedicatione fiat remissio, sed dei virtute, et morte Christi, quae per verbum praedicatum sensibiliter adferuntur. Nam apostoli praeter verbum externum nihil proponunt. Et haec praedicatio stultitiâ omni carni videtur. Nam quod superius dixit, sermonem crucis stultitiam esse pereuntibus, et quod hic stultitiam vocat praedicationis, eodem sensu capiendum est. Non quod mortis Christi praedicatio, stultitia sit, sed quod impiis et incredulis stultitia videatur. *Μιμητικῶς*, hoc est, per imitationem. Hostes enim evangelii imitatur apostolus, qui evangelium ceu rem frivolam et stultam elevabant.

Iudaei signum postulant.) Hic obiter utriusque gentis ingenium ostendit. Iudaei, gens incredula et contumax, signa petunt, ut est apud Matthaeum 12. Ioannis 2. 4. et 6. Graeci vero, qui in omni disciplinarum genere nobiles, et in omni sapientia praeclari semper exstiterunt, qui prae se omnes alias nationes Barbaras, et appellarunt et rudes existimarunt, nihil recipere possunt, quod humana ratione capi non potest.

Nos autem praedicamus Christum crucifixum.) Non hoc intelligendum, quasi Paulus aliique Christum praedicaverint, ut offenderentur Iudaei, sed quod praedicarent evangelium, Christumque pro peccatis nostris crucifixum, cuius vilitate et humilitate Iudaei offenduntur, quam praedicationem gentes pro stultitia habent. At idem Christus crucifixus, vere fidelibus virtus est et sapientia dei. Virtus: nam imbecilles et desperatae conscientiae hoc laeto nuncio (quod deus filium suum in mortem pro nobis tradidit) eriguntur et confirmantur, certae, quod deus eis posthac nihil negabit, qui filium dedit, huius virtute omnia facere ac pati, omnia contemnere paratae. Sapientia: in ipso enim sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae reconditi.

Stultitia dei sapientior est hominibus.) Hac vehementi comparatione amplificat divinam sapientiam. Quasi diceret: Minimum quod

deus operatus est, quodque nostro iudicio stultissimum videri posset, longo intervallo omnem mundi sapientiam superat.

Videtis enim vocationem vestram.) Idque ex eo haud obscure cognoscere potestis, quod non multos sapientes, aut huius mundi potentes ad evangelii praedicationem delegerit, sed indoctos et simplices piscatores. Atqui per horum praedicationem quantumvis simplicem, summos orbis principes, imo universum mundum sibi subiugavit Christus, quod nulla tyrannorum vis, nulla philosophorum poterat eruditio. Deinde, conditionem eorum qui crediderunt (potest enim tam de praedicantibus, quam de credentibus intelligi) considerate. Ab initio enim praedicationis evangelicae, non multi potentes, non multi claro genere nati, fidei iugo colla subdiderunt. Quis enim ex principibus ac pharisaeis in eum credidit? Simplices ergo fuerunt quibus praedicatio evangelii commissa est. Simplices item, qui doctrinae crediderunt. Nihil ergo est quod humanae sapientiae aut virtuti tribuatis, cum virtus sit solius dei.

Et ea quae non erant.) Hunc locum ex Osea citat Paulus ad Romanos 9. Ecclesiam autem ex Gentibus sibi futuram praedicit, ut incredulitatem suam Iudaeis exprobret. Quasi diceret: Eos quos vos pro nihilo ducitis, et qui iudicio vestro populus dei non sunt, asciscet sibi deus in populum.

Ut non glorietur ulla caro) Per simplices patefecit evangelium suum deus, ne quis de profectu gloriari posset, ne quis diceret: Ego hoc feci. Excedebat enim hoc negotium humanas vires.

Ex eodem autem vos estis.) Ex eodem scilicet deo, de quo loquor, vos fideles estis, non ex vobis ipsis, idque per Christum Iesum.

Qui factus est nobis a deo sapientia.) Natura videlicet deus, qui non solum novit omnia, sed moderatur etiam. Is a patre nobis missus est, ut nos veram, solidam, ac coelestem sapientiam doceret, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae reconditi. Lux est clarissima, quae omnes vitiorum et errorum tenebras discutit ac propellit.

Iustitia.) Nam dum omnes iniusti eramus, nullaque ad iustitiam nobis via pateret, factus est nostra iustitia coram deo. Per eum enim iustitiae dei satisfit, dum scilicet sese pro nobis patri offert hostiam. Per hunc nobis aditus est ad deum. Hoc autem ideo factum est, ne nos aut sapientiae nostrae, aut iustitiae fidamus unquam, sed a divina sapientia disceremus quid facto esset opus. Divinae iustitiae inniteremur, quum iustitia nostra panno menstrui sit impurior.

Sanctificatio.) Hoc est, is per quem vere sanctificati sumus, Ioan. 17.

Redemptio.) Venundati enim eramus sub peccatum principis huius mundi, servi turpissimi facti, a qua servitute nos Christus neque auro neque argento, sed proprio sanguine suo liberavit, inque regnum suum transtulit, factus ipse pretium nostrae redemptionis. Sua enim innocentia nostram culpam diluit, sua morte nobis vitam impetravit, suo sanguine nostras sordes abluit.

Qui gloriatur.) Iustitia et sanctificatio nostra nihil erat; conclusa

enim erant omnia sub peccatum, et per legem omnes constituti eramus peccatores. Sumus autem iustitia dei iusti, quae est filius eius. Ideoque de se nemo glorietur, quasi aliquid sit. Si quis gloriatur, de deo glorietur, id est, deo gloriam suae iustitiae, non sibi tribuat.

CAPUT II.

Et ego quum venirem ad vos.) Quemadmodum supra de ceteris loquutus est, ita et in praesenti capite de se loquitur. Quantum, inquit, ad me attinet, scitis me non studuisse eximiae alicui eloquentiae, aut humanae sapientiae, tametsi harum rerum non eram omnino rudis, neglectis tamen his, solum testimonium dei vobis annunciavi. Testimonium autem hic pro eo capit quod sibi a deo demandatum erat. Testimonium dei, id est, mandatum et praeceptum dei. Testem ergo esse, aut testimonium ferre, Hebraico more significat, id quod alicui mandatum est, strenue et constanter exequi. Quemadmodum enim testes nullius gratia permoveri debent, quo minus quod verum esse sciunt, dicant: ita apostoli quod oculis viderant, quod auribus hauserant, quodque manibus contrectaverant, imo quod spiritu dictante didicerant, strenue et constanter praedicant, et verum esse omnibus testantur.

Non iudicavi quidquam me scire.) Hoc est, non statui, non praesumpsi, non praecepi aliud me velle scire aut docere, quam Iesum Christum, et hunc cruci affixum. Neque gloriam neque lucrum apud vos venatus sum, neque me apud vos pro docto venditavi. Ad hoc unum spectavi, ut vos Christum Iesum filium dei agnosceretis, qui nostri causa factus est homo, et pro nostris peccatis cruci est affixus, ut nos peccatorum vinculis alligatos eximeret. Commendat autem his verbis crucem, id est, mortem Christi.

Et ego per infirmitatem.) Infirmitatem hic non corporis intelligit, sed ostendit se nullo praesidio aut brachio humano fretum, nulla mundi nec sapientia nec potentia fisum, Evangelium praedicasse. Nam quomodo non infirmus et humilis fuit, qui quotidianis periculis et mortibus obiiciebatur? qui perfidorum in se odium et persecutionem provocabat? Hinc dicit se cum metu et tremore apud illos versatum fuisse. Nihil ergo esse quod ei potentiam obiiciant.

In ostensione spiritus et potentiae.) Scio veterum plerosque per *δύναμιν*, miraculorum operationem intellexisse. At mihi videtur Paulus fere per *δύναμιν*, fidem, studium ac fervorem intelligere, quo praediti sunt et hi qui gnaviter et strenue verbum dei praedicant, et hi qui praedicato evangelio efficaciter credunt, impellente nimirum spiritu dei. Sunt enim cunctatores quidam, qui frigide omnia et socorditer agunt et tractant. Paulus vero in *ἀποδείξει*, hoc est in, id est cum, evidentia spiritus ac virtutis se praedicasse gloriatur. Quasi diceret: Quandoquidem pauper fui et infirmus, nihil sapientiae aut eloquentiae humanae praeferens, facile intelligitis solo spiritu me animatum, apud vos promovisse. Discimus hic eos haudquaquam recte ad scopum intendere, qui evangelium Christi crucifixi absque timore et periculis praedicant, quasi vero crux absque cruce praedicari possit. Ergo, qui humanae sapientiae aut virtuti fidunt, nihil aedificant.

Ut fides vestra.) Causam praedictorum subiicit, ac si diceret: Nihil humanae aut sapientiae aut virtutis admiscui, ut fides vestra nequaquam hominibus, sed deo esset innixa.

Sapientiam loquimur in perfectis.) ב Hebraicum hic pro de exponitur: ut sit locutio Hebraica, sapientia in perfectis, pro sapientia perfecta. Quam locutionem alias sic variant: Sapientia perfectionis, etiam pro sapientia perfecta et indubitata. Intelligit autem doctrinam, non Corinthios. Quasi diceret: Loquimur de rebus arduis, perfectis et divinis.

Neque principum saeculi huius.) Hoc est, non quamlibet sapientiam, quam mundi huius vel eruditissimi profitentur. Nam hi fastuosi simplicem et humilem Christi doctrinam non modo non ferunt, sed contemnunt etiam.

Qui abolentur.) Hoc est, evacuantur. Nam ubi evangelium syncere praedicatur, omnis fastus, omnis elatio deprimitur, ne quis hic argutetur, Paulum magistratus et saeculares potestates contempsisse. Aboletur autem huius saeculi principum sapientia: cum falluntur, temporarii sunt et momentanei; dum hallucinantur, caeci ruunt et pereunt. Perfecta vero et coelestis sapientia, firma, certa, saerosancta, et infallibilis est.

In mysterio.) Ampliatio est. Dei sapientiam, quae hucusque fuit arcana et recondita, publice profitemur, ac omnibus notam facimus. Consilium enim condendi, cadendi, ac reparandi hominis ab aeterno statuit deus; sed occultum fuit, non deo, sed nobis, paucis admodum in veteri testamento revelatum.

In gloriam nostram.) Quae enim maior gloria, quam filios ac haeredes esse dei, cohaeredes Christi? Est autem pulchra Antithesis. Infirmitas haec et humilitas nostra, de qua ego sum locutus, immensa est gloria.

Quae oculus non vidit.) Tametsi haec apud deum ab aeterno certa et praefinita fuerunt, vos tamen ea nunquam audivistis, sed ne cogitare quidem potuistis: nempe quod deus filium suum daturus esset pro vobis in mortem, ut vos per eum vitam haberetis aeternam. Et haec quidem ad gentes loquitur. Nam illis de hac gratia per scripturas nihil fuit revelatum, quomodo ergo cogitare potuerunt salutem in hoc esse sitam, si in Christum filium dei credant?

Nobis autem revelavit.) Nobis, hoc est fidelibus, revelavit deus haec tam alta mysteria, atque dei tam profundum consilium, idque per spiritum suum, qui omnia scrutatur, qui et in cordibus nostris agit atque operatur.

Quis enim hominum novit.) A simili probat: Nemo novit quid sit in corde hominis, nisi homo ipse. Secreta ergo dei quis nosse potest nisi ipse deus? Iam quum vos arcanum hoc dei consilium, quo vos per filium suum a morte liberavit, cognoscitis, a solo deo edocti sitis, oportet. His verbis probat fidem in deum per Christum, non esse hominis, sed dei solius. Quasi diceret: Cognoscitis? creditis? Ergo hanc cognitionem et revelationem a deo accepistis. Hic nota Paulum semper occulte perstringere Pseudapostolos, qui se verborum

lenocinio, et curiosis quibusdam quaestionibus, apud Corinthios venditabant. Quasi diceret: Ego nihil horum egi apud vos, sed in humilitate veni, et vos tamen interim potentes estis in fide et cognitione dei. Videtis ergo sola virtute dei hoc factum, illos vero, qui sapientia et eloquentia nituntur, pseudapostolos esse, nec novi quidpiam afferre.

Nos autem non accepimus spiritum huius mundi.) Haec ex superioribus satis clara sunt. Quum ea quae dei sunt cognoscimus, certum est id revelatione spiritus dei factum esse, non spiritus huius mundi, qui secreta dei ne intelligit quidem. Hoc est quod Christus dicit: Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit eum. Item: Nemo novit patrem, nisi filius, et cui filius voluerit revelare: Nemo venit ad patrem, nisi per me, et cui unigenitus filius dei enarravit. Et inter Iudaeos qui legem et prophetas in manibus habebant, pauci hoc mysterium filii dei intelligebant, quia spiritum huius mundi habebant. Qui vero intelligebant, spiritu dei docente hoc intelligebant, et hi anxie desiderabant Messiam. Sic Simeon senex ille, cum salvatorem in ulnis tenebat, exultans clamat: Nunc dimittis etc.

Quae et loquimur.) Quae nobis dictante spiritu dei revelata sunt, loquimur ac praedicamus. Hoc enim officium nostrum est. Neque tamen loquimur ea erudito aut ornato sermone, quem docet humana philosophia, sed his verbis quae spiritus intus suggerit, idque simpliciter, absque fuco, absque simulatione et hypocrisi.

Spiritualia spiritualibus comparantes.) *Συγκρίνοντες*, hoc est, exponentes. Nam *σύγκρισις* etiam expositionem significat. Quod spirituale est, spiritualibus, hoc est, eis qui spiritu ducuntur, ut audiant et capiant explicamus.

Animalis homo.) Animalis hic dicitur ab anima *ψυχικός*. Idem autem valet, ac si diceret carnalis. Nam homo (quatenus dei spiritu renatus non est) non solum corpore caro est, sed et anima. Caro enim per se nihil cogitat. Et affectus carnis in anima sunt, non in carne. Totus ergo homo qui affectibus ducitur, caro est, quem hic animalem vocat, qui nequaquam percipit ea quae dei sunt, imo sunt ei stultitia. Quum enim spiritu dei careat, quae spiritualia sunt, non spiritus, sed ratione et carnis iudicio metitur.

Spiritualis omnia diiudicat.) Hoc est, omnia intelligit, et ipse a nemine intelligitur, a nullo scilicet psychico. Alius sensus esse potest, A nemine iudicatur, id est, non curat carnalium iudicium. Nam alioqui nemo est, qui non vel pessimorum iudicio sit obnoxius. Eadem sententia accipiendum est, quod ad Timotheum scribit Paulus: Nemo tuam iuventutem despiciat.

Quis cognovit mentem dei?) Conclusio est eorum quae supra dixerat. Quasi diceret: Nemo scit dei mentem, nisi is cui deus revelavit.

Qui consilium daturus sit illi.) *Ὃς συμβιβάσει αὐτὸν*, hoc est, qui eum doceat, aut qui vi consilium eius extorqueat ei; utrumque enim vox Graecanica significat.

Nos autem mentem Christi tenemus.) Id est consilium aut constitutum dei afflatu spiritus edocti sumus; vel, nos iuxta dei mentem et spiritum affecti sumus.

CAPUT III.

Et ego fratres.) Miram prudentiam Pauli considera. Primum blande eos alloquitur: mox vitium eorum eis proponit, at mansuete. Hic vero apertius, Metaphora sumpta a puerorum educatione. Quum ingressus essem, inquit, ad vos, lacte vos alui, ut infantes in Christo. Discedens vero a vobis, arbitratus sum vos educatos, iam adultos et perfectos, sed video vos etiamnum carnales esse. Quibus verbis obiter taxat eos, qui post se Corinthum docendi gratia venerant. Quasi diceret: Quis vos iterum pueros fecit? Nemo, nisi hi qui post abitum meum ad vos ingressi sunt. Ubique autem cavet Paulus, ne qui ex Iudaismo ad Christum venerant, ceremonias legis et elementa mundi fidelibus obtruderent. Nam ubi hoc fit, verbum dei et fides in Christum simul extinguuntur.

Nondum enim poteratis.) Excusat se Paulus, quem ut ineloquentem et ineruditum carpebant pseudapostoli.

Adhuc carnales estis.) Contentiones, zelus amarus, factiones, certissima signa sunt hominis adhuc carnalis.

Per quos credidistis.) Hoc est ministri sumus, per quos verbum dei ad vos allatum est. Fidei enim autor solus deus est.

Et ut cuique dominus dedit.) Hoc est, tantum quisque promovit praedicando, et fideles lucrifaciendo, quantum ei deus dedit. Cuique, refertur ad praedicantem, non ad eum cui praedicatur. His omnibus aliud nihil docet, quam ne fidem ipsis, sed soli deo acceptam ferant.

Ego plantavi.) Pulchra metaphora ab agricolis sumpta, probat, nihil debere tribui, neque ei qui plantat, neque ei qui rigat, sed ei duntaxat, qui dat incrementum. Nam hi ministri sunt, deus autem autor.

Unum sunt.) Nolo ut alter altero sit superior, nam ambo ministri sunt. Aut: Unum sunt, id est, ad unum omnes tendunt, unum spectant omnes apostoli, nempe quod Christo multos adducant.

Ut sapiens architectus fundam.) Ab architectonica ad doctrinam pulcherrime ludit Paulus, opus suum, id est, aedificium suum commendans, taxans interim succedentium apostolorum imposturam. Quod ad fundamentum (inquit) attinet, quod ego solidum posui, non dissident a me Apostoli vestri, nam aliud quod scio ponere non possunt, praeter hoc quod a me positum est, quod est Christus Iesus. Ceterum quid isti superstruant, ipsi viderint: nam si fundamento digna superaedificant, durabit opus; si vero ceremonias Iudaicas et mundi elementa, corruet quicquid superstructum est. Porro utcunque vel meum vel aliorum iudicium iam fallunt et effugiunt, manifesta tamen fiet illorum stultitia et improbitas, simul atque dies illuxerit, atque ignis inciderit. Nam,

Dies domini declarabit quum in igne revelatur.) Ὅτι ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται. Coniunctionem esse puto ὅτι, non articulum. Diem aut pro iudicio divino aut pro ultione intelligo, de quo in Esaia frequens est mentio, quandocunque scilicet dominus cum vindicta et animadversione venturus est, aut pro luce divinae cognitionis et veritatis,

ut est Ioan. 8. et 12. quae Christus, est; in hac enim luce omnia clarescent, si adhibeatur. Ignem vero pro exploratione, persequutione, ac tribulatione.

Cuiusque opus.) Opus hic pro factura et aedificio usurpat. Corinthii enim opus suum erant, quos ipse Christo vero fundamento superstruxerat, quod ex sequentibus clarum fit.

Si cuius opus manserit.) Semper ad eos, qui tum in Corintho et docebant et docebantur respicit hoc sensu, si cuius evangelium praedicantis opus, hoc est, ab eo docti, in persecutione constantes et fidi permanserint.

Damnum patietur.) Hoc est operam lusit, dum ea quae temere superstruxit, igne absumuntur; quod si in ipso igne, hoc est persequutione perstat nec cedit, saluus erit. Cum cedunt persecutioni qui ad praedicationem apostolorum crediderant, damnum facit apostolus gregis sibi commissi. Iam quod sequitur Antypophora est, tacitae obiectionis istius: Quid autem huius potest apostolus, quod auditores naufragium faciunt? Respondet ergo, nihil imputari apostolo si ipse firmus permaneat per ignem, hoc est, per tentationem, et persequutionem.

An nescitis quod templum dei estis?) Haec cum ad confortationem eorum adiiciuntur, qui solidae petrae Christo innixi erant, tum ad terrorem eorum qui fidem simulabant, et hac occasione Corinthios, templum domini a Paulo exstructum, traditionibus humanis prophanabant. Sumit autem Paulus Metaphoram a templo lapideo, quod Iudaeis celeberrimum erat.

Si quis templum dei violat.) Hoc ad illud tempus pertinet, dum adhuc templi illius carnalis cultus durabat. Si templum hoc carnale sine poena nemo violat aut prophanat, Ioannis secundo, quid futurum putatis de illo, qui templum dei spirituale prophanare non veretur?

Ne quis se ipsum fallat.) Hoc vehemens est et magnum, occultum tamen. Quasi diceret: Vos qui ceteros docetis, videte ne vobis ipsis plus aequo placentes non solum vos ipsos, sed et eos qui fidei vestrae commissi sunt seducatis.

Sapientia mundi.) Hoc dico, ne quis sibi sapientia sua stulte blandiatur, ne quis sese efferat immodice. Evacuanda est omnis humana sapientia, si in Christo sapiens esse volueris.

Qui comprehendit.) Hoc verbo vehementer terret falsos apostolos. Quasi diceret: Cavete ne iudicium domini incidatis; quantumvis abscondatis consilium vestrum a domino, latere non potestis, novit dominus cogitationes vestras vanas et frivolas, et in astutia vestra capiet vos.

Ne quis glorietur in hominibus.) Solent nonnunquam homines ventris aut gloriae gratia facere, quae etiam in speciem bona sunt. Periculo ergo carere non potest, quod vos gloriam in hominibus quaeritis, quum is dicat: Ego sum Apollo, alius ego Pauli.

Omnia vestra sunt.) Non sunt missi apostoli, ut vos eorum sitis, sed ut ipsi vestri sint, hoc est, ut ministri essent, quorum opera vos ad Christum duceremini. Vos ergo neque Pauli, neque Apollo

estis, sed Christi, quare hi recte faciunt qui Christi nomine gloriantur. Porro Christus dei est: Si ergo vos Christi, et dei estis per Christum.

CAPUT IV.

Sic nos existimet homo.) Plena est haec Epistola Antypophoris. Quum enim quis dicere posset: Quo loco tandem apostoli sunt habendi? Respondet Paulus, Ministrorum ac dispensatorum. Iam hoc in primis spectandum est in dispensatore, ut fidus sit. Quantus enim est fidelis servus ac prudens, quem constituit dominus super familiam suam? Ne cui sordescat huius muneris autoritas. Taxat autem interim eorum apostolos, ac si diceret: Scio eos qui apud vos praedicant, doctos quidem esse, at non sunt fidi; nam non ad gloriam dei, et vestram salutem praedicant, sed ventris sui gratia, ut ipsi apud vos magni fiant.

Mihi pro minimo est.) Hac antypophora his respondet, qui sic obiicere poterant: Quis nos certos reddet, an et tu fidus sis? Apostoli nostri dicunt, se non minus fidos esse quam tu sis. Nihil moror (inquit) iudicium vestrum o Corinthii, imo nullius mortalis iudicium pertimesco. Per diem enim humanum, iudicium humanum intelligit.

Neque ego me ipsum damno.) *Ανακρίνειν* et iudicare et condemnare significat.

Nihil mihi conscius sum.) His verbis Paulus se non omnino insontem et omnis peccati expertem facit (nam et alias se maximum peccatorem et ecclesiae persequutorem appellare non veretur) sed tantum a perfidia se liberum esse ostendit. Quasi diceret: Quod ad me attinet, apud me ipsum quidem damnatus non sum, cum nihil sim mihi conscius. Attamen ob id iustificatus nequaquam sum. Dominus enim est qui me iudicat, huic causam meam commendo, cuius iudicium tam exactum ac purum est, ut coram eo nemo iustificari possit.

Ne ante tempus iudicetis.) Hoc est, rem inexpertam et indiscussam nolite iudicare. Aut ante tempus, id est, antequam deus palam facit.

Donec veniat dominus.) Non ultimum duntaxat adventum domini intelligit, sed omnem diem domini, hoc est, omnem visitationem ac diem quo deus ad puniendum sceleratos advenit, simul in lucem protracturus omnem perfidiam et impietatem. Nam primum impiorum consilium est, ut caelent impietatem. At dies domini omnia revelat. Haec docent ne vel temere iudicemus minus perspecta aut dubia, vel improborum victi malitia, per impatientiam deficiamus. Longanimitate opus est ac patientia his qui Christum sequuntur. Qui enim in finem usque perdurat, hic salvus erit.

Haec in me et Apollo.) Quos ego fidos esse scio, in hos perfidiam per orationis figuram transtuli. Neque enim nos sectarum autores unquam fuimus. Alii sunt apud vos qui hoc agunt, quorum nomina prudens supprimo, quo minus offendam. Et hoc propter vos ago, ut in nobis discatis, ne quis sese supra modum efferat, ne quis hominis nomine infletur. Neque enim haec a nobis fieri videtis. Discite

ergo vitare et cavere hos, qui aliud nihil apud vos agunt, quam ut ipsi magni fiant et vos deprimant.

Ne supra quam scriptum est sentiatis.) Hoc est, ne plus quam par est, sentiatis de vobis ipsis. Usus est autem scribendi verbo Paulus pro exaltandi, aut inflandi. Id quod sequens ἐφυσιῶσθε docet, qua se ad hunc modum declarat: Ne alius adversus et supra alium inflatur. Quae enim scripta sunt, modestiae nos admonent. Disciplinam ergo et legem scriptam non servat, qui turget in contemptum aliorum.

Quis te diiudicat?) Διακρίνειν hic pro separare, hoc est eximium facere, exponi puto.

Quis te separat?) Hoc est, quis te docet ut te ab aliis separes? te supra alios extollas? aliosque post te trahas? Esto sane sis doctior, eloquentior ac sanctior ceteris, cur intumescis? cur alienis donis insolescis? Si prae aliis suo te dono dignatus est deus, nihil est quod tibi adscribas, nihil est quod glorieris; nam quod habes, a te non habes, sed a deo accepisti.

Iam saturi estis.) Ad summum iam fastigium pervenistis, ut neque praedicatore neque doctore opus vobis sit. Ironia est.

Regnatis absque nobis.) Omnia haec per ironiam dicuntur: In summa tranquillitate iam estis, ita ut neque episcopis neque doctoribus opus habeatis. Quasi diceret: Utinam sic esset, ut et nos simul vobiscum regnaremus, hoc est, tranquilli et securi essemus. At longe aliter res habet, videtis nos quotidie morti et variis periculis obiici, videtis solicitudinem et curam nostram, metum et anxietatem. Quum ergo nos nusquam cessemus, cur non videtis vobis adhuc multum deesse? cur securi stertitis? et cessatores illos vestros admiramini?

Paucos patres.) Apte eorum qui apud Corinthios docebant infidelitatem taxat.

Per evangelium ego vos genui.) Quasi diceret: Patrem vestrum me esse non immerito gloriari possem; nam per evangelium in Christo Iesu vos genui. Imitamini ergo me, id est, meam doctrinam sectamini, quae tamen non mea est, sed Christi. Occulte autem pseudapostolorum figmenta reiicit. Quasi diceret: Fugite illos, cavete ab eorum doctrina, nam vana est.

Hac de causa misi.) Ut discatis scilicet quid sit fides, quid perfidia, quid sit esse patrem, quid doctorem vanum, misi ad vos Timotheum.

Vias meas.) Hoc est, modum quem ego in docendo servo, fidem meam, studium meum in doctrina Christi.

Qui est filius meus.) Filium Timotheum ex caritate vocat, et quod eum per evangelium Christo genuisset; et quod in omnibus Paulo esset obsequens, ut filius germanus patri, exprimens patris fidem ac diligentiam in evangelii praedicatione. Quae fides potissimum in ministro verbi requiritur, ut populum ac familiam dei recte regat, et omnem impietatem et iniustitiam ex eis eliminet, nisi iram domini, quam Lucae 12. perfidis minatur, super se provocari malit.

Inflati sunt quidam.) Non minatur hic Paulus, ut quidam ei opprobrant potentiam et imperiosam autoritatem, sed pseudapostolos

eorum taxat, quibus non satis doctus videbatur. Ait ergo se coram ecclesia cum illis vere et strenue acturum.

Cognoscam eorum virtutem.) Nihil moror eorum loquacitatem et curiositatem, videbo qua fide, qua diligentia et vigilantia doceant, idque in moribus vestris haud obscure perspiciam, quantum vitae innocentia et puritate promoveritis, quantum vitiis decesserit. Id si videro, cognoscam plane summa cum fide eos docuisse. At metuo ne ventris sui gratia vobis blandiantur, et suavitate sermonis vos demulceant, neque scelera vestra arguant nolentes vos offendere. Quid sit *δύναμις*, supra dixi, Germanice, Ernſt, *λόγος*, Geſchwätz, nam in malam partem capitur hoc loci.

Regnum dei.) Praedicatio evangelii non nititur eloquentiae aut loquacitati; nam Christus hanc non eloquentibus, doctis, et sapientibus huius mundi commisit, ut plane videamus, eam duntaxat sitam esse in fide et fervore quodam ac potentia. Quomodo et de Christo refert Matthaeus, eum cum potestate docere, hoc est, cum magna virtute, vivacitate ac *ἐνεργεία*.

An in virga.) Loquitur ut pater fidelis, qui filiis suis irascitur, et ferulam minatur.

CAPUT V.

Hoc capite durius eos increpat apostolus, incipiens nominatim certa quaedam vitia attingere, ut ostendat apostolos eorum non in virtute, sed in sermone solum praedicasse, quum in eorum vita adeo nihil sit mutatum, ut ea etiam vitia adhuc in eis haereant, quae Gentes vix committant.

Omnino auditur.) Omnem excusationem eis adimit. Quasi diceret: Nihil est quod excusetis aut tergiversemini, res manifestior est quam ut aut dissimulari aut negari possit. *Πορνεία*, quod Graecis omnem illicitam Venerem significat, hic pro incestu ponitur. Etenim in Levitico praecepit dominus, ne quis cum uxore patris sui commisceretur.

Inflati estis.) Quis non videt quantum adhuc a studio verae pietatis absitis? quum tantum scelus ex vobis non eiicitis; ubi est fides et zelus doctorum vestrorum? An ne videtis verum esse quod supra dixi: Inflatos eos esse, et turgidos quum dicacitati tantum studeant non vitae innocentiae? Quid? An non hoc facinore satis manifestum fit ventris gratia tantum eos docere, non ut vos meliores reddant? Si veri essent patres, veri pastores, curarent ut e medio tolleretur et facinus et qui facinus patravit, nec parcerent cuiquam. Videmus ergo hoc loco, quod qui vitia palam adolescere permittunt, pastorum quidem nomine gloriantur, sed impostorum nomenclatura digni sunt, qui in hoc sunt, ut et insignes sint, et ventri ex parrhesia nihil decedat.

Absens corpore.) Quandoquidem video tam segnes et socordes esse eos, quorum maxime intererat, et qui apud vos degunt, decrevi ego absens quidem corpore, spiritu vero praesens, ut is qui hoc patravit, tradatur satanae ad interitum carnis, hoc est, excludatur e coetu fidelium, affligaturque corpore, id est, contemnatur ad tempus. Nam

hac electione exterior homo confunditur. Et hoc iudicium meum toti ecclesiae, quum convenerit, proponite, et omnem culpam in me reiicite.

Una cum potestate domini nostri.) Ego vero nihil ex affectuum impotentia ago, sed ex potentia et statuto Christi. At dices: Ubi iuxta praeceptum Christi bis aut ter monitus fuit? Respondeo: Ubi facinus tam est apertum, ut nulla tergiversatione possit caelari, admonitione nihil opus est, sed statim, si non resipiscit, excludendus est, quod hic exemplo Pauli satis clarum fit. Nota hic Paulum per carnis interitum intelligere, quod Christus Matth. 18. per ligare et solvere in terris. Quum eum, qui impudentius peccet, abiicere iussisset, non aliter quam impium et publicanum, mox subdit: Quaecunque alligaveritis etc. Quae quidem verba de clavibus non debent intelligi, ut ea quae Ioan. 20. in eandem formam dicuntur. Nam hic de iis tantum agitur, qui impudentius peccant, abiectique, ubi vitam emendaverint, recipiuntur. Ioannis vero 20. claves apostolis dantur, quae omnes omnium hominum conscientias (modo credant) liberant ac solantur, non tantum eas, quae perfricta fronte palam ausae sunt peccare. Probat ergo Christus Matth. 18. impudentium abiectionem, absteutionem vel excommunicationem iuste posse inter Christianos fieri; idque argumento a maiore ad minus, nempe vi ac tenore legis clavium, quarum sit incredulos vitari posse, nihil ergo minus eos qui se ore Christianos esse confitentur, et factis Christum negant. Similiter quum clavium sit, impium ab impietate absolvere, et in fratrum numerum admittere, nihil minus manifeste delinquentem, si mores mutet, recipi posse. Hinc Paulus carnem satanae tradit, per carnem exteriorem hominem intelligens (quemadmodum ad Hebraeos 9. Iustitias carnis exteriorem iustitiam vocat) qui vitatur et confunditur, quum interim interior cum deo in gratiam per cordis conversionem rediisse potest, et solutus esse coram deo, qui ab ecclesia ligatus est. De quo nodo alias, nam hic sequitur: Ut spiritus salvus fiat, non damnatur ergo anima.

Vestra gloriatio.) Quod in hominibus gloriam quaeritis, interim in tam aperte flagitiosos nihil animadvertentes, bonum non est.

An nescitis quod modicum fermenti.) Ne cogitetis unius hominis flagitium, ad totam ecclesiam nihil pertinere. Membra estis unius corporis. Cavendum ergo ne sic vitiis et sceleribus fenestram aperiatis, ut totum corpus unius contagio inficiatur. An non videtis paululum fermenti totam conspersionem fermentare ac aeidam reddere? Similitudines capit Paulus fere a visibilibus rebus, quae tamen in usu et praecepto erant Iudaeis, ut et veteris testamenti figuras aperiat, et utriusque populi Iudaeorum scilicet et Gentium, eandem ecclesiam esse ostendat, ne aut Iudaei superciliosius insolescant, aut Gentes, quod Iudaeorum ceremoniis carent, sese Iudaeis inferiores arbitrentur. Paria ergo facit apostolus, quum illis nostra, nobis vero Iudaeorum sacramenta communia facit, ut ad Colossenses secundo, et infra decimo capite.

Expurgate itaque vetus fermentum.) Quum de fermento dicere coepisset, aperit quid per fermentum, quid per conspersionem et azymos intelligat, ansam adhortandi nimirum capiens ab eo praecepto, quod

olim Iudaico populo toties inculcarat deus, ne fermentum per septem dies ederent. Et non solum non ederent, sed prorsus e domibus suis eliminarent. An ne putatis, inquit, temere haec Iudaeis fuisse praecepta? Num deus offenditur, si quis fermentatos, aut gaudet si quis infermentatos edat panes? In figura ergo omnia illis contingebant. Duo ergo in his nobis significata sunt. Primum, ut his externis ad gratiarum actionem pro divinis beneficiis exstimularemur. Alterum, ut nos puri, synceri et incontaminati simus. Si enim deus voluit ut populus ille carnalis omni vitio careret, quanto magis decet nos, qui per sanguinem Iesu liberati et loti sumus, conspersionem esse novam et mundissimam? Illis agnus mactabatur, nobis Christus verus agnus occiditur. Non autem perinde curat Paulus, ut fermentum eiiciant, quantum ut ipsi sint novus et syncerus panis, ut nihil admisceant sordium pristinarum, quos Christus semel a peccatis abluerit. Neque enim temere Christum agnum immaculatum esse mortuum, sed pro nobis redimendis id esse factum. Nihil igitur superesse, quam ut gravi servitute semel liberati, posthac sic festum celebremus, ne veteris vitae fermentum, hoc est, malitia, versutia, aut impuritas haereat aut rursus irrepat, sed ut evacuemus quotidie quidquid vitiorum in nobis residet, ut sint mores incorrupti, vita innoxia, syncera, et simplex, conversatio honesta et minime fucata.

Scripsi vobis.) Praeter has duas quae exstant, alias quoque epistolas Corinthiis Paulum scripsisse, hic locus declarat, quibus de adulteris et scortatoribus ceterisque facinorosis vitandis, eos nimirum admonet. Neque tamen hunc locum cum superiori de solenni excommunicatione eundem esse puto, sed Paulum hic loqui de quotidiana consuetudine, ne scilicet cum sceleratis conversemur aut cibum capiamus, ut ab eorum familiaritate abstineamus, quorum consuetudine vita nostra facile infici possit.

At non cum scortatoribus huius mundi.) Ut quidam scripta mea interpretantur, alioqui e mundo exire compellemini, quum potior mundi pars adhuc sit infidelis. At quum adulteros et scortatores vitandos dico, non intelligo Gentes, et a fide Christi alienos, sed eos qui nomine Christi censentur.

Ne cibum quidem capiatis.) Haec nota cogit nos, ut intelligamus haec Pauli verba non de abstentione publica, quam paulo ante traditionem satanae vocabat, sed de privata cautione. Quasi diceret: Si huiusmodi mali exclusi ab ecclesia non sunt, tu ab eis cave, noli conversari aut cibum cum eis capere.

Tollite malum ex vobis ipsis.) Hoc ex lege citat, per malum autem et personam et rem intellige. Nota. Paulus magna quaedam et infanda scelera nominat, ob quae vitandus est frater, nam alioqui in multis offendimus omnes. Non ergo temere, aut ob quodvis vitium eiiciendus aut vitandus est frater, sed ob ea tantum quae hic recenset Paulus, aut si qua sunt his similia, aut etiam graviora. De abstentione quam excommunicationem vocamus, hoc habe. Quandoquidem omnis Christi tum doctrina, tum vita hoc docet, ut populus eius innocens, purus, et sanctus sit, a ceteris populis non solum nomine, sed et vitae

innocentia et puritate segregatus, debent hi qui infandis flagitiis sunt contaminati, e coetu fidelium excludi, ne ceteri greges eius contagio aut inficiantur aut pereant. Quod si ecclesia tam negligens est, ut publice peccantem nec resipiscentem non excludat, deinde si cessat etiam magistratus sontes gladio ferire, privatus quisque ab improborum et impudentium consuetudine sibi temperet, ne aut alienis flagitiis favere videatur, aut alieno crimine commaculetur, maxime si resipiscentiae spes nulla arrideat. Sive ergo vitandus est frater sive adeundus, caritatem regulam adhibe, et nunquam errabis.

CAPUT VI.

Sustinet aliquis.) Apparet Corinthios plus curiositatis quam pietatis ex evangelio hausisse. Unde factum est, ut in moribus eorum parum admodum esset mutatum. Erant enim quidam inter eos, aut tam iniqui ut aliis sua raperent, iniuriaque fratres adficerent, aut certe tam impotentes ut levem iniuriam aequo animo ferre haudquaquam possent. Duo ergo ostendit apostolus in quibus peccent. Alterum, quod inter eos adhuc sunt, qui vim et iniuriam inferant proximis. Alterum, quod is cui iniuria illata est ferre non sustinet, idque in rebus *βιώτικοις*, hoc est, mediocribus, quae ad quotidianum victum pertinent. Reprehendit ergo quod alter alterum coram iudice pro hisce rebus conveniat, quae ad vitae corporalis usum et necessitatem pertinent, et quod magis turpe est, coram impio iudice.

Sub iniustis.) Per iniustos, infideles et ab ecclesiae consortio alienos intelligit. Quicquid enim non est ex fide, peccatum est. Et summa iniustitia est perfidia. Per sanctos vero fideles et pios, ut supra primo capite.

An nescitis quod sancti.) An obliti estis dignitatis vestrae, quod qui olim magna cum gloria infideles estis iudicaturi, non sine dedecore iam ad eos provocatis? Quod si deo tam cari et preciosi estis, ut iudicium impiorum vobis commiserit, cur vos ipsos sic turpiter abiicitis, ut pro rebus levissimis iudicium eorum exspectetis, qui a vobis sunt iudicandi? Quomodo qui maximis rebus estis praefecti, ad minima idonei non essetis? Iudicium impiorum electis esse datum, Christus testatur Matthaei 19. 12. Sed quomodo soli Christo omne iudicium a patre datum est, si cum eo apostoli et fideles iudicant? Haec ergo per Ethologiam dicuntur. Nam in hoc iudicio non opus erit multa disceptatione, unius cuiusque conscientia omnibus tenebris exuta, contra se pronunciabit. Quum enim apostoli filii essent Iudaeorum, Christum, quem Iudaei (quum in eo viderent non solum vitae sanctitatem, et summam beneficentiam experirentur, sed etiam ex operibus intelligerent divinam virtutem) blasphemabant ac reiiciebant, salvatorem mundi sunt amplexi; iam Iudaeorum perfidia ex apostolorum fide iudicari dicitur, quod scilicet ipsis credentibus Iudaei in perfidia permanserunt. Quod ergo sancti mundum iudicabunt, hunc habet sensum, Sanctorum fides ac vita, impiorum perfidiam ac conscleratam vitam iudicabit, et quasi in eos sententiam feret; ita ut nulla excusatio, nullum effugium impiis supersit, quum neque promissionibus, neque minis prophetarum

unquam auscultaverint, imo Christum ipsum, veram salutem, aspernati sint, quem tamen pii salvatorem esse mundi sunt confessi, et per fidem in eum vitam aeternam consequuti.

Minimis iudiciis.) Minima iudicia per metalepsim pro minimis causis iudicialibus posuit.

Angelos.) Per angelos hic daemones puto intelligi, malam duntaxat partem, per synekdochen. Sunt enim et boni angeli. Sed quomodo daemones ab hominibus iudicabuntur? ut supra diximus, collatione. Angelus spiritus est purus, homo ex spiritu et carne compactus. Quum ergo daemon viderit hominem mole carnis circundatum, peccatis et corruptioni obnoxium, in fide perstitisse, quomodo se iusto dei iudicio condemnatum non fatebitur? qui quum spiritus sit nihilque habeat quod eum a deo abstrahat, tamen defecerit, hominemque merito beatum, qui tametsi plures deficiendi causas habeat, his devictis deo constanter adhaeserit; contra, dum impium qui carnem corruptibilem gestat, vidit nullam posse consequi misericordiam (cui tamen minus erat neganda misericordia, cuique ob praedictas causas magis erat parcendum) quomodo ipse unquam misericordiam divinam sperare audebit?

Qui contempti sunt in ecclesia, eos constituite.) Quod si omnino malorum tam impatientes estis (Respondet enim his, qui obiicere potuerunt: Cur ergo mea mihi auferri, aut vim fieri patiar?) ut iniuriam neque dissimulare neque ferre possitis, et omnino pro hisce minimis iudicio contendere statutum est, cur non ex vobis ipsis infimos et contemptissimos (si desunt sapientes) arbitros et iudices eligitis, qui inter vos litem dirimant? Neque hoc dico, ut iubeam id fieri, sed ad pudorem vestrum. Vis omnis est in καθίζετε. Nam quum Hebraei coniunctivis aliisque modis careant, imperativo pro subiunctivo utuntur frequentius.

Itaque iam omnino inter vos delictum est.) Ἥττημα, Delictum, non inelegantem vocem fecerunt Latini, etiamsi nobis exoleta sit. Ponitur autem pro inferiorem et superatum esse. Ut sit sensus: Quod iniuriam infertis fratribus, quod vim illatam haud aequo animo fertis, quod neuter alteri cedit, quod alter alterum in ius trahit, nonne haec satis produnt, quantum adhuc vobis caritatis Christianae desit? Nonne maius est cupiditate confossum cecidisse, quam lite adversarii persequentis? Christianorum est haec vilia contemnere, tollenti pallium et tunicam relinquere, illatam iniuriam non solum fortiter, sed summo cum gaudio ferre. Tantum abest ut pro hisce rebus tam turpiter digladientur. His omnibus Paulus non hoc agit, ut magistratus aut iudices tollat, sed docet, ne Christiani pro hisce rebus contendant, quae contemnere oportuit, ne nomen dei coram impiis blasphemetur. Satius enim esse iacturam facere rerum, quam caritatis. Tantum enim abest, ut Christianum vetet esse iudicem, ut eos potius redarguat, qui hoc evincere ex hoc loco contendunt. Vos, inquit, iudices eritis non solum impiorum, sed et daemonum, cur ergo non aeque earum rerum quae ad vitae usum pertinent? At in hoc peccatis, quod aut iniuriam infertis, aut illatam non fertis. Quod si ferenda aut propter exemplum

aut indignitatem patientis non est, iam arbitrium pii hominis aut plurium, si res exigat, subeundum erit, non impiorum.

An nescitis.) Vicem sententiae habent ista. Quasi dicat: Filii estis dei, ad coelestem haereditatem vocati, cur ergo iniusti estis? Haeredibus regni coelestis nihil convenit cum iniustitia, iustis et deum timentibus, coelestia bona parata sunt. Haec igitur dico, ne erretis, existimando quod ex rapto vivere vobis, aut ex ulla iniuria liceat. Quicunque se scelere ullo temere commaculant, ostendunt se filios dei non esse, neque unquam erunt, etiamsi maxime videri velint. Tam abest ut evangelium nostrum huc tendat.

Abluti estis.) A pristinis scilicet vitiis, cavete ergo ne rursus in tam foeda recidatis.

Per nomen Iesu Christi.) Id est per virtutem et potentiam.

Omnia mihi licent.) Quod in argumento ostendimus, quam longe quidam a synceritate vitae Christianae absint, haec epistola indicat, simul quorundam qui plus aequo sapiebant, argutiis, et curiosis quaestionibus respondens. Primo igitur capite dissidiorum voces eis obprobrat, quod alius Apollo, alius Cephae, alius Pauli sese iactitaret; quae postea in tertio et quarto latius digerit, ministros esse apostolos non autores ostendens, nihil ergo in eis esse gloriandum. In quinto, quod sub finem quarti coeperat prosequitur, publicum scortatorem e coetu fidelium eiici, communi sententia pronunciat. Deinde ab omnium consuetudine abstinere iubet, qui Christiani quum sint manifestis flagitiis non abstineant. In praesenti capite eos redarguit, qui Christianum gerere magistratum posse negabant, multifariam eos peccare ostendens, et quod iniuriam fratribus inferrent, et quod illatam non patienter ferrent, sed pro vilibus rebus iudices adirent Ethnicos. Quandoquidem autem et inter eos erant, qui quum ipsi solius ventris gratia praedicarent, hoc peccatum suum excusantes, Paulum quoque huius insimulant. Alii vero omnino illicitum esse affirmabant quicquam pro munere praedicandi accipere. Respondet Paulus: Omnia sibi licere, at non expedire omnia. Quae quidem generalis responsio non solum his de quibus iam iam dixi satisfacit, sed etiam his qui scientia inflati, idolothyta inter adiaphora ponebant, putantes sibi licere omnia edere absque delectu; deinde etiam his qui matrimonio infensi, aut ab uxoribus ducendis abstinebant, aut matrimonium contractum praetextu castitatis dirimebant, de quo fusius in sequentibus. Primo igitur dicit: Omnia mihi licent. Quasi diceret: Quod ego a vobis quibus Evangelium praedicavi nihil accepi, non ideo factum est, quod mihi non liceret recipere quidquam, sed propter vos ego abstinui. Neque enim ignoro quam curiosi sint quidam inter vos, qui, si accepissem a vobis, mox ansam arripuissent calumniandi. Licuit ergo accipere, sed non expediit. Si quaererem quae mea sunt, non hoc cogitassent, sed quaero vestram utilitatem, ideo iure meo non sum usus. Deinde, sub nullius potestatem patiar me redigi, quod factum esset, si quiddam a vobis accepissem. Nam coactus fuissem vos observare, simulare, dissimulare, turpiter vobis adulari, turpiter favorem vestrum eblandiri, quemadmodum faciunt vestri apostoli, qui, ne eos a quibus accipiunt, offendant, vitia

non audent reprehendere. Hoc ex eo manifestum fit, quod turpem illum incestum non arguunt. Ab hoc loco autem usque ad caput septimum *παραίσχεσι* est ad sequentia, in quibus omnia clarius tractat.

Escae venter.) Miseri estis vos apostoli, si ventris duntaxat gratia praedicatis. Miseri rursus vos populi, si praedicatoribus victum invidetis, quum sit venter escae, et esca ventri destinata; ita tamen ut et esca et venter aliquando sint peritura. Utamini ergo hisce rebus tanquam non utentes; nec patiamini, ut venter vos a veritate dicenda cohibeat; pascet vos deus, si in ministerio commisso fideles eritis.

Corpus non stupro.) *Μετάνοια*, id est, correctio est. Cum enim iam dixisset se non magnopere laborare, si quis victum pro evangelio praedicato acciperet, neque rursus vehementer extollere parsimoniam suam, quod a Corinthiis non recepisset, non enim digladiandum esse adeo acriter pro rebus frivolis quae in diem perirent; iam isti qui scortationi erant dediti, occasionem tuendi facinoris sui inde sumebant, nihil curandum esse, si quis scortaretur, causantes tum perinde esse temporarium atque victus, de quo non acriter digladiaretur Paulus. Respondet ergo: Etsi non adeo importunandum sit propter victum, non tamen sequi, ut scortatio sit ferenda. Victus quidem destinatus sit humano corpori, sed humanum corpus non sit scortationi destinatum, sed dei cultui. Is necessitatem norit matrimonio boni consulere.

Deus et dominum suscitavit.) Idem est sensus cum eo qui est in Romanis sexto capite: Corpora vestra dei sunt, mortua peccato, ad vitae novitatem resuscitata per Christum; non ergo corpus spurcae libidini dicate. Vehemens autem est consolatio his, qui affectibus adobruti, foedae libidinis sunt mancipia, ut Christum respiciant, hoc est, ut fidant, quemadmodum deus Christum suscitavit a mortuis, ita et eos vitae puritati restituat.

Num igitur tollens?) Per occupationem eos antevertit, qui eum, quoniam sequenti capite matrimonio patrocinatur, scortationi favere, virginitatem et puritatem detestari calumniabantur. Quasi diceret: Tantum abest, ut scortatio aut vitae impuritas mihi placeat, ut omnino detester et abominer. Nam quomodo tollerem membra Christi, et facerem ea membra scorti?

An nescitis quod qui adglutinatur scorto.) Mens et cor scortatorum alligatum est scortis, imo unum corpus cum meretrice efficitur. Et verbum dei, nempe, quod maritus cum uxore unum corpus fiat, scortator contemnit, dum a matrimonio abhorret. At interim quum non vult unum esse corpus cum uxore, per scortationem unum fit corpus cum scorto, et adglutinatur meretrici: num hoc non turpe est?

Fugite scortationem, omne enim peccatum.) Argumentum est ab utili, ut praecedens ab honesto. Nisi per anagogam placeat intelligere, quod in corpus suum peccat tollendo se Christo, et tradendo meretrici.

An nescitis quod corpora vestra.) Vehemens est exhortatio ad fidem, quae hoc unum spectat, ut Christo placeat. Quasi dicat: Si fideles estis, deo inspirante fideles estis. Deus ergo in vobis habitat.

Templa ergo estis dei, sanctificata per spiritum eius. Non ergo estis vestri iuris, empti magno pretio. Quomodo ergo spurcitiae aut libidini vos dicatis invito domino? Idem in epistola ad Romanos: Ne ergo peccatum regnet in vestro mortali corpore. Voti igitur quum sitis Christi, nolite cum iniuria et contumelia heri vestri polluere nec corpora nec animas, sed puri et sancti sitis, ut in vobis glorificetur Christus. Corpora vestra, id est, vos. Schema est Hebraicum, ut 1. Reg. 21. Vasa puerorum sancta, id est pueri. Qui ex Gentibus ad fidem Christi venerant, putabant sibi licere ut scortarentur. Propter eos igitur apparet haec a Paulo esse dicta. Nam ob hanc causam apostoli coacti sunt statuere, ut a scortatione caverent.

CAPUT VII.

Erant apud Corinthios (ut ex veteri argumento Graecanico videre licet) quidam, qui castimoniam simulantes a matrimonio abhorrebant, in scortationem turpiter lapsi. Alii praetextu castitatis matrimonia contracta solvebant. Hos, ut supra coeperat, Paulus hoc capite acriter reprehendit. Huiusmodi autem errores tum subolescunt, quum contempta dei ordinatione, nostra consilia frivola et manca sequimur. Admonitus igitur per literas Paulus respondet.

Bonum est homini.) *Καλὸν*, Bonum, pro commodo hic accipitur et quieto.

Propter fornicationem.) *Πορνείαν* autem hic non tam foede accipit, sed pro vi carnis ingenita. Quasi dicat: Commodum quidem esset mulierem non tangere; quandoquidem autem ad carnis affectus tam proclives sumus, tutius est, ut quisque suam, quaeque suum habeat. Lex ergo est, et dei constitutio, ut quisque suam habeat, et solam habeat, nam dixit deus: Erunt duo in carnem unam. Quod si aliquando legi derogatum est, ut unus plures habuerit, abrogata tamen lex non est. Neque enim paucorum exempla communem legem faciunt, neque omnibus licet, quod paucis indultum est.

Uxori vir debitum reddat.) Honesto vocabulo congressum maritalem circumloquitur, quod ex sequentibus clarum fit, quum dicit: Ne fraudetis invicem, tegit enim omnia honestis vocabulis.

Rursum in unum conveniatis.) Quandoquidem, quod scio, ieiunio et abstinentiae vacare iugiter non potestis, et carnis affectus, in quos homo suapte natura propensus est, violenti sunt, volo, ne nimium diu contineatis, sed statim, completo tempore, quod cum utriusque consensu constitutum erat, rursus in pristinam consuetudinem redeatis, ne forte incidatis in scortationem. Neque praeceptum do, sed consilium, quod mihi satanae astus satis cogniti sunt, qui ubique insidias vobis struens, facile hac occasione in deteriora praecipitaret.

Nam velim omnes homines esse ut ego sum.) Officium apostoli exigebat, ut aliquando longe ab uxore dissitus, rarissime conveniret, id non omnibus datum esse, cognoscebat apostolus. Vult ergo dicere: Utinam omnes qui castitatis sunt avidi, sibi temperare possent, quemadmodum ego. Nam hoc mihi dei singulari dono contigit, ut tot periculis, laboribus et curis exagitatus, aestus carnis non tantopere sentiam,

verum scio quam paucis hoc datum sit, scio quam prona sit caro, scio quam paucis expediat, ut lege dei praeterita suis consiliis haereant. Dico ergo quod iuxta donorum varietatem quisque suas vires metiatur, ne quum id sequitur, quod negatum est, id quod concessum est, graviore iactura amittat. Nam non debemus putare quod Pauli votum huc tendat, ut mundus esse desinat, quod tamen factum oportuit, si nemo uxorem habuisset, quod stulti hoc ex loco evincere contendunt.

Dico autem inconiugatis.) De matrimonio cum praecepisset, de innuptis iam subiungit. Per innuptos autem generaliter omnes intelligit qui in matrimonio non sunt.

Satius est matrimonium contrahere quam uri.) Hic non est *καλὸν* sed *κρεῖσσον*, melius, praestantius. Sensus est: Si castimoniam cum ustione et ardore animi, matrimonio compares, multo praestantius est matrimonium.

DE PARI CONIUGIO.

Dico non ego, sed dominus.) Corinthii nimirum voluerunt, aut Iudaeorum lege uxoribus dare libellum repudii, aut more Gentium repudiare uxores. Praescribit ergo eis Paulus quid hac in re praeceperit dominus Matthaei 19. Et tametsi Pauli verba a Christi verbis nonnihil varient (nam Paulus exceptionem non apponit) debent tamen eius verba non aliter intelligi quam Christi, quum ipse sese ad Christum referat.

DE IMPARI CONNUBIO.

Reliquis autem ego dico, non dominus.) Dominum loquentem facit apostolus, quum ea praecipit, quae verbo et lege dei sunt expressa. Se vero loqui dicit, quum ea, quae tametsi a domino expresse non sunt praecepta, fide tamen dictante, et caritate suggerente praescribit. Sic cum tremore et reverentia omnia agit Paulus, ut etiam ea quae spiritu suggerente et bona fide consulit, quoniam a deo praescripta non sunt, sua dicit esse, non dei, ne sua quantumvis bona pro divinis venditet. Non enim debent quae divina sunt humanis permisceri et vitiari, nec nostra pro divinis, hominibus obtrudi.

Sanctificatus enim est maritus incredulus per uxorem.) Duplex potest esse sensus. Prior, fieri potest ut consuetudine quotidiana maritus infidelis, per mulierem fidelem illectus ad fidem convertatur, et hac spe mulier a viro nequaquam discedet. Posterior, sanctificatus est, id est, in familiam et populum dei censetur infidelis, dum alter coniugum fidem amplectitur. Hinc fit ut etiam liberi sancti sint, id est, in populum dei censi, potiorem enim partem proles sequitur. Quod igitur ad interiorem fidem attinet, in veteri et novo testamento paria sunt omnia; quod vero ad externa, non item. Nam in novo mulier viro aequatur, quod in veteri non fiebat, ut donum gratiae in Christo ubique abundaret.

Vestri pueri sancti.) Si alter ab altero separaretur, pueri qui infidelibus darentur, immundi, id est, extra ecclesiam dei essent (nam sanctum Paulus fere pro fideli accipit.) Iam vero fideli cum infideli permanente, pueri intra ecclesiam dei recensentur.

In pace vocavit nos deus.) Cónsilium quod dedi super hac re, huc tendit, ut in pace vivatis; nam huc mihi ad pacem et concordiam facere videtur, ut uxor fidelis, ubi spes est mutandi mariti infidelis, non discedat. Rursus si spes nulla est, impio ut cohaereat, non cogo, sed permitto eam uti sua libertate, maxime si Christum, cuius fidem uxor amplexa est, incredulus maritus blasphemet, et eam ob Christum assiduis iurgiis et convitiis exasperet ac contemnat.

Maneat unusquisque in ea vocatione.) Si Gentilis venit, non opus est ut circumcidatur; si Iudaeus, non accersat praeputium. Servum suae conditionis et sortis non poeniteat; nam nihil minus gratus est deo, libertus enim dei est. Tametsi enim corpore hero suo serviat, mente tamen et conscientia liber existit. Haec a Paulo ad consolationem dicuntur, nec patrocinantur his, qui sectarum et factionum falsam religionem tuentur. Porro qui liber est vocatus, hac parte nihil praecellit, nam et caro eius iam domita et Christo mortua esse debet, ut Christo vivat non sibi.

Circumcisio nihil est.) Ubique contra eos pugnat, qui Gentes a synceritate et libertate Christiana ad Iudaismum pelliciebant, in circumcisione omnia exteriora reiiciens. Nam circumcisio omnium ceremoniarum Iudaicarum caput est. Et qui circumcisionem accipit, debitorem totius legis se constituit.

Sed mandatorum dei observatio.) Si ex fide scilicet et pietate servantur. Nam et hypocritae etiam bona opera faciunt, si speciem spectes. At vere pii, qui spiritum filii hauserunt in pectora sua, ex caritate et obedientia patris in mortem usque obediunt, et se ipsos totos in usum proximorum exponunt. Nam et hoc fecit Christus; qui ergo spiritum Christi hauserunt, idem facient. Hinc discimus, salutem et iustitiam non esse ex mandatorum observatione, sed ex electione. Quos enim praesciverat, eosdem et praefinivit, ut essent conformes imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Porro quos praefiniverat, eosdem et vocavit; et quos vocavit, hos et iustificavit, hos et spiritu adoptionis donavit, per quem clamant Abba pater. Qui vero per spiritum Christi, filii dei sunt facti, hi iusti sunt, et mandata dei observant, idque iuxta mentem et voluntatem dei. Nam et pharisaeus gloriabatur se mandata dei observasse, nec tamen iustus e templo descendit. Et adolescenti qui se à iuventute praecepta servasse iactabat, testante Christo, adhuc multum ad veram iustitiam defuit. Idem ergo est quum Paulus in Romanis, fidei, et quum hic observationi mandatorum dei, iustificationem tribuit, tametsi proprie electionis est. Nam utitur Paulus his quae nobis sunt notissima. Dum enim quisque suam conscientiam interrogat ac scrutatur, atque ea si, iuxta Petri verbum, recte respondet, hoc est, si indubitata fide et certa persuasione recte sentit de deo, iam certissimum signum habet aeternae salutis. Fidem enim, id est, certam persuasionem, qui habet, destinatus est; qui destinatus est, electus est. Quemadmodum vero fides te tibi notum facit, filius dei sis nec ne; ita et mandatorum dei observatio, te notum facit proximo. Quae quidem mandatorum dei observatio fidei fructus est. Electum ergo a deo esse

aliquem, aut filium dei, solus deus novit. Nobis vero tandem ex fide et mandatorum dei observatione innotescit; fieri enim non potest, ut is qui deo fidat electus non sit. Et impossibile est ut fides in electis non observet mandata. Quod Christus expressit Matth. 7. quum dicit: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Neque enim fieri potest ut bona arbor malos fructus producat, nec mala bonos. Et clarius Marci ultimo: Qui crediderit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. Quae verba sic sunt accipienda: Qui crediderit praedicato evangelio, hunc scitote a patre ad aeternam salutem electum, destinatum, et vocatum esse; contra, qui non crediderit, dummodo ad eam maturitatem pervenerit, ut doctrinam vestram possit capere, hunc scitote repudiatum esse. Soli ergo hi qui verbum dei audierunt, intellexerunt, ac deinde vel crediderunt, vel in perfidia permanserunt, nostro iudicio sunt subiecti. Porro fides eorum aut perfidia, nobis ex operibus eorum innotescit. Qui ergo mandata dei servat, et bona opera facit, hunc (etiamsi non ex fide faciat) intra ecclesiam fidelium quae nobis constat, censere debemus. Qui vero mala opera facit, hunc extra ecclesiam esse, pronunciare possumus. Nos enim de externis tantum iudicamus, solus deus corda novit.

De virginibus.) Hoc est, de virginitate, persona pro re accepta *κατ' ἀλλοίωσιν.*

Misericordiam consequutus.) Hoc est, quantum spiritus dei, qui mihi ex misericordia datus est, mihi suggerit, et is me sic elegit ut sim fidelis. Dabo ergo ex fide consilium, et ex spiritu dei; tametsi de hac re expressum dei mandatum nullum sit.

Propter praesentem necessitatem.) Hoc est, si incommoda ac tribulationes huius vitae spectetis, quibus nunc urgemur et affligimur propter evangelii fidem, cedo undique commodam et tranquillam rem esse si quis innuptus permaneat, non enim parum impedit uxor aut liberi, ut cunctatius obeas apostoli aut evangelistae munus, id quod ego probe experior. Ut praesens necessitas etiam ad Paulum referri possit, et a Paulo transferri ad omnes, hoc sensu: Ego tot malis didici oportunam rem esse, si quis non sit alligatus uxori, ut permittam et aliis, qui in hac sententia sunt, ut castimoniam servare cupiant, propter imminentes adversitates, commodum esse si innuptus sis.

Si liber es, noli quaerere uxorem.) Sensus est, si liber es, potes uxorem ducere aut non ducere, liber eris, nec cogi potes. Nam sequitur si uxorem duxeris, non peccasti.

Attamen afflictionem in carne.) Curis et sollicitudinibus obnoxii erunt. Nam in dolore uterum ferre, eniti, parere, educare liberos, et huiusmodi, quis haec non inter afflictiones numerat?

Ego vero vobis parco.) Ne quis putet me coniugium detestari, aut ab eo hominum mentes avocare velle, non recensebo omnes coniugalis vitae molestias.

Tempus contractum.) Ab uxore ducenda neminem absterreo, ut ducat neminem cogo; virginitatem non improbo nec contemno, verum hoc moneo, ut inter utrunque sic incedatis, ut neque ad sinistram, neque ad dexteram declinetis, ne aut adversa vos frangant, aut prospera

insolentes reddant. Breve est quod hic vivimus, nemo ergo sic hisce rebus inhiet, ut coelestia interim amittat.

Praeterit enim figura huius mundi.) Enallage est: aut mundus hic mutabilis est et inconstans. Nolite ergo rebus fluxis et momentaneis haerere; quaerite aeterna.

Velim vos absque sollicitudine esse.) Non haec loquor ut vobis aut coniugio interdicam, aut ad virginitatem compellam, sed hoc volo, quodcunque tandem genus vitae amplectimini, cavete ne sic caducis rebus haereatis, ut interim mens a deo avellatur. Hoc idem monet Christus Lucae 21. Cavete a curis huius vitae, et Matth. 6. Nolite solliciti esse.

Qui duxit uxorem, sollicitus est.) Haec Paulus non simpliciter et absolute dicit, ut connubium castum damnet, sed immodestiam illam, et uxorios illos (quos Augustinus alicubi ardentiores amatores vocat) taxat, qui sese totos carnis desyderiis dediderunt, et huius mundi curis plus aequo implicati sunt. Nam supra dixerat: Satius esse nubere quam uri. Ustio ergo a deo abstrahit, non actus coniugalis, si cum castitate et modestia fiat.

Adhaereatis domino absque ulla distractione.) Hoc non debet ad virginitatem referri, sed ad consilium quod dedit Paulus. Sensus est: Quae hucusque de coniugio et virginitate a me sunt dicta, non in eum usum dicta sunt, ut vos capiam et in servitutem redigam, aut ut invitos vos ad aliquas vitae conditiones compellam, sed ut quisque libere hoc vitae genus amplectetur, quo totus et indivulsus deo possit haerere. Hunc esse sensum, exempla mox subiecta declarant. Si potes plus Christo vacare in virginitate (puto enim virginem pro virginitate poni, personam pro re) virginitatem amplectere. Si te propius et vicinius Christo adhaerere putas in coniugio, duc uxorem.

Melius facit.) Quum dicit, melius facit, et mox infra, beatior erit, non simpliciter intellige, sed collatione, ut supra diximus.

Modo in domino.) Supra dixerat de impari connubio, dum alter coniugum infidelis est, vult ergo ut mulier post mortem infidelis mariti, non nisi fideli nubat. Hoc enim est nubere in domino.

CAPUT VIII.

Ceterum de his quae simulacris immolantur.) Quum apud Corinthios fideles cum infidelibus mixtim versarentur, factum est, ut iunctis amicitiis et vicinitatibus, gentes in festivitatibus publicis quum diis suis sacra facerent, aliquando fideles ad epulas publicas invitarent, vocati ergo Christiani (gravatim licet) cum gentibus accumbebant, quidam ne viderentur societatem eorum aspernari, quidam quod scirent idolum nihil esse; quod quidem apostoli qui tum Corinthi praeerant admittebant. Erant autem multi adhue infirmi, qui hoc facto non parum offendebantur, apud se cogitantes, non adeo malum esse colere idola, quum viderent perfectos quosque ex idolothytis promiscue vesci. Sciolos ergo istos, qui idolothyta inter media et indifferentia locabant, hoc capite redarguit, peccatum eorum ostendens quo multi non solum offendebantur, sed et plures Christi doctrinam non amplectebantur.

Bifariam ergo eos peccasse convincit. Primo in caritatem, quod cum offensione proximorum de sacris idolorum ederent. Secundo in pietatem, quod non deceat eos qui corpus Christi sunt, mensae daemoniorum esse participes. De quo latius infra 10. cap.

Omnes scientiam habemus.) Sic enim pseudapostoli Corinthiorum obiiciebant Paulo: Cur vetas nos Idolothytis vesci, quum nullus cibus sit prohibitus? Commoda ergo Anthypophora respondit eis, dicens: Omnes quidem scientiam habemus. Ego vero non de ciborum genere loquor, sed idolorum epulas cum infirmorum offensione edere, quod vos liberum facitis, hoc demum damno. Potest et hoc (omnes quidem scientiam habemus) per Ironiam esse dictum.

Scientia inflat.) Quidquid homo habet, quod cum caritate non est coniunctum, inflat. Ubi vero cognitio veri cum caritate condita fuerit, ibi vera pietas viget, mores emendantur, et omnia prospere cadunt.

Si quis diligit deum.) Hoc est, qui omnia respectu dei et caritatis facit, hic cognitus est a deo, hoc est, probatus deo, is enim spiritum ei suum dedit, ut se diligat.

De esu igitur.) Redit ad id quod coeperat Paulus, nam de idolothytis agit, ut capitis initium indicat.

Nullum est simulacrum in mundo.) Per metonymiam ista dicuntur. Nam idolum in natura est, et in mundo est. At is cui idolum ponitur, puta deus alienus aut numen, nihil est, unus enim est deus.

Non in omnibus est scientia.) Hoc est, non omnes sciunt simulacrum, hoc est deum alienum, nihil esse.

Esca nos non commendat deo.) Novi equidem hoc a vobis mihi obiici: Escam nos non commendare deo. Verum est hoc. Sed videte ne quo modo facultas haec vestra offendiculum pariat infirmis conscientiis. Hoc nimirum tum fiet, si infirmus aliquis viderit te, qui scientia polles, in simulacrorum epulis accumbentem.

Et peribit frater) Non solum offendis fratrem, sed etiam perdis eum, pro quo Christus mortuus est. Offensionis autem duo sunt genera. Primum, dum undique tendiculae, retia, et laquei per insidias ponuntur, quibus simplices et incauti capiantur, ut sunt pontificiae leges fere omnes, et malorum principum interdicta, quae iniquitate et crudelitate Antichristi leges superant. Alterum, ubi quis proximo malefaciendi occasionem ac ansam praebet, de quo Christus Matth. 18. et hic Paulus.

Si esca offendit fratrem meum.) Auxesis est, sive κατάχρησις. Sensus est: Si idolothytorum esus fratrem quoque modo offenderet, aut ad cultum idolorum pelliceret, non solum non edere vellem idolothyta, sed omnino nullas carnes.

CAPUT IX.

A fine sexti capitis miscellanea quaedam praeparationemque esse ad sequentia supra ostendimus. Quum ergo septimo capite eos taxasset, qui castitatem simulantes scortationi turpiter inserviebant, et octavo

eos convicisset, qui sibi omnia edendi, vel cum infirmorum offensione, facultatem esse putabant, praesenti capite, quod sexto coeperat, licitum scilicet esse apostolis ex evangelio vivere, multis rationibus prosequitur. Deinde etiam Corinthiorum apostolos perstringit, qui sese nimium extollebant, Paulum ut humilem despiciebant, obiicientes ei (quum eos ventris praedicatores appellasset) quod et ipse ab ecclesia eorum pecuniam accepisset. Hoc Paulus diluit, ostendens se nihil a Corinthiis accepisse; deinde si etiam accepisset, iure se accepisse. Obiiciebant ei praeterea quod uxorem suam circumduceret. Iactabant se quidam hoc esse Paulo maiores, quod eorum essent discipuli, qui Christum in carne vidissent. Haec omnia paucis absolvit et excusat hoc capite Paulus.

An non sum apostolus?) Asserit autoritatem suam (nam hoc gloriae dei intererat) contra pseudapostolos, qui Pauli omnia extenuabant. Erat autem apostolus Paulus, iussu Christi ad gentes missus, Act. 9.

An non sum liber?) Quum se apostolum esse asseruisset, ius et libertatem apostolicam sibi vindicat, quasi etiam alicubi usus non sit, sibi tamen hoc licuisse ostendit.

An non Iesum Christum dominum nostrum vidi?) Quo sane nonnulli gloriabantur. Viderat autem Christum Paulus in Damasco, Act. 6.

Si ceteris non sum apostolus.) Sensus est: Etiamsi ceteris apostolus non essem, certe vobis essem. Et si alii omnes me contemnerent et convitiis incesserent, a vobis tamen id fieri minime deberet.

Sigillum apostolatus.) Quo certo probare possum me esse apostolum. Nam apud vos evangelium a Christo mihi delegatum praedicavi.

Vos opus meum.) Opus pro factura capit, ut supra tertio capite.

Mea responsio apud eos qui me interrogant.) Ἀνακρίσουσι, qui me iudicant, qui exacte omnia discutiunt, Die mich rechtfertigend. Eadem sententia supra 4. capite: Mihi pro minimo est, ut a vobis iudicer, Das ich von üch gerechtfertiget wurd.

An non habemus potestatem edendi et bibendi.) Nimirum hoc Paulo obiiciebant pseudapostoli, quod pharisaei Christo, quod comedo esset, et vinipotor. Respondet ergo Paulus: An non licet mihi ut edam et bibam? Edo ac bibo, ut vivam; non vivo ut edam ac bibam. Nec quaero hoc duntaxat.

Sororem mulierem circumducendi.) Γυνή Graecis non solum mulierem significat, sed etiam uxorem. Loquitur ergo Paulus de uxore sua, quam aliquanto tempore secum circumduxerat, non semper; proinde superius optavit omnibus suam mentem, talem scilicet, quae huiusmodi affectibus carnis levissime tangeretur, reprimentibus eos nimirum, itineribus, periculis, plagis et laboribus assiduis. Et in hunc sensum dicit: Vellem ut omnes essent ut ego sum, hoc est, opto omnibus mentem tranquillam, nec obrutam libidinosis affectibus, qualis mihi gratia dei contigit. Sed nec matrimonium damnat, nec uxorem abiicit. Sororem vero eam vocat propter fidem Christi communem, ut Philip. quarto.

Et fratres domini et Cephas.) Cur mihi non liceat, quod Petro, quod ceteris apostolis? Discipulos fratres appellat more Hebraico, qui nimirum uxores circumducebant, nam alioqui frustra eos testes adduxisset, si non omnibus fuisset manifestum, apostolos uxores circumducere. De Petro satis patet Matth. 8.

Quis militat suis stipendiis?) Quasi diceret: Apud milites huius mundi maiorem invenio aequitatem quam apud vos. Obprobratis mihi quod cibum pro munere praedicandi accipiam, et milites huius mundi non militant suis sumptibus. Ecce quam iniqui rerum aestimatores sitis.

Quis pascit gregem, et de lacte gregis non edit?) Pulchris exemplis utitur hic Paulus. Verum hic cave, ne illud mulgere ac tondere, quemadmodum Papistae, intelligas, qui violenti tyrannide gregem Christi, non solum tondent, sed deglubunt etiam, ac pellem detrahunt, non lacte solum vescuntur, sed pinguia quaeque occidunt et devorant crudelissimi pastores. ne dicam lupi.

An non lex eadem dicit?) Legem testem adducit. Quasi diceret: Sed num ego haec confingo? num non lex eadem praecipit?

Num boves curae sunt deo?) Non negat hic Paulus boves quoque deo curae esse, cuius providentia omnia disponit ac gubernat, cuius bonitas corvorum pullis cibum suppeditat. Sed ostendit haec a deo non esse in lege praecepta propter boves duntaxat, sed ut aequabilitatem quandam et aequitatem doceret. Si enim iumento triturauti os obligandum non est, quanto minus homini laboranti?

An nescitis quod hi qui in sacris operantur?) Aliud ex lege exemplum, testimonii vice profert, veruntamen alteram duntaxat comparationis partem (quod Hebraeis frequens est) ponit. Sensus est: Si Levitis et sacerdotibus licebat ex officio eorum et ministerio vivere, cur non idem nobis liceat ex evangelio alimentum accipere? Nec hic mos apud Iudaeos solum fuit, ut sacerdotes ex sacris ederent, verumetiam apud gentes.

Sic et dominus ordinavit.) Praeceptum Christi adducit Matth. 10.

Bonum est mihi mori potius.) Praepono famam et gloriam quam in evangelii praedicatione acquisivi, vitae meae. Est autem gloriatio Pauli, quod scit ministerium suum nullius iudicio reprehendi posse; nam sic inoffense officium suum gessit, ut non solum hi qui recte iudicant, sed ne malevoli quidem, quod damnent, inveniant.

Etenim si evangelizem.) Corrigit quasi quod supra dixerat, et per occupationem eos antevertit, qui obiicere potuissent: Quid gloriaris Paule, si hoc fecisti quod debueras? An non Christus dicit: Si feceritis omnia quae vobis praecepta sunt, dicite inutiles servi sumus? Concreditum est tibi evangelium hoc, si praedicas, nihil est quod glorieris. Sic me capite Corinthii: Non praedico propter gloriam, imo cogor praedicare, tantum abest ut glorier; sed in hoc glorior, quod gratis praedicaverim, plus aliquid faciens, quam debeam, et hanc mihi gloriam eripi non sinam. Coram deo nemo gloriari potest, coram hominibus virtutem gloria sequitur.

Vae mihi si non evangelizem.) Damnationem sibi imminere dicit, si non praedicet: quae Hebraico more per vae intelligitur.

Quod igitur mihi est praemium?) Hoc est praemium, ut evangelium Christi gratuitum efficiam. Taxat autem pseudapostolos Corinthiorum. Est autem Enallage. Quasi diceret: Nullum aliud praemium video, quam quod evangelium gratis et absque mercede praedico.

Etenim cum liber sim.) Nam civis erat Romanus, servum tamen se fecit, et Iudaeis, ut cum rasus cum ceteris votum simulans templum introivit, et gentibus, sine lege cum eis vivens, quum tamen nunquam sine lege esset. De externis autem tantum loquitur, in quibus se ad tempus aliorum infirmitatibus accommodavit, ut quum Timotheum circumcidere permisit etc.

Particeps illius fiam.) Non ob meum commodum praedico, sed ut multos evangelii participes efficiam.

An nescitis quod qui in stadio.) Omnibus omnia se factum, quum dixisset, eos extimulat, ut et ipsi tales esse studeant. Exempla subiicit humana et corporalia. Quare quae sequuntur eo referenda sunt, non ad innocentiae studium; tametsi omnis Pauli doctrina principaliter ad vitae innocentiam spectat. Sensus est: Sic currite, non ut extra oleas curratis, aut extra metam, sed attendite ad scopum ut brabeum comprehendatis.

Unus accipit brabeum.) Apud vos non sic; Omnes enim brabeum comprehendere potestis, si ita cursum instituatis, ut agonothetae placeat. Et est quasi quaedam occulta aposiopesis. Sedulos ergo nos esse iubet, ut omnia gnaviter et strenue fiant.

Qui certat temperatus est.) Similitudo est, per temperantiam, vitae moderationem intelligit. Nam hic mos erat his qui pro corona temporali certabant, ut temperatissime viverent sub tempus certaminis.

Ego sic curro.) Quis nos certos reddet quo tu animo curras Paule? ob vanam gloriam fortassis. Ego sic, inquit, curro non ut is qui aerem verberat, nam huius labor inanis est, sed summa fide officio meo satisfacio, ut multos Christo adducam.

Castigo corpus meum.) Ne quidquam fiat ex affectibus, ne scandalum alicubi ponam, ne reprehensibile fiat ministerium meum, nam factus sum omnia omnibus.

CAPUT X.

Ab initio huius capitis quasi per epilogum facit Paulus generalem quandam et vehementem exhortationem ad Corinthios, ut stulta, frivola, et vana curiositate, cui dediti erant, omissa, vitam Christo dignam meditentur. Quod si Christiano nomine gloriari, simulque scelerum turpiumque flagitiorum servi esse velint, nihil minus exspectandam eis esse divinam ultionem quam olim Israelitis, qui se populum dei esse quum gloriarentur, a cupiditatibus tamen foedis et turpibus factis sibi minime temperabant, donec ira dei in eos sic desaeviret, ut variis plagis in deserto conficeret ac exscinderet. Harum rerum exempla abunde ex scripturarum historiis profert. Porro ne Gentes ad se Iudaeorum gesta, et veteris instrumenti historias nihil pertinere putent, probat Iudaeorum olim, etiamnum Christianorum unam eandem esse fidem, unam ecclesiam, unum populum. Unum enim esse deum, unum etiam reconciliatorem

dei et hominum Christum Iesum, qui dedit semetipsum pretium redemptionis pro omnibus, per hunc unum aditum esse ad deum, et his qui ante eum fuerunt, et his qui post eum sunt futuri; illis quod in promissum, his quod in exhibitum crederent. Facit insuper illorum signa et nostra, communia et paria, dum illis baptismum et eucharistiam, nobis circumcisionem et pascha tribuit, ut est in Epistola ad Colos. 2. et supra 5. cap. His omnibus probat eos qui sub Christo et eos qui sub Mose fuerunt, unum et eundem esse populum dei; ut videant Corinthii poenas Iudaeorum ad se quoque pertinere, si vita flagitiosa illos fuerint imitati, quum omnia Iudaeis in figura contigerint.

In Mosen.) Hoc est, per Mosen, aut sub Mosis imperio. Nam is dux eorum fuit per mare; nisi malis intelligere in Mosen, id est, in legem, quemadmodum nos in Christum baptizamur, Rom. 6.

Ne simus concupiscentes malorum.) Hoc est, ne quemadmodum ipsi, iuxta affectus ambulemus.

Neque stupris inquinemur.) Hic taxat impudicitiam et impuritatem Corinthiorum, de qua supra 7. Quasi diceret: Non damno virginitatem, at facile fieri posset, ut qui a matrimonio abhorreret, in graviora et turpiora, impellente satana, praecipitaretur. Habeat ergo quisque suam.

Ne murmuretis.) Pigebat eos olim itineris et laboris in deserto, adeo ut contra dominum procaciter murmurarent, hinc factum est ut presteribus perirent etc.

In figura contigerunt illis.) Catastropha est. Sed quomodo in figura dicuntur esse facta, cum tot millia hominum uno die caderent? Vere facta sunt, sed in figura, hoc est, ut posteris aliquid significarent. Propter nos ergo scripta et literis mandata sunt (nam illis necessarium non fuit) ut ab his caveamus, propter quae illi sunt multati. Quasi diceret: Tam abest ut ad vos nihil pertineant, ut maxime propter vos sint scripta.

Termini aetatum.) Nam post Christum nemo alius veniet, sumus ergo nos in ultima. Ultima autem aetas est, a Christo usque ad consummationem saeculi. Prophetae vocarunt novissimum tempus.

Qui stat videat ne cadat.) Hoc propter eos potissimum loquitur qui castitatem simulabant verius quam servabant. Et de curiosis illis, qui scire se gloriabantur nihil esse idolum. Nemo enim gravius et periculosius cadit, quam curiositas. Nemo ergo sese supra modum efferat, nemo suis viribus, suae sapientiae fidat, sed omnes huc spectent, ut soli Christo innitantur.

Tentatio vos non apprehendet.) Quidam per praeteritum exponunt, sic: Hactenus non nisi parvas tentationes estis experti, non magnas et graves, ut sunt persequutiones, pressurae etc. quas si etiam deus sineret ingruere, ostenderet simul exitum, neque supra vires sineret vos tentari. At ego hunc puto esse genuinum sensum, ut per futurum verbum exponatur: Vos operam date, ut firmiter stetis in deo, is ut benignus est et pientissimus pater, non sinet vos graviter cadere. Quod si curiosi esse pergitis, nempe, vultis edere idolothyta in sacris Gentilium, vultis servare castitatem repudiato matrimonio, metuendum est

periculum. Soli ergo deo sitis innixi, is ut fidelis est, non patietur vos tentari supra modum, sed in tentatione ostendet exitum. Er wirds vßfüren, vßmachen.

Quapropter dilecti mei fugite ab simulachrorum cultu.) Quum Paulus superius cap. 8. sciolos istos, qui epulas idolorum inter ἀδιάφορα ponebant, obiurgasset, dupliciter eos errare asseverans. Semel quod in caritatem proximi impingant, Christianum enim oportere ab his etiam sibi temperare, si proximus offendatur, quae libera sunt; peccare ergo eos haud mediocriter (etiamsi convivam esse in idolothytis ex indifferentibus esset; id quod Paulus non permittit, quamvis interim tanquam donat, quo argumentum suum a caritate ductum fortius urgeat) quum videant teneros offendi. Secundo autem probat eos in religionem et pietatem ipsam impingere; id autem, quum interea per nonum caput usque ad medium decimi, ad alia, non tamen aliena excurrisset, κατ' ἀνάληψιν ad hoc argumentum rediens, tractat. Deterret igitur Corinthios ab idolothytorum communione, impietatis ac perfidiae obprobratione. Hoc autem suum argumentum, quod ex lege amoris dei derivatur, tam solidum ac inviolabile esse confidit, ut eos iudices appellet, adversus quorum scientiam pugnabat. Sic ergo resumit argumentum. Quamobrem, o amantissimi, fugite ab idololatria, prudentibus loquor, vos ipsi expendite quam verum sit quod dico, vel ab ipsa communione. Non igitur ex instituto agit hic Paulus de Eucharistia, sed assumit eam pro fundamento ac ὑπόθεσι struendi Epicherematis. Solet enim libenter ab externis et ceremonialibus ad interna et rem ipsam commendandam, quae ceremonialibus significatur, argumenta et epicheremata ducere; quo nititur ex communione idolotythorum pellere sciolos istos, ad hunc modum: Nonne cum in idolothytis accumbitis, iam in unum corpus, in unam communionem cum idololatris coalescitis? Si ergo estis ex corpore idololatrarum, quomodo potestis membra esse corporis Christi? Haec omnia clariora erunt ex sequentibus.

Poculum benedictionis.) Epiphonemata sunt. Primum autem voces, deinde sensum explicabimus. Benedixit pro gratias egit, et benedictionem pro gratiarum actione poni, in Genesi saepe ostendimus. Deinde Κοινωνία quam communicationem vertit interpres, commodius hic per communionem redditur. Non enim significat hic κοινωνία distractionem ipsam corporis et sanguinis Iesu Christi, sed nos qui sumus corpus Christi, puta ecclesia ipsius, populus, concio, communio. Verba ergo sic habent: Poculum gratiarum actionis quo gratias agimus, nonne communio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne communio corporis Christi est? Ut sit sensus: Poculum gratiarum actionis, quo nos gratias agimus, quid quaeso aliud est quam nos ipsi? Nos enim quid aliud sumus quam ipsa communio, ipse coetus et populus, consortium et sodalitas sanguinis Christi, hoc est, ille populus qui sanguine Christi ablutus est? Et sanguinem Christi vocat eos qui sanguine eius fidunt, quemadmodum Philipp. 5. circumcisionem vocat, qui spiritu deo serviunt. Sic et hoc loco, communio sanguinis Christi sunt, qui in eadem celebritate gratulantur et exultant se Christi sanguine in libertatem assertos esse. Quasi diceret Paulus: Non dico quod

poculum sit sanguis seu quod panis sit corpus Christi, sed quod nos omnes qui de uno pane et uno calice participamus, sanguis simus Christi et corpus Christi. Panis ergo est quod edimus, vinum est quod bibimus, quod ad substantiam et naturam attinet; corpus et sanguis quod ad significationem. Neque tamen panis vulgaris est, sed quo gratias agimus deo pro morte filli, non quo ventrem pascimus. Hunc esse sensum istorum verborum ex argumento quod hic Paulus tractat deprehendemus. Deterret enim Corinthios ab idolorum cultu, quod longe fortius ac vehementius fit quum dicit: Vos multo alius nobiliorque coetus estis, quam qui debeat cum idololatrarum caterva coire, quam si diceret: Vos communicatis corpus et sanguinem Christi, quapropter non debetis communioni idololatrarum in eorum sacris interesse. Fortius urget quum dicit: Quum rememorationem, collaudationem, sive gratiarum actionem celebratis, nonne iam communio sanguinis Christi estis? nonne Christi populus et concio? quam si solum diceret: Quum sic benedictum panem editis, nonne corpus Christi distrahitis? Omnem enim movet lapidem Paulus, ut ab idololatrarum societate Corinthios avellat, quod aptius non potest, quam si eos ostendat in pietatem ipsam peccare. Quum ab idolothytis (inquit) non vultis avelli, cur quaeso non videtis, quam hoc sit alienum ab his qui Christi nomine censentur? Potuistis ab ipsa gratiarum actione discere, cuiusnam corporis, concionis aut ecclesiae sitis. Quum enim cum ecclesia Christi gratias agitis deo pro morte filii sui, et isthic poculum gratiarum actionis bibitis ac panem editis, iam nimirum videtis vos cum reliquis membris corpus, communionem, ac ecclesiam Christi esse (quam ego ecclesiam, communionem, hoc est, populum sanguinis ac corporis Christi non ab re appello. Nam qui certis ac unis ritibus, sacris religionibus utuntur, hi et eiusdem professionis sunt ac nominis.) Vos igitur quum omnes convenitis ad gratiarum actionem, quod corpore Christi sumus redempti, et sanguine abluti, num non videtis vos esse concionem ac populum corporis et sanguinis Christi? Concio autem sanguinis Christi, quid quaeso commercii habere potest cum concione idolorum? Si corpus Christi estis, si concio sanguinis eius, quid quaeso commune habere potestis cum corpore idololatrarum? Impietatis rei estis ac proditionis, si convivio idololatrarum non abstinetis. Haec nimirum verbosius sumus prosequuti, quam annotationibus conveniat, ad fastidium usque ταῦτα λέγοντες. Sed hoc ideo fecimus, quod is locus a multis etiam doctis, aut non intellectus, aut perperam interpretatus, simplicibus ansam dedit credendi, ut in pane corpus Christi ederetur, et in vino sanguis eius biberetur, quum carnalis ista manducatio corporis Christi, et fidei ac scripturae non sit conformis, et rationi repugnet.

Quoniam unus panis, unum corpus nos tota multitudo sumus. Nam omnes ex eodem pane participamus.) Causas reddit apostolus, imo exponit, cur ecclesiam et populum, Christi corpus et sanguinem vocaverit, visus nimirum sibi propter troporum densitatem loquutus esse paulo obscurius. Claris ergo verbis rem proponit, ac si diceret: Quum tali vos Epiphonemate adorior, quum poculo gratiarum actionis gratias agimus, nonne ille coetus noster est communio,

hoc est, populus, ecclesia, concio sanguinis Christi? Vos enim estis communio sanguinis Christi (nam istud membrum de poculo reliquit *ἀνανταπόδοτον*, sed pani addidit: parium autem idem est iudicium) qui de uno calice gratiarum actionis hauritis. Et panis quem frangimus, nonne communio, sive corpus, coetus, populus, ecclesia, concio corporis Christi est? Nos enim quia de uno pane participamus, et de uno poculo bibimus, in unum corpus coimus. Nemo ergo miretur quod hanc panegyrim celebrantes, communionem sanguinis Christi appellavi, hoc est, eam ecclesiam, quae sanguine Christi abluta est. Nos enim omnes, autore apostolo ipso, unus panis sumus, et unum corpus, non carneum Christi corpus, sed Christi ecclesia. Sed qui hoc fit? Omnes enim de uno pane participamus. Quod si Paulus eam sententiam tenuisset, ut carneum Christi corpus edendo in unum corpus coiremus, iam in ipso epilogo, et causae expositione non dixisset: Omnes enim de uno pane, sed de uno corpore participamus. Nunc vero quum dicit ea ratione nos esse unum corpus, panem communionem, quod de uno pane participemus, manifeste docet panem esse symbolicum. Unus ergo panis, et unum corpus sumus, quod de uno pane participamus, unum vinum, et unus coetus, sanguis Christi sumus, quia de uno vino, quo sanguis Christi pro uobis effusus significatur, omnes bibimus.

Videte Israelem.) Et ut sua comparatione quoque firmaret, subdit: Considerate, inquit, mihi carnalem Israelem, nonne qui victimas edunt *κοινωνοὶ*, hoc est, participes sive communicatores sunt arae? (Per aram autem intelligit eum, qui in ara colitur, aut cui in ara sacrificatur.) In his verbis nullo negotio videmus, in quam partem significatione communionis, participum, aut communicatorum usus sit Paulus. Hi enim, qui aræ participes sunt, non ideo sunt, quod aram edant; sic qui participes, hoc est, communio corporis Christi sunt, non ideo sunt, quod Christi corpus edant, sed quod in corpore Christi, hoc est, in mortis eius gratiarum actione panem edunt, ac poculum bibunt, iam ipsa sunt participatio, hoc est, communio sive concio corporis Christi. Est ergo sensus: Nonne videtis, quod qui in victimis simul edunt, unum corpus offerentium efficiuntur? Hoc est, unus coetus aut congregatio, ut isti dicantur pacificorum, alii vero expiationum, aut Iovis aut Saturni, ab ipso genere victimae, coetus. Cur ergo non videtis vos, quum huius coenae participes estis, corpus aut coetum sanguinis Christi fieri? Ac rursus, dum coetui idololatrarum compingimini, cur quaeso non videtis participes communicatoresque vos esse, ac concionem idololatrarum? Quod ego minime omnium volo, videlicet, ut sitis de coetu aut participatione infidelium. Non enim potestis simul esse symmistae, sive coetus daemonum et Christi, quia non potestis bibere poculum domini (Ecce quomodo poculum domini bibere, intra communionem constituit, non autem communicatio sive haustus sanguinis Christi; ut undique videas communionem, pro nobis qui sumus communio, accipi, non pro distractione corporis et sanguinis) et poculum daemoniorum, neque potestis esse participes mensae domini, et mensae daemoniorum. Ecce ut perpetuo nihil aliud agit, quam ostendere cuiusnam coetus sint aut populus. Non licere ergo prodito domino,

veluti transfugas, in convivio infidelium esse membra. Quod si quis obiiciat: Tu ergo dicis idolum aliquid esse (intellige idolum deum qui in idolo colitur, per metonymiam.) Respondet Paulus: Non hoc dico quod idolum aliquid sit, aut quod illud quod offertur (quod ad naturam attinet) aliquid aliud sit, sed ideo hoc dico, quod quae Gentes immolant, daemoniis immolant et non deo. Iam ego nolim ut vos qui corpus Christi estis, simul mensae Christi, et mensae daemoniorum participetis, nam hoc omnino non convenit.

An provocamus dominum?) *Η παραζηλοῦμεν τὸν κύριον*: Num dedita opera deum irritamus? Wöllend wir den Herren mutwilligklich meinen vnnd trațen? mit gwalt erzürnen? capitur enim in malam partem. Num nos fortiores et praestantiores deo sumus? Ut cum ille nolit nos esse socios idololatrarum, invito eo possimus esse de illius ecclesia et de ecclesia daemonum.

Omnia mihi licent.) Argumentum eorum totum in hoc erat: Omnibus escis omni tempore vesci licet. Respondet Paulus: Verum est, sed non omnia semper conducunt, neque semper aedificant omnia, etiamsi non essent huius generis cuius sunt idolothyta. Caro autem idolis oblata, caro quidem est, quod ad substantiam attinet, sed considerate diligenter circumstantias, daemoniis oblata est, infirmus frater offenditur et contemnitur.

Nemo quod suum est quaerat.) Spiritus dei beneficus est et liberalis, exponit se omnibus gratis, frui vult ab omnibus. Qui hunc spiritum dei non exprimunt, dei non sunt, ut faciunt qui sua tantummodo quaerunt.

Omne quod in macello venditur.) Exponit se clarius, ut omnem eis occasionem eripiat. Per macellum autem synekdochice omnem locum intelligit, in quo esculenta venduntur. Romae enim macellum dici tandem coepit forum, in quo omnes cupediae venderentur.

Nihil interrogantes propter conscientiam.) Tuam scilicet. Quasi diceret: Quod ad tuam conscientiam attinet, nihil opus est ut vel dubites, vel quaeras, eine, ede, quaecunque in escam venduntur.

Domini est terra, et omnis plenitudo eius.) Plenitudo terrae, Schema est Hebraicum, pro eo quod est, quidquid est in terra. Nam hominis gratia deus omnia fecit, ut omnia servirent homini. Vide autem quanta fuerit Antichristi perversitas, qui, nisi pecunia redimatur, omnibus interdicit, quae deus filiis suis subiecit et libera fecit.

Quod si quis vocat vos infidelium, et vultis ire, quicquid apponitur vobis, edite, nihil interrogantes propter conscientiam.) Hoc non ad sciolos loquitur, et curiosos illos, sed ad simplices et pios, qui quum ab infidelibus non in templa, sed in domos invitabantur, gravatim ibant, ne daemonum amici et idololatrarum fautores ab aliis indicarentur, illibenter renuebant, ne is qui invitaverat, putet se ab eis contemni. Dicit ergo Paulus: Si vocat te infidelis, vade, ede, neque opus est ut propter tuam conscientiam quaeras. Quod si quis alius inter edendum dicat: Hoc idolis sacrum est, iam noli edere, idque propter conscientiam non tuam, sed alterius, qui possit facto tuo offendi. Nam is qui tibi dicit, hoc idolothytum esse, et hunc cibum ab alio

diiudicat, si fidelis est, admonet te, idcirco non edas, si infidelis, iam offenditur ex tuo esu, cogitat enim, aut dicit: Si tantum malum esset idola colere, aut idolothytis vesci, nunquam committeret hic, qui Christianus est, ingens hoc nefas, sed abhorreret ab immolatitiis carnibus etc.

Ut quid libertas mea iudicatur ab aliena conscientia?) Hoc verbum elatorum et sciolorum in Corintho erat, quod repetit Paulus. Quasi diceret: Scio vos sic loqui: Cur mea libertas ab aliena conscientia iudicaretur? liber enim sum. Et respondet: Scio vos liberos esse, sed hoc interim cavendum, ne libertas vestra infirmis conscientiis sit offendiculo.

Sive manducatis etc.) Posteaquam omnia argumentis clara essent facta, exhortationem generalem epilogi vice subiungit. Quasi diceret: Fides haec cuilibet fideli suggerit ut in gloriam dei omnia faciat, ut minime opus esset tot argumentis. Veri filii dei in omnibus gloriam patris sui quaerunt. Si enim rhetores in causis agendis, voce, vultu, gestu, et omni corporis moderatione, cum decoro et dignitate iudici placere student, cur nos non verba, actus, et omnem vitam sic componamus, ut iudici summo placeat? ut nihil sit fucatum, nihil fictum? Nullis ergo praeceptis aut praescriptionibus opus est in exterioribus illis, pietas omnia docet et moderatur.

Tales estote, ut nullum praebeatis offendiculum.) Sic omnem vitam componite, ut neque Iudaeis neque Gentibus sitis offendiculo, et hoc facile potestis, si pii estis. Iudaei tum maxime legalibus et ceremoniis haerebant, Gentes autem resipiebant suas superstitiones et ritus. Inter utrosque ergo sic incedendum monet apostolus, ut neutri offendantur. Puta ne Iudaei suis addicti superstitionibus, Gentes a religione Christi deterreant, neque Gentes vanae scientiae suae nixi, vere pios ex Iudaeis offendant. Exemplum, inquit, me vobis propono. Ego factus sum omnia omnibus, omnibus studeo placere et me accommodare. Verum hoc in exterioribus duntaxat intellige. Nam alioqui Paulus hominibus placere non studuit, quod si fecisset, servus Christi haudquaquam fuisset.

Non quaerens meam utilitatem.) Corrigit quod dixerat. Sic placeo hominibus, non ut meam utilitatem quaeram sed publicam.

Imitatores mei estote.) Quatenus ego Christum, vos me imitemini. Nullius hominis vita quantumvis sancti, proponenda est quam imiteris, nisi vitam Christi exprimat.

CAPUT XI.

Hoc capite honestatem observare docet in publico coetu, argumenta autem a prima hominis conditione ducit, ostendens quanta sanctimonia, quanta modestia et honestate Christiani se componere debeant in publicis conventibus, ubi orationi et prophetiae vacandum est.

Omnis vir prophetans.) Id est, verbum dei vel docens vel audiens. Vult viros in concione publica detectis esse capitibus. Hoc intellige vel a principio, vel a fine, vel ut sic semper perseverent. Nam non leges perpetuas et immutabiles praescribit, sed mores et

honestatem docet. Hyeme ergo et gelu omnia turbante, nihil opus est ut omnino nudo capite stet vir, praesertim in frigidis regionibus, aut dum frigus capiti nocet. Libera sunt illa, nempe externa quaedam, ita tamen, ut publicus mos servetur, nec contumaciter contemnatur quod est publicae honestatis et moris.

Mulier prophetans.) Hoc est, verbum dei audiens, dehonestat caput suum. Duo simul intelligit, dehonestat caput suum quod retegit et radit. Deinde hoc argumento clarum facit se caput suum, id est, virum suum contemnere et dehonestare.

Vir imago et gloria dei est.) Non quod mulier non sit imago dei, sed ordinem indicat ac praecellentiam primae creationis et conditionis. Primus enim Adam in hominem formatus est ad imaginem et similitudinem dei. Deinde mulier ex viro, ipsa quoque ad imaginem dei, sed per virum.

Mulier gloria viri.) Quum honeste incedit et apparet in conventu, decus est viri sui mulier. Apparet enim quod vir eam sub disciplina tenet, et quod ipsa virum reveretur. Gloria ergo viri est, quod si non facit, ignominia maritum suum afficit.

Potestatem in capite.) Potestatem pro signo capit potestatis, tegumento enim capitis sui mulier ostendit se virum habere, et viri subesse imperio.

Propter angelos.) Sive ministros publicos, sive nuncios illos dei intellige, qui semper vident faciem patris, quique concioni fidelium dum orant adsunt.

Alioqui neque vir absque muliere.) Mitigatio est, facile enim virum aliquem praefractum reperies, qui auditis Pauli verbis, mox insolesceret, et in foeminam potestatem immodicam exerceret. Quasi diceret: Non hoc dico ut vos viri uxores vestras contemnatis, sed officia singulis praescribo. Mulieris quidem caput vir est, quare subdita esse debet. At nihilominus, et ipse vir absque muliere esse non potest. Post enim primam conditionem omnis vir ex muliere est. Alter ergo sine altero esse non potest, ambo autem in domino. Quasi diceret: Nisi non velint esse in domino.

Vir per mulierem.) Reprimit ferociam et audaciam viri.

Omnia ex deo.) Audaciam mulieris et gloriationem foemineam compescit. Omnia ergo ex deo, sed ordine quodam, quem nemo debet confundere, nemo praeterire.

An non natura quidem ipsa.) A natura argumenta decerpit; totum autem argumentum in hoc versatur, ne quid offensionis aut immodestiae in eo loco appareat, in quo ad orandum et ad prophetandum convenimus.

Quum convenitis in ecclesia, audio dissidia in vobis esse.) Quum simul convenitis ut gratias agatis deo pro morte filii, hoc unum spectare deberetis, ut unum corpus essetis. Ego contra audio vos dissectos esse.

Oportet haereses esse.) Quasi diceret: Quandoquidem sic estis animati, ut hic Pauli, alius vero Apollo se esse dicant, necesse est, ut

sectae sint inter vos. At in hisce haeresibus probantur, qui vere, et recto corde deo adhaerent.

Quum convenitis in eundem locum.) Apparet in hac panegyri Corinthiis hunc fuisse morem, ut ad coenam omnis populus conveniret in templum. Divites ex suis escis, quas abunde paraverant, etiam pauperes refecisse. Nam et pauperes, etiamsi nihil coxerant, conveniebant, propter symbolum et memoriam, in publicis epulis et coena dominica; deinde pauperes exspectasse, donec omnes convenirent. Successu temporis factum esse, ut divites non exspectatis pauperibus sua vorarent et biberent, pauperibus nihil relinquentes. Duo ergo eis opprobrat Paulus. Primum quod ventri suo tantum servirent, et gulam suam explerent. Alterum quod pauperes non exspectarent, hoc ipso eos pudefacientes, quod nihil cibi haberent. Quasi diceret Paulus: Si omnino publico hoc et amico convivio, ventris expletione, pauperumque contemptu, abuti constitutum est, fiat hoc in aedibus vestris, non in ecclesia. Nam dum in hac panegyri et gratiarum actione convenitis, ideo convenire debetis, ut in unum corpus caritate compacti coalescatis, ut posita invidia, livore, odio, uno ore ac corde deum laudetis. Vos contra dissecti estis, quisque quaerit quod suum est, alter alteri invidet, alter alterum negligit ac contemnit, et ubi deo serviendum erat et proximo, ventri et cupiditatibus servitur. Non ergo sic convenitis ut meliores, sed ut deteriores abeatis. An non hoc est ecclesiam dei contemnere? Non est hoc dominicam coenam edere, sed propriam.

Quisque propriam coenam accipit in edendo.) Προλαμβάνει festinat, praecipit, praeoccupat: Es fart ein jeder für mit ſinem maal, non exspectatis ceteris. Domini coena exigit, ut dives pauperem exspectet, nec sit dominus sui cibi. In coena domini dives pauperi non praeponitur, tantum abest, ut pauper contemnetur. Quum vero tu neglecto, imo famem patiente proximo, ventrem tuum exples, et coenam tuam edis, cur non hoc domi tuae facis?

Accipite et manducate etc.) Exacte Paulus Christi verba recenset, in quibus (si diligenter attendimus) manifestum fit, nobis non corpus datum in memoriam corporis, sed panem. Quod autem panis corpus et vinum sanguis nominatur, per metonymiam hoc fit, qua figura figurati, et signum signatae rei nomen induit. De qua re quoniam iusti libri scripti sunt, hic plura scribere opus non est. Sensus ergo verborum est: Accipite, edite, hoc est corpus meum, id est, hoc repraesentat corpus meum, vel, hoc est commemoratio corporis mei, quod pro vobis datur. Protinus enim subdit: Hoc facite in meam commemorationem. Qua nota deprehendimus commemorationem esse quae hic spectatur, non corporis ad animam confirmandam aut fidem, commanducationem. Hoc poculum novum testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis funditur. Hoc facite quotiescunque etc. Poculum testamenti quod in Christi sanguine sancitum sit, ait esse, non sanguinem, quo facilius ad superiora ascenderemus atque intelligeremus. Hoc quod editur epulas tantum esse testamenti, quod est corporis illius morte percussum et sancitum. Notandum autem sanguinem Christi non esse testamentum, sed testamenti sanguinem. Testamentum enim sive foedus

hoc est, quod Christus dei filius noster est et nos per eum in filios dei cooptati sumus. Quod omne illius morte perfectum atque sancitum est, unde neque corpus, neque sanguis testamentum sunt, sed testamenti fundamentum, confirmatio, ut ex Galatis et Hebraeis videre est, imo ex his Pauli verbis, quae palam dicunt testamentum esse in sanguine. Quod si testamentum poculum dicitur, fit hoc per cognominationem, cum ne sanguis quidem, quem poculum repraesentat, testamentum sit, sed id, quo testamentum et comparatum est et confirmatum: quemadmodum Gen. 17. circumcisio foedus dicitur, cum foederis duntaxat signum sit.

Quotiescunque comederitis hunc panem.) Audis hic panem dici, quod paulo ante per tropum corpus dixerat? Nota autem hanc particulam Enim causalem et expositivam huius quod dixit. Explicat enim Paulus quid per edere corpus, et sanguinem bibere intelligat, quidque ab his qui hoc agunt requirat.

Mortem domini annunciabitis.) Hoc est, depraedicabitis, collaudabitis, gratias agetis domino pro morte eius. Annunciandi enim verbo Hebraei creberrime pro collaudandi ac profitendi utuntur, Deut. 26. 1. Pet. 2.

Donec veniat.) Totum tempus demonstrat, quod abusque morte, ascensioneque Christi properat usque ad ultimum diem.

Ita quisquis ederit panem hunc indigne.) Indigne edere est, non ea fide accedere quae ab his requiritur, qui in corpus Christi coeunt, quomodo faciebant, quoniam idolothyta mox ut hic accubuissent irruebant. Indignum ergo dicitur quod non rite fit, sicut e diverso digne, quod recte atque ut oportet. Quemadmodum divus Ioannes Matth. 3. Facite, inquit, dignos fructus poenitentiae, hoc est, qui poenitentes deceant.

Reus erit corporis et sanguinis.) Non quae manducaverit, sed quae prodiderit, quum se in ecclesiae contubernium, quasi Christianus esset, ingessit.

Non dijudicans corpus domini.) Hoc est, non spectans cuius corporis sit, et cuius spiritus. Ego enim arbitror apostolum ad hoc corpus spectare, quod paulo ante decimo capite dixit unius panis esu compingi. Aut corpus intellige pro commemoratione corporis, quod scilicet non diiudicans corpus domini is sit, qui non satis graviter sentiat de morte domini, quae in gratiarum actionis monimento refricatur ac repraesentatur. At is sensus cum priori idem est. Qui enim de Christo non altius sentit, quam quod simul putat sibi in eius commemoratione licere accumbere, et in sacrificiis idolorum, is plane non maioris facit commemorationem corporis, hoc est passionis eius, quam quae contempto marito cum adultero consuetudinem init. Corpus autem Christi pro morte eius accipi, ex Pauli verbis plane eruitur, is enim iubet mortem domini annunciare. Et Christus praecepit hoc in commemorationem suam facere. Nihil ergo aliud est commemoratio corporis, quam mortis gratiarum actio.

Multi imbecilles.) Apparet plagam quandam aut pestem fuisse

apud Corinthios, per quam multi etiam perierunt, et hanc putat Paulus eis ob abusum Eucharistiae contigisse.

Si nos ipsos dijudicassemus.) Si perpensis transgressionibus nostris ac damnatis, resipisceremus, ac mores in melius mutaremus, nequaquam puniret nos deus. Iudicare enim hic pro punire accipitur.

Quum autem iudicamur.) Quum vero in nos animadvertit deus, fit hoc ad nostram utilitatem, ut scilicet resipiscamus, pedem referamus, ne cum mundo, id est, cum malis pereamus.

Quod si quis esurit.) Ἀνάληψις est, redit enim ad superiora. Quasi diceret quispiam: Quomodo ego ultimum quemque exspectabo? Respondet Paulus: Si omnino tam impatiens es famis, ut tam diu exspectare non possis, gusta domi aliquid. Atque hoc certa nota est, quod non diiudicare corpus domini nihil aliud est, quam non debita honoris exhibitione accedere. Vult ergo coenam istam talem esse, ut non liceat in ea ventri et propriae voluntati servire.

Cetera vero cum venero disponam.) Loquitur de externis quibusdam. Quasi diceret: Sique adhuc desunt quaedam, aut minus ordinata sunt inter vos, quae hic non scripsi, quum venero omnia disponam.

CAPUT XII.

Multam fuisse curiositatem in ecclesia Corinthiorum, ex praecedentibus satis patuit, ita ut etiam propter donorum varietatem inter eos dissidia et aemulationes orirentur, ut aut alter alteri invideret, aut alter alterum fastidiret. Deinde quisque temere et sine delectu ad quodlibet sese ingerebat. Huic malo occurrens apostolus fortissimis Epicherematis et Epiphonematis ad caritatem exhortatur, docens unum esse corpus, unumque spiritum, quantumvis dona sint diversa. Sic ergo utendum esse donis, ut autorem suum videantur referre, is ut unus est et concors, ita ad unitatem et concordiam ducit.

De spiritualibus.) Hoc est, de hisce rebus quae nullius sunt, quam spiritus, et quae nemo nisi spiritus dei praestare potest.

Dum Gentes fuistis, ad simulachra muta utcunque ducebamini sequentes.) In memoriam revocat prioris vitae conditionem. Quum olim adhuc Gentes, ad simulachra currebatis, errore duce, nullam consolationem, nullam virtutem, nullam gratiam, nullam denique vitam intus in corde sensistis. Muta enim erant simulachra illa, nec poterant loqui in cor vestrum, quodque a vobis fiebat, externum tantum erat. Ad simulachra ergo varia quum ducebamini, aliusque alio ducebat, ab uno spiritu proficisci non potuit. Iam vero quum ad unum ac verum deum adducti estis, alio nimirum spiritu impellente factum est, nempe, dei spiritu, in quo Christum profitemini; illius consolationem ac vitalem operationem intus sensistis, ille afflatu suo renovat, immutat ac vivificat. Similem autem locutionem invenies in Luciani *αἱρέσεσι*.

Nullus per spiritum dei loquens, dicit anathema Iesu.) Simulachra et deos quos olim colebatis, Christum professi, facile contemnitis, nempe, res nihili et frivolas. Hoc vobis certo argumento esse potest, nihil spiritus in eis fuisse, neque vos spiritu ab eis

animatos. Iam vero quum spiritus, hoc est, afflatus patris (neno enim venit ad Christum, nisi pater traxerit eum) vos in cognitionem filii sui duxit, tam abest ut Christum, quem per spiritum dei profitemini, reiiciatis, aut pro reiectamento habeatis, ut ne ferre quidem possitis id ab aliis fieri.

Nemo potest dicere dominum Iesum, nisi per spiritum sanctum.) Et ne putetis confessionem Christi rem temerariam aut fortuitam esse, hoc pro certo habetote, quod nemo agnoscit, nec profitetur Iesum esse dominum (nam Dicere hic emphatice pro agnoscere, credere, fidere capitur, alioqui et impii nominant Christum) nisi spiritum dei habeat. Nam qui spiritum dei non habent, Christum non dominum agnoscunt, sed purum hominem aut anathema esse dicunt.

Divisiones autem donorum sunt, et idem spiritus.) Diceret aliquis: Si uno eodemque spiritu omnes credentes agitantur, qui fit ut alius alium donis potioribus praecellat? Respondet Paulus: Spiritus idem, et fidei essentia ac summa eadem intus in corde omnium fidelium. Ceterum, quo ad operationes externas attinet, varia est differentia, et hoc iam probat corporis humani similitudine.

Divisiones donorum sunt.) Duplex potest esse sensus. Unus, ut dona in genere pro omnibus donis intelligat. Quandoquidem autem sunt, qui dona quidem habent, officia autem non habent, ideo subdit, Divisiones ministeriorum. Sunt deinde qui et dona et officia habent, at operatione, hoc est, energia executioneque carent, propter hoc adiicit Divisiones operationum, ut ministerium ponatur pro officio, operatio vero pro administratione. Alter: Et divisiones ministeriorum sunt, ut illud Et sit expositivum. Quasi diceret: Haec dona aliud nihil sunt quam ministeria, id est, officia, et operationes, ämpter vnd dienſt.

Sed idem est deus efficiens omnia in omnibus.) Quantumvis dona et officia sint diversa, unus tamen est deus, unus idemque spiritus, a quo omnia proficiscuntur, cui autori omnia debentur. Docet hoc ne quisquam sibi placeat, ne quisquam sese efferat, si donis eximiis sit praeditus, sed divinae beneficentiae hoc adscribat, et gloriae impendat. Pugnat et hoc (operatur omnia in omnibus) vehementer cum libero arbitrio, nam utitur summus opifex nobis ut vasis suis. Qua in re providentiam dei discimus. Quemadmodum enim pater familias cunctas res domus suae, quo in loco quaeque res sit sita, ad quem usum quaeque sit apta, singularumque officia plane pernoscit, sic deus in numerato habet omnia, et singulis pro suo arbitrio ad gloriam suam utitur.

Unicuique enim datur manifestatio spiritus ad utilitatem.) Δὲ pro γὰρ exponi debere puto. Sensus est: Ubi spiritus dei sese sic per operationes exerit ac manifestat, fit hoc ad utilitatem, ut scilicet prosint toto corpori, hoc est ecclesiae, non ad fastum, non ad quaestum.

Sermo sapientiae.) Λόγος ex דבר Hebraico est, ratio aut res sapientiae. Das ding der wyßheyt, id est ipsa sapientia, vel λόγος. Die rechnung, ordnung, wäſen der wyßheyt. Differunt autem sapientia et scientia. Reperies enim qui scientes et docti sunt, sapientes minime; Sapientem rursus offendes, at plane indoctum. Sapientia autem scientiam praecellit. Quod si haec duo simul in bonum aliquem inciderint, nihil

utilius, nihil melius esse potest; in malum si incidant, nihil peius ac perniciosius.

Alii fides.) Eximia et praestantiora dona praeponit. Sunt qui neque docti sunt, neque sapientes, at fideles, veraces et constantes.

Efficacia potentiarum.) Quibusdam datum est gnaviter et strenue functionem suam exequi. Nam hoc per *ἐνεργήματα δυνάμεων* intelligo. Frutig, handtlich in ſinem ampt ſin.

Alii prophetia.) Hoc vario modo fit. Primum enim docentur hi qui deinde ceteros docent. Deinde prophetae officium est, vitia arguere et iram minari impiis, piis misericordiam dei polliceri. Prophetae etiam futura praedicunt, aut ex divini spiritus revelatione, aut dum ex praeteritis futura coniiciunt. Sed de prophetis infra latius.

Discretio spirituum.) Sunt enim qui facile falluntur, vel ob imperitiam, vel ob simplicitatem, aut stupiditatem. Sunt deinde sagaces qui mox olfaciunt, quo spiritu quaeque quisque loquatur aut agat. Transfigurat enim se satan in angelum lucis. Proinde spiritus explorare Ioannes docet. Sunt quos gloria vexat inanis, sunt quos quaestus et venter impellit, sunt qui odio ducuntur.

Unicuique sicuti vult.) Neque enim tu tantum habes, quantum vis. Hoc verbo omnem elationem, imo omnia nostra sic deprimit, ut plane videamus nihil in nostra, totum in spiritus divini potestate situm esse. Aliena ergo dona quum sint pro arbitrio spiritus nobis impartita, nihil est quod efferamur, aut nobis adscribamus.

Quemadmodum enim corpus unum.) Corpus naturale, ad corpus Christi mysticum comparat. Quasi diceret: Neminem suae sortis pigeat, nemo proximum fastidiat si ipse non tantis polleat, nemo invideat ei qui potioribus donis praecellit. Neque enim propter diversa membrorum officia discordia est in corpore, sed singula membra mutuis sese officiis ita iuvant, ut corpus constare possit. Consolatur his verbis infirmiora membra, praecipua et eximia deprimit.

Omnes in unum corpus baptizati.) Baptismus ergo aliud nihil est, quam signum eorum qui unum corpus Christi sunt. Et pueri Christianorum intra corpus et ecclesiam Christi sunt etiam antequam baptizentur. Quis ergo negabit eis signum populi dei baptismum quum et ipsi dei sint? Signum enim dei nulli datur, nisi prius sit de populo dei. Datur autem eis, ut innotescant etiam ceteris. Porro, qui unum corpus sunt Christi, unum et eundem habent spiritum, ad unum omnes spectant, nempe, ad gloriam dei, et totius corporis utilitatem. Qui ergo quaestui serviunt aut gloriae, qui ventris animalia sunt, ut Antichristi discipuli, spiritum Christi non habent, quantumvis Christum ore resonent.

Si dicat pes: Non sum manus.) Urget Paulus ut singuli suis officiis satisfaciant, neminem suae functionis poeniteat, etiamsi viderit alium aliis esse intentum. Qui laborat et affligitur non dicat: Nolo amplius laborare, nolo molestias et onera ferre, nisi et ille eadem ferat. Fortassis aliis rebus intentus est ille alius, tu pedis, ille manus vice fungitur. Quod si manus terram non terit, num tu ideo terram calcare

desines? Digitum pes magnitudine et virtute longe superat, at magis necessarius multoque utilior est digitus.

Quae putamus minus honesta esse corporis, his uberiorem honorem addimus.) Honorem vocat aut tectorium quod verendis circumducimus, aut quod absque honoris praefatione ea nunquam nominamus. At huiusmodi membra maxime necessaria sunt in corpore; sic in ecclesia qui videntur nobis contemptibiles esse et ignobiles, apud deum nobilissimi sunt plerumque, et nobis maxime necessarii.

Membra ex parte.) *Μέλη ἐκ μέρους*, Ein yeglicher ein beſonders glyd, separatim quisque per se. Aut singulatim singuli, ein anderen nach.

Primum apostolos.) Apostoli nuncii sunt, aut legati. Elegit enim Christus duodecim ex discipulis suis, quos apostolos nominavit; quibus convocatis, misit eos ut praedicarent regnum dei. Luc. 9. Matth. 10.

Deinde prophetas.) Prophetarum officium in veteri testamento erat, quod nunc Evangelistarum et Episcoporum, scelera arguendi et extirpandi. Hierem. 1. In novo testamento prophetae sunt, qui scripturas veteris ac novi instrumenti coram ecclesia exponunt, ut patebit infra cap. 14.

Virtutes seu potestates.) *Δυνάμεις* qui succensi zelo dei severiter peccantes corripiunt. Sunt enim quidam docti satis, et iuxta pii, sed impiorum minis territi, facile cedunt, nec fortiter resistunt flagitiis.

Subsidia.) Res pro persona. Nimirum hi sunt quorum munus est ut pauperum curam gerant, Allmußner.

Gubernatores.) Viri maturi et graves, qui Episcopis praesidio erant ut in ecclesia omnia ordine quodam gererentur.

Sectamini dona potiora.) Yferend vff die treffenliche gaben. Non de donis in se loquitur, nec de exteriori donorum officio, sed de interiori. Exempli gratia: Tu Episcopus es, alius consulatum gerit. Iam Pauli mens non est, ut tu qui Consul es, Episcopi munus ambias. Sed quemadmodum Episcopus omnes tendit nervos ut doceat, ut sceleribus obstet, ut prosit toti ecclesiae; sic et tu toto studio huic uni incumbe, ut vitiis et flagitiis obstes, peccantes corripias, reipublicae non tuae studeas. Sensus ergo est: Sectamini dona potiora, id est sectamini id quod potissimum et optimum est in donis. Caritas ergo praecipuum illud est et excellens in omnibus donis, ad quod Paulus adhortatur, quae vita est omnium virtutum. Haec est excellens illa via, dux et moderator omnium donorum, quam Paulus monstrat. Hanc autem solus deus in cordibus nostris per spiritum suum accendit, quando nos ita cupiditatibus sumus vitiati, ita falsis opinionibus imbuti, ut non raro pro virtutibus vitia amplectamur, et vitia virtutum nomine induamus. Deinde etiamsi donis praedictis praediti sumus, ad quaestum tamen et gloriam eis utamur, nisi pectora nostra deus suo spiritu et igne caritatis intus accenso alio impellat. Dona ergo spiritus si in nobis absque caritate fuerint, nec utilia nec deo grata erunt.

CAPUT XIII.

Si linguis hominum loquar et angelorum.) Hyperbola est. Quasi diceret: Etiam si linguarum peritia omnes homines, vel angelos ipsos praecellerem, tantum abest ut sine caritate prosit, ut magis sit obfuturum. Huius rei iam a singulis donis exempla sumit, de quibus superiori capite mentionem fecerat.

Si habeo fidem adeo ut montes loco dimoveam.) Quandoquidem huius loci explanatio ab eo pendet qui est a fine capitis, simul utrumque explicabimus et posteriorem quidem primum. Dicit ergo Paulus: Nunc manet fides, spes, caritas, tria haec, maxima in his caritas. Ubi notandum quod fidei vocabulum in scripturis sacris varie accipitur: Primum pro credulitate; deinde pro firmitudine; tertio pro fiducia certa et indubitata in deum, et de ista sola debet intelligi, quod fides iustificet et salvum faciat. Qui vero iam non intelligunt fidem, spem, et caritatem eandem rem esse, nempe hanc in deum fiduciam, multis locis frequentissime impingunt. Fidem enim si de Christo habeas, nec in eum speres, nec redames, ad nihilum valet. Iacob. 1. Spem si te habere dicas in deum, nec ames, mendacem te ipsum facis. Nam si de deo sic doctus es, ut videas in eum solum esse sperandum, fieri nequit, ut summum bonum esse non agnoscas; si summum bonum esse agnoveris, fieri nequit ut non ames; sive ames, nec speres, iam verba das. Nequit enim amare deum qui illo non fidit. Habet ergo humanum pectus deo coniunctum, hoc est vera pietas, alia atque alia nomina ab incremento. Fidem aliquando capimus pro credulitate, hanc intelligendi ordine sequitur spes, istam vero caritas. Porro deinde tota ista humani cordis fiducia, fides interim, interim autem spes et caritas appellatur, nec quicquam aliud est quam in deum pietas, sive ames, speres, aut fidas. Hinc fit, ut quandoquidem tria haec complectitur una pietas, fides pro caritate, et spes pro fide accipiantur, et haec tria aliud nihil sunt, quam ardens in domino cor. Hoc praemisso, facile intelligimus Paulum, quum dicit, caritatem esse in his tribus maximam, nihil aliud velle, quam caritatem, id est fiduciam per dilectionem esse absolutionem, et quasi colophonem. Rursus quum dicit fidem, quae vel montes transferat, nihil prodesse, non de fiducia illa intelligit quae iustificat et salvat (nam illa a caritate separari haudquaquam potest) sed de credulitate, quae quidem, nisi promoveat, mortua fides est. Erant nimirum Pauli tempestate, quemadmodum et Iacobi, qui fidem inaniter iactabant, factis vero Christum negabant. Hos vanos esse et vehementer errare ostendit apostolus. Quasi diceret: Si fidem putatis esse credere quod deus sit, et multa de deo deque rebus divinis curiose loqui, et non potius cor fiducia tota coniectum, et ardore quodam raptum in deum, quod proximi dilectionem quasi fructus optimos exprimat, toto coelo erratis.

Si insumam in alimoniam omnes facultates, et tradidero corpus.) Duo quaedam maxima ponit, quae vel erga proximum, vel erga se ipsum homo facere potest, sub quibus cetera minora omnia intelligit. Induit autem personam maxime potentum et divitum. Quasi

diceret: Esto sit aliquis, qui quicquid rerum habet, hoc totum in aliorum usus profundat, quod quidem etiam ex hypocrisi fieri potest; esto aliquis exurat corpus suum, nihil efficiet si caritate caret.

Caritas Μακροθυμεῖ.) Longanimis est, iniuriam diu ferre et dissimulare novit, nec statim ad vindictam prosilit, Sy iſt duldmütig.

Χρηςεύεται Benigna est.) Sy begütiget alle ding. Hoc est omnia boni consulit. Idem saepe hypocrisis facit, sed facile deprehenditur.

Οὐ περπερεύεται non est Procax.) Jſt nitt lichtuerig. Procacitas enim propensio est, non in mediis, dum licet, sed dum facile impellitur animus hominis ad levissima et turpissima quaeque.

Non inflatur.) Non intumescit, huc spectat ut donis nemo efferatur.

Οὐκ ἀσχημονεῖ nihil inhoneste.) Nihil turpiter agit, nihil praeter decorum, Jſt nit vnverſchampt mutwillig. *Ἀσχήμων*, Der ſich ſynes mutwillens vnverſchampt überhept.

Οὐ παροξύνεται.) Non supra modum exasperatur. Sy wirdt nit überſchörpfft. Summa enim iustitia, summa est iniuria. Non exaggerat culpam ultra debitum. Sy macht die ſach nit gröſſer, dann ſy an jr ſelbs iſt.

Οὐ λογίζεται τὸ κακὸν.) Non cogitat malum. Non temere imputat malum. Sy rupft die ſünd nieman vff, ſy rechnet nüt zu argem.

Congaudet veritati τῇ ἀληθείᾳ.) Sy frömt ſich des ſtyffen, des waren, des getrüwen. Hebraico more, אמונה hoc est gaudet fide et integritate.

Omnia credit.) Sy trawt wol, hoc est, probe fidit. Oratio est vehementior. Facile credunt qui caritate sunt praediti, faciliusque decipiuntur propter simplicitatem.

Omnia sperat.) Non desperat facile de quoquam vel pessimo.

Ἡ ἀγάπη οὐδέποτε ἐκπίπτει.) Caritas nunquam excidit. Excidere Latinis significat, oblivisci, negligere, cessare, aut omittere. Jm ſelbs empfallen. Sy empfalt jr ſelbs niemar, vel, ſy fält niemar. Omnia recte agit et ut oportet, format omnia opera, nusquam errat. Absque caritate in omnibus erratur.

Sive prophetiae abolebuntur.) *Καταργηθήσονται*, hic non proprie, sed novo quodam modo utitur Paulus, pro deesse, deficere. Nihil ex omni parte beatum, nihil tam sanctum, quod non aliqua parte deficiat. Sive ergo prophetia evacuabitur, hoc est insufficiens quis sit et tener ad munus propheticum: Ob ſchon etwas an der prophecy fälte, vnd noch manglete. Dixerat enim Paulus de rebus quibus semper aliquid deest, et quae quotidianis auctibus incrementum sumere possunt. Nemo enim tam doctus, aut eruditus est, qui non doctior et eruditior fieri possit; quum ergo promovet, aliquid defuit, hoc vocat Paulus *καταργηθήσονται*. Sensus ergo est: Etiam si propheta quaedam adhuc ignorat, aut in quibusdam errat etiam, vel quod non omnino tam doctus est, vel quod etiam si doctissimus sit, locus adeo est obscurus et difficilis, ut verum et genuinum sensum non adsequitur, caritatem autem habet, error et ignoratio periculo caret, nec damnabilis est, nam mox ut eruditur a doctori cum mansuetudine audit, facile cedit, nec contendit

praefracte, fatetur ingenue errorem suum etc. Porro prophetiam et linguarum peritiam, eximias illas dotes ponit, ut facile de aliis inferioribus idem sit iudicare. Per scientiam omnem eruditionem intelligit: Alle kunſt vnd wüſſen.

Ex parte enim cognoscimus.) Προσαπόδωσις est: ἐκ μέρους, paulatim. Allgemach, für vnd für. Vel, imperfecte: nam discendo semper proficimus, donec hic vivitur.

Dum puer eram.) Exemplum horum ponit, et in se transformat, quod omnium est commune, puta imperfectionem quae quotidie proficit.

Abolevi ea quae erant parvuli.) Hoc est posui, reliqui. Sic nihil hic in rebus creatis ad summum fastigium pertingit, sed caritate duce nemo errabit unquam.

Per speculum.) Latius se aperit Paulus, nam idem sensus est cum priore, sed clarior. Dum hic sumus, omnia cum defectu quodam nobis apparent, veluti dum quis per conspicillum aliquid videt. At in patria omnia clare et nude videbimus, quae iam quasi per umbram apparent.

Cognosco ex parte.) Scio quosdam esse, qui forte plus aequo de me sentiunt, quasi mihi nihil deesset; illis dico, quod et ego imperfecte cognosco, tum autem tantum cognoscam, quantum se mihi aperuerit deus, nam cognitio dei a solo deo est.

Nunc autem manet.) Nunc, id est, quam diu hic vivimus, manet, id est, perstat fides, spes et caritas. Et haec super omnia sunt. Horum autem maximum est caritas. Nam haec est summa et perfectio omnium. Hic fides non capitur pro perfecta cognitione dei, sed pro initio cognitionis adhuc imperfectae.

CAPUT XIV.

Hoc caput docet donis recte uti in ecclesia dei. Etenim qui ex Iudaeis erant Christiani, quum docti essent Hebraice, in publico coetu coram aliis aut canebant, aut psallebant sua lingua, quod pauci aut nulli intelligebant. Hinc fiebat, ut admirationi non parvae omnibus essent, ut solet simplicitas admirari quae ignorat etiam. Deinde accedebat hypocrisis et gloriatio, quod scilicet ex Iudaeis primum evangelium exierit. Quod ergo hi in tanto erant precio, et tanta admiratione, et quod absque fructu apud indoctum vulgus sic se venditabant, damnat et reiicit Paulus, monens ut magis caritati studeant.

Sectemini caritatem.) Epilogus est quasi superiorum. Quum tanta res sit caritas, tamque necessaria, hanc unam studete apprehendere, huic uni operam date, simulque toto studio omnes hoc unum curate, ut ea dona quae potiora et magis spiritualia magisque utilia sunt, amplectamini. Primum, ut linguarum sitis quam peritissimi, mox ut sensum scripturarum coram ecclesia aperiatis, nam haec maxime sunt necessaria et utilia, et spiritum potissimum promovent.

Qui linguis loquitur.) Linguas peregrinas intelligit, et populo incognitas, aut non intellectas. Nam non eos taxat qui domi suae loquuntur, sed qui coram ecclesia publicitus legunt, docent, orant, aut

canunt lingua quae a vulgo non capitur. Stultum enim hoc et hypocriticum esse ait. Etenim si non hominibus, sed deo tantum loquuntur, quid ergo opus est sese coram ecclesia ostentare? Nam tametsi ipse sacra quaedam et sublimia loquitur, fit tamen hoc duntaxat spiritu, id est, vano verborum flatu, quum nemo assidentium audiat, id est, intelligat. Omnibus ferme vocibus et locutionibus utitur hic Paulus, ad ingenium Hebraeae linguae.

Ceterum qui prophetat.) Fieri potest, ut aliquis mysteria linguis alienis loquatur, quae ne ipse quidem intelligat, aut certe parum animadvertat quid sibi velit quod dicit. Num non ille inanem duntaxat flatum emittit, quum neque ad ipsum, neque ad ceteros aliquid fructus redit? Sed esto, sane ipse intelligat atque animum advertat ad ea quae dicit, audientes vero horum quae ipse loquitur nihil intelligunt: quid talis in ecclesia aedificat? Prophetare ergo, id est, sensum scripturarum populo aperire, insignius quiddam est, et magis utile: nam hoc aedificat. Nisi is ergo qui linguis loquitur, simul etiam prophetet, parum prodesse; quod si cum linguarum peritia donum quoque prophetiae habuerit, plurimum prodesse potest. Prophetae nomen varie accipi in scripturis alias diximus. Apud Iudaeos prophetae erant, qui divinorum eloquiorum ac divinae voluntatis, afflatu numinis, scientissimi erant. Officium eorum erat sacrarum literarum sensum, quem ipsi a deo didicerant, populo depromere. Deinde demoliri et eradicare quidquid contra deum erectum erat, plantare et aedificare quidquid deo placet. Vigilare ne in populum dei irruat, quod noxium est. Hoc idem episcoporum, pastorum et Evangelistarum munus est in Christi ecclesia. Hoc tamen a nostris veteres differunt, quod veteres futura quaedam sub verborum involucris, revelante spiritu praesentiebant ac praedicebant. Tametsi et in nascenti ecclesia huiusmodi prophetae fuerunt, ut patet Act. 13. et 21. item 11. Inter apostolos autem et prophetas, haec est differentia: quod apostoli primum ad infideles duntaxat missi sunt, non item prophetae. Nam prophetia fidelium est. Prophetae nomen etiam illis competit, qui verbum dei avide audiunt, aut in lege dei diligenter versantur, ut supra capite undecimo: Mulier orans aut prophetans. Nam alioqui mulieribus in ecclesia docere, permissum non est, ut a fine huius capitis patebit.

Volo autem vos omnes loqui linguis) Per occupationem Paulus his praemunit, quae mox dicturus est. Quasi diceret: Quod ego illos qui coram ecclesia linguis non intellectis loquuntur damno, non huc tendit, quasi velim linguas contemnere; nam tanta res est linguas exacte nosse, ut si fieri possit, optarim vos omnes linguarum esse peritissimos. At huc tendo ut etiam operam detis prophetiae, ut utiles esse possitis populo dei. Tametsi et per synekdocham intelligi potest hoc Apostoli verbum, praefectis et prophetis esse dictum, qui in ecclesia Corinthiorum erant: nam omnino mulieribus hoc non dicit.

Sic veniam ad vos.) Eorum quae iam dixit, varia ponit exempla; et primum in se transfert, quod in eorum apostolis taxat. Quasi diceret: Si ego ad vos ingrederer, linguis loquens, ut doctuli vestri faciunt, quid prodero vobis? nisi vobis loquar, aut per revelationem,

aut per scientiam, aut per prophetiam, aut per doctrinam. Videntur haec iuga aut paria sibi mutuo respondere, revelationem enim prophetia, scientiam doctrina sequitur.

Barbarus.) Qui peregrina et nobis incognita loquitur.

Orate ut interpretemini.) Vos Iudaei qui lingua Hebraea loquimini, quam Corinthii non intelligunt, studete ut in aedificationem populi fiat, orate deum, ut prodesse possitis interpretando.

Spiritus meus orat.) Spiritus pro flatu et anhelitu ponitur.

Mens mea fructu caret.) Cum scilicet linguis loquor, quae non intelligo.

Quid igitur? orabo spiritu.) Id est, volo ut quemadmodum ore, ita etiam mente proferatis verba, id est, ut simul eorum quae ore profertis sensum aperiatis.

Alioqui si benedixeris spiritu.) Si tu solum flatu vocis benedicis, hoc est, laudas, et gratias agis, et non interpreteris, quomodo is, qui locum discipuli tenet, Amen dicet? Apparet hunc morem fuisse Corinthiis, ut praeeunte ministro, plebs ad finem Amen responderet.

Magis quam omnes vos.) Per synekdochen sciolos eorum intelligit. Quasi diceret: Si gloriari licet linguarum peritia, ego plus illis possum.

Quinque verba.) At quantumvis linguarum sum peritus, magis tamen volo coram multitudine quinque duntaxat verba effari cum fructu, quam decem millia non intellecta. Quasi diceret: Si sic facerent vestri doctuli, plus aedificaretur ecclesia Christi.

Nolite esse pueri sensibus.) Nolite sic esse pueri, ut isti perpetuo vobis os oblinant, et vos dementent. Malitia estote pueri non peritia. Puerorum est raras voces et ignotam linguam admirari, vos si idem facitis, pueris estis infeliciores.

Variis linguis et labiis loquar.) Hoc adducit ad aggravandum eorum culpam. Quasi diceret: O quam verum est quod deus per prophetam praedixit: Loquor huic populo aliis linguis intelligibilibus quidem, sed ne sic quidem audient, hoc est, maior pars non audiet, et tamen interim admirantur eos qui linguis loquuntur quas non intelligunt.

Itaque linguae signi vice sunt.) Per antypophoram praeoccupat eos qui dicere poterant: Tamen deus etiam populo suo loquutus est linguis alienis, ut patet Act. 2. ubi apostoli variis linguis loquebantur, nec intelligebantur. Hoc, inquit, nolite obiicere: Nam hoc in signum factum est. Ostendebat hoc facto deus, quomodo apostolos, qui in mundum universum ituri erant, et omnium nationum hominibus praedicaturi evangelium, superna virtute induisset, ut admirationi essent omnibus. Hic vero quum in ecclesia convenimus, ideo convenimus, non ut admiremur, non ut linguas non intellectas audiamus, sed ut aedificemur.

Sed incredulis.) Quo incredulitatis et damnationis suae testimonium haberent. Prophetia vero fidelibus. Nam infideles verbum dei non audiunt. Quasi diceret: Si vere fideles estis, non opus est sic

alienis linguis coram ecclesia loqui: nam quod tum fiebat, fiebat propter incredulos.

Nonne dicent vos insanire?) Inter Scyllam et Charybdim incedit Paulus; linguis non intellectis loqui coram ecclesia omnino vetat, nec tamen linguas contemnit. Difficile autem est abusum alicuius rei dedocere, rem commendare et laudare, quod hic facit Paulus. In contentione ergo versatur et obiectionibus Iudaeorum subinde respondet. Diceret enim aliquis: Cur linguas contemnis Paule, quum his armis olim suos instruxerit deus? Respondet Paulus: Ego omnino linguas non contemno, imo maxime laudo, atque moneo ut linguis operam detis. At coram indocta plebe sese linguis non intellectis venditare, est insano similem esse.

Quod si omnes prophetetis.) Intellige, alius post alium, non simul. Prophetare est docere, monere, consolari, arguere, increpare.

Coarguitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus.) Morbus animi ei ob oculos ponitur; hinc dolor, gemitus, et resipiscentia; hinc scelerum horror et fuga oritur. Ἀνακρίνεται, id est, sentit tangi conscientiam suam ab omnibus: Er wirt angerürt und beſchetzt von eim yeden der prophetet.

Deus revera sit in vobis.) Ἐν ὑμῖν inter vos: Das Gott vnder üch ſye oder mit üch.

Unusquisque vestrum canticum habet, doctrinam habet.) Ἕκαστος pro ὅς μεν et ὅς δε poni puto. Alius habet Psalmum, alius doctrinam, alius revelationem, etc. Alius sensus est, ut omnia ad unum quemlibet referantur. Prior videtur esse genuinus.

Omnia ad aedificationem fiant.) Quisque suo satisfaciat officio, ut aedificetur ecclesia dei.

Ceteri diiudicent.) Sed unde iudicabit indoctus et literarum expers? Aut quomodo homo mortalis de verbo dei aeterno iudicare potest? Hic respondeo: Spiritualis omnia diiudicat. Qui ergo in ecclesia scripturam coelestis verbi a propheta explicari audit, hoc quod audit iudicat; attamen quod auditur, non est ipsum verbum quo credimus. Si enim eo verbo quod auditur fideles redderemur, omnes plane fideles essemus. Nam hodie omnia evangelium reboant. Iam contra videmus, et audire et videre multos, nec tamen fidem habere. Manifestum ergo fit, quod eo verbo quod coelestis pater in cordibus nostris, non eo quod foris propheta praedicat, quo simul illuminat ut intelligamus, et trahit ut sequamur, fideles reddimur. Porro qui illo verbo imbuti sunt, verbum quod in concione personat et aures percellit, iudicant; sed interim verbum fidei, quod in mente sedet fidelium, a nemine iudicatur, sed ipso iudicatur exterius verbum. Quod et ipsum in medium afferri ordinavit deus, tametsi fides non sit ex verbo externo. Quod Christus alicubi parabola seminis probe explicat. Iudicat autem fidelis non ex sua sed divini spiritus sententia. Verbi ergo praedicati iudex est non homo, sed spiritus divinus in corde pii hominis habitans, qui spiritus facile deprehendit affectus docentis. Asseritur autem hac ratione verbum a violenta depravatione, quum et his, qui in subselliis sedent, in ecclesia de verbo loqui licet quod spiritus revelat. Ovium

enim est iudicare, pastor sit an fur qui ad se venit, et an vox pastoris an insidiatoris sit. Nam pastorem cognoscunt, audiunt et sequuntur; alienum ne admittunt quidem, tam abest ut sequantur. Unde autem ovibus tanta solertia? sagacitas tanta? ut nusquam hallucinentur? Hinc quod pastor oves suas cognoscit et oves pastorem, quod cogniti sunt a deo, quod pater traxit eos (nam ad Christum nemo venit nisi pater traxerit eum) quod omnes a deo docti sunt. Non possunt ergo errare oves quae pastoris sui vocem tam probe agnoscunt, ut aliam prorsus non recipiant.

Spiritus prophetarum prophetis subiiciuntur.) Omnia ubique praeoccupat Paulus. Diceret aliquis: Si iudicium penes sedentes est, orietur contentio: Nam propheta gravatim feret, si ab idiota errare convincitur. Nequaquam inquit Paulus. Prophetarum enim spiritus sunt prophetis audientes. Non enim est contentionis et dissidii deus, sed unitatis et pacis. Ubicunque igitur fides vera est, ibi et coelestis spiritus esse cognoscitur; ubicunque autem spiritus coelestis est, ibi studium unitatis et pacis esse nemo ambigit. Fit igitur ut quicunque fidelis propheta sit, sicubi ignorat et errat, corrigentem ac docentem ultro admittat, etiam infimum quemque. Neque periculum est, ut in ecclesia confusio fiat. Nam si per deum ecclesia congregata est, ibi ipse est in medio eorum, et quotquot fideles sunt, ad unitatem et pacem tendunt. At si qui vel arrogantius vel odiosius contendere perrexerint, statim olfacient qui nam ex affectibus, qui ex caritate et dei spiritu loquantur, et garrulos compescent.

Mulieres vestrae in ecclesiis sileant.) Alia occupatione occurrit his qui obiiciunt: Si iudicium ecclesiae committemus, mulieres, ut sunt contentiosae et loquaces, omnia turbabunt. Mulieres (inquit) neque doceant neque interrogent in publico coetu, sed si quid ignorant, domi viros suos consulent.

An a vobis sermo dei profectus est?) Sed nos (inquiunt Corinthii) hunc morem non servabimus. Unde vobis, inquit, tanta arrogantia, tanta contumacia? An Evangelium a vobis primum prodiit? an non a me didicistis? cur ergo iam insolescitis? cur non bene monenti obtemperatis? cur non in ordinem vos cogi patimini? cur non aliis ecclesiis vos accommodatis?

Si quis videtur propheta.) At ego vobiscum nihil contendam, hoc dico: Si quis inter vos spiritu dei praeditus est, is plane agnoscet me ex deo loqui. Quod si quis omnino ignorare velit, ignoret.

Loqui linguis ne vetueritis.) Proinde haec scribo fratres, non ut linguas aut vetem aut contemnam, sed ut usum earum doceam, utque omnia fiant ad aedificationem, idque cum decoro et ordine.

CAPUT XV.

Dies domini, ut alias etiam diximus, in sacris literis generaliter omnem vindictam et ultionem domini significat, quomodocunque tandem fiat, sive singulatim, sive generaliter, sive ante ultimum illum diem, sive generali illo et ultimo die. Haec ad intelligentiam huius capitis faciunt, deinde illius quod Christus dicit: Matthaei 24. Luc. 17. nam

illic permixta sunt omnia. Eodem modo de resurrectione sentiendum. Nam resurrectio mortuorum Hebraeis non solum ultimam illam corporum resuscitationem, sed etiam vitam ac subsistentiam animae immortalem post hanc vitam significat, etiam antequam corpus reviviscat. Hoc vero iam scripturis confirmabimus. Sadducaei negabant resurrectionem, hoc est, putabant animas post egressionem a corporibus dormire. (Nam non videtur verisimile tam crassam sectam fuisse inter Iudaeos, quae aut immortalitatem animae negaret, aut animas cum corporibus interire assereret.) Quo in loco, ut ex responsione Christi, qui Sadducaeis animas Abrahae, Isaac et Iacob vivere probat, colligitur, resurrectio pro eo statu vitae capi, quo anima post mortem corporis vivit. Item Ioannis sexto cap.: Resuscitabo eum in novissimo die, inquit Christus, ubi per novissimum diem, non illum ultimum intelligit, sed diem mortis cuiusque, ut sit sensus: Resuscitabo eum, id est, in vita servabo eum dum moritur. Ioannis quinto cap. Christus dicit: Amen amen dico vobis, quod qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam aeternam, et in iudicium non veniet, sed transivit a morte in vitam. Hoc est, dum corporaliter moritur, in nullam mortem aut perditionem vadit, sed in vitam immortalem. Et haec est consolatio morientibus in Christo. Quid enim magis anxium reddit hominem, quam quod ignorat quid post mortem sibi futurum, quo sibi eundum, aut ubi manendum sit? Hunc ergo metum adimit nobis evangelium, et securitatem tantam in Christo pollicetur, quod qui in Christum fidunt, et in Christo moriuntur, per eum in vita servantur. Proinde Christus se Ioan. 11. cap. resurrectionem et vitam esse dicit, hoc est, eum per quem omnes in vita serventur. Nam et illic resurrectio pro vita accipitur, ut et κατ' ἐφεξήγησιν, id est, expositive ponatur. Et Hebr. 11. cap. Apostolus dicit: Sanctos aspernatos esse redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Hoc est, hanc vitam facile contempserunt, ut meliorem vitam sortirentur. In Epistola 1. ad Thessal. cap. 4. quum Paulus ab immodico luctu pro mortuis Thessalonicenses deterret, non de ultima illa mortuorum resurrectione duntaxat agit, sed ut ostendat animas post mortem vivere. Quasi dicat: Si anima simul cum corpore interiret, non immerito doleretis; iam quum spe certa scimus eos qui hinc exeunt, per mortem non solum omnibus molestiis exui, sed etiam vitam perennem adipisci, stultum est et plane Ethnicum sic lugere mortuos, quasi periissent. Et hoc iam probat resurrectione, id est, vita Christi. Nam sicut ille (inquit) post mortem resurrexit et vivit, ita et fideles animae post mortem corporis vivunt. Petrus in Epistola priori cap. 4. In hoc mortuis evangelium praedicatum esse ait, qui sic quidem iudicabuntur secundum homines carne, vivunt autem iuxta deum spiritu. Hoc est, Evangelii praedicatio ac fructus, etiam ad mortuos pervenit, id est, ad illas animas quae fuerunt in sinu Abrahae, nempe, eorum qui in fide venturi Christi excesserant, qui quidem iuxta iudicium carnis, seu iuxta communem omnium hominum cursum iudicabuntur, cum caro resurget in ultimo iudicio, quum tamen interim iuxta spiritum vivat. Haec ideo praemittere voluimus, ut manifestum fiat, Hebraeis hoc in more esse, ut communibus locis interim

per Anagogam aut Katagogam ad specialia quaedam abutantur, interim vero communes esse sinant. Sed nunc textum accedamus.

Notum vobis facio.) Γνωρίζω non solum est notum facio, sed etiam in memoriam revoco, et reduco ea de quibus prius dictum est. Quasi diceret: Refricabo vobis hoc quod praecipuum est in evangelio, de quo prius edocti estis.

Nisi frustra credidistis.) Hoc est, nisi vos fideles esse simuletis, non vere autem sitis.

Secundum scripturas.) Nam mors Christi, et resurrectio, in scripturis sacris et praedicata est et praefigurata.

Visus Cephae.) Ego non solum hoc dico, sed et aliis visus est post resurrectionem.

Gratia dei non fuit inanis.) Utcunque iam sum, non ex me sum, sed gratia dei. Et haec gratia quam mihi praestitit deus, sine fructu non fuit in me.

Sive igitur ego.) Apostropha est. Quasi diceret: Haec ideirco scribo non ut me iactem, sed ut ostendam vos omnes idem praedicare.

Quod si Christus praedicatur resurrexisse.) Δίλημμα est. Quod hic de resurrectione Paulus dicit, de vita animae post mortem corporis intelligo. Nam de immortalitate hoc capite disserit ac contendit. Quomodo quidam ex vobis dicunt, animas post mortem in vita non manere, quum tamen Christus in vita mansit? Probat autem hoc dilemmate, Christum esse spiritum et vitam animarum nostrarum; qui si resurrexit, hoc est, post mortem corporis in anima superstes remansit, et animae nostrae post corporis mortem in vita permanebunt. Contra, si non resurrexit Christus, neque nos resurgemus, id est, vivemus. Ostendit ergo Christi tum corpus tum animam, nostra fuisse, et quaecunque (quod ad mortem et resurrectionem attinet) in corpore et anima Christi peracta sunt, in nobis quoque esse perficienda. Nam nobis omnia fecit Christus, qui totus noster factus est. Nam Christi resurrectio, animarum nostrarum consolatio est. Hoc est, eius resurrectione indicatur vitam aliam post mortem sequi. Si vero nulla esset immortalitas animarum, nec Christus resurrexisset, id est, anima pervixisset.

Miserabiliores omnibus hominibus.) Nam et Gentes animarum immortalitatem credunt, quam si nos non crederemus, miserabiliores Gentibus essemus.

Primitiae dormientium.) Posteaquam ostendit Christum resurrexisse, quia multi vidissent eum, iam quomodo ipse resurrexerit, et quomodo ceteri pii sint resurrecturi indicat. Alludit autem ad oblationem primitiarum, per quam in veteri testamento omnes reliquae fruges sanctificabantur, hoc est, usui aptae reddebantur, et in esum quasi inaugurabantur. Christus ergo est, per quem reliqua tota massa sancta est, id est, omnes qui in ipso et per ipsum sunt, sanctificantur.

Per hominem mors, per hominem resurrectio mortuorum.) Hic iterum resurrectio pro vita mortuorum capitur. Per Adam conjecti sumus in mortem, per Christum in vitam sumus reparati: semper intellige corpore et anima, per mortem autem omnes necessitates

corporales, et animae intellige. Nam mors extremum est malorum. Per Christum omnes vivificabuntur, id est, vitae restituti sunt, futurum pro praeterito, more Hebraico.

In adventu ipsius.) De ultimo adventu loquitur, nam tum finis aderit.

Quum tradiderit regnum deo et patri.) Regnum hoc est spirituale, quod deus obtinet in omnibus piis. Metaphoram autem elegantem trahit a potente aliquo rege, qui filio suo emisso, omnes hostes et adversarios suos debellat et perdit, quo facto, rediens filius, omnia patri submittit et subiicit. Haec autem de humanitate Christi intellige; nam post diem iudicii, Christus proprium regnum non habebit, sed patri offeret. Regnum est ecclesia quam adducet Christus ut homo patri. Christus ergo omnes inimicos suos expugnabit ac vincet, quantumvis fortes, et triumphabit nomem Christi per universum orbem.

Omnem principatum et potestatem.) Alle ſtercke vnd macht. Intelligit autem et daemones, et omnem huius mundi potestatem.

Donec posuerit omnes inimicos.) Citat Paulus Davidis prophetiam, quam et Christus ipse Iudaeis obiicit. Omnes inimicos sibi subiugabit Christus, etiam mortem ipsam, qui tamen omnes sibi subegit. Et eleganti prosopopoeia mortem personam facit. Sensus est. Ultimo die peracto, nemo amplius morietur. Novissimus hostis mors. Idiotismus est Hebraicus, id est, ille hostis qui ultimus omnium est, hoc est, qui hominem post omnes inimicos debellat, etiam extremis temporibus debellabitur et exterminabitur.

Palam est excipiendum eum qui ei subiecit.) Diceret enim aliquis: Est ne filius dei etiam subiectus? quomodo idem sibi subiici potest? Respondet Paulus: Ne sic cogitetis, excipitur deus. Et cum hic dicitur: Filius subiicitur patri, intelligitur per filium dei Alloeosi humana natura, quemadmodum Ioannis tertio, per filium hominis, filius dei. Nam Christus patri subiicietur, non quatenus deus, sed quatenus homo. Et haec omnia ideo dicuntur, ut agnoscamus deum esse omnia in omnibus, et ne humanitati aut corpori Christi tribuamus, quod solius dei est. Caro Christi animarum nostrarum cibus non est, sed solus deus, imo ipsa Christi humanitas, deum pro satietate habuit. Et hoc est quod Paulus secunda Epistola Corinthiorum quinto capite dicit: Si novimus Christum secundum carnem, iam non secundum carnem novimus.

Quid facient hi qui pro mortuis baptizantur?) Aut eo modo fiebat, quo nos aquis sepulchra mortuorum respersimus, aut forte baptizabantur pro his qui obierant. Probat autem hoc exemplo, animas post mortem corporis vivere. Quasi diceret: Vos testamini baptismate pro mortuis, quod animae vivant. Nam si non viverent, quid opus esset pro eis baptizari? Nimirum putatis eas hoc facto ex miseria et acrumna liberatas, in vitam traduci meliorem, quo palam testamini animas vivere. Cur igitur negatis vitam post mortem? Hoc argumento ostendit seductores esse, qui contrarium inter eos docebant. Neque hunc baptizandi ritum probat Paulus, sed cum sanna et contemptu loquitur.

Quid et nos periclitamur omni tempore?) Cur nos, qui Christo fidimus, tot periculis obiicimur? quid tot persequutionibus exagitamur? Nimirum ideo, ut meliorem inveniamus resurrectionem, id est, vitam. Nam haec vita quam hic vivimus, mors potius dicenda est, si eam futurae et aeternae compares.

Per nostram gloriationem.) Gloria mea Christus est, nam non quaero meam gloriam, sed Christi; et hac gloria obtestor, etc.

Cum bestiis depugnavi.) Sermo videtur tropicus esse. Multa enim crudelia passus est a feris tyrannis et tumultuosis. Aut certe in Epheso bestiis obiectus, illaesus evasit. Sed quod de se loquitur, de omnibus fidelibus intelligit.

Edamus, bibamus.) Si post mortem vita nulla superest, recte dicunt impii apud Esaiam. Sed procul facessant huiusmodi sermones ab ore et auribus piorum, corrumpuntur huiusmodi exemplis et sermonibus boni mores. (Hoc enim per *ὁμιλίαν* puto hic intelligi.) Cavete ergo fratres, ne aures praebeatis huiusmodi doctoribus, ne in pessimum errorem praecipitemini.

Expergiscimini ut oportet.) Pulchra est antithesis. Tradunt pseudapostoli vestri, animas post mortem dormire; vos vero auribus a Syrenum cantu obturatis, vigilate, ut aeternum cum deo vigiletis; ne peccetis, id est, ne erretis, ne fallamini. Sunt enim inter vos qui deum ignorant, nempe ii, qui animas aut interire dicunt, aut dormire. Hoc nulla ex re provenit, quam ex ignoratione dei, quod nec misericordiam dei per filium nobis exhibitam, quod scilicet omnes per eum vivemus, nec potentiam dei qua omnia revocat, considerant.

Quomodo resurgent mortui?) Quae iam sequuntur, ad corporum ultimam resurrectionem pertinent. Et primo per antypophoram his respondet, qui impossibile esse putabant, ut corpus putrefactum, vermibusque corrosum iterum resurgeret. Probat autem hoc exemplis quotidianis, quae fere omnibus in usu sunt. Quasi diceret: Videtis hoc quotidie fieri, ut semen in terram iactum, corrumpatur, putrefiat, et quasi intereat, atque deinde alia forma reviviscat: cur non hoc idem in corporum resurrectione futurum creditis?

Deus illi dat corpus.) Non sua virtute reviviscit corpus, sed dei, qui unicuique dat suum corpus. Dicuntur autem haec cum emphasi. Nam aliam formam triticum, aliam far, aliam ordeum habet.

Non omnis caro eadem caro.) Hic duntaxat de humana carne loquor: nam inter carnes differentia est.

Et sunt corpora coelestia.) Quemadmodum inter corpora coelestia differentia quaedam est, ita et inter corpora humana quoque differentia est, ut aliud alio clarius resurgat, et gloriosius. Quomodo ergo vos non discernitis inter corpus, quod terrae mandatur, et inter corpus quod a morte revocatum coelos ascendit? quum tamen inter coelestia et terrena tantam differentiam videatis?

Stella differt a stella.) *Διαφέρει* significat etiam excellentiorem esse, alia aliam praecellit, *ἐν δόξῃ* in gloria, id est, in claritate, puritate et luce.

Seminatur in corruptione.) *Μεταφορικῶς*, sepelitionem, semi-

nationem, ad corruptionem vocat, et resurrectionem ad immortalitatem.

Seminatur in infirmitate.) Per infirmitatem omnes necessitates corporis intelligit.

Seminatur corpus ψυχικόν, resurget corpus πνευματικόν.) Ein aathmender lyb, vnd ein geyſtlicher lyb. Hoc est, corpus spiritale, et corpus spirituale, ubi inflatu et spiritu pulchra est antithesis, quae gratia perditur si dicas: Ein lebender lyb, vnd ein geyſtlicher lyb. Nam et bruta flatum habent, spiritum non habent. Alludit autem ad ea, quae de prima hominis conditione scribit Moses: Inflavit deus in Adam spiraculum vitae, ut fieret in animam viventem, id est, ut respiraret, et viveret. Quasi diceret Paulus: Der erſt menſchlich lyb, iſt zu einem aathmenden lyb worden, der ander lyb aber der vferſton, wirdt geyſtlich. Hic corpus spirituale non intelligas, quod corpus vertatur in spiritum. Sed spirituale corpus dicitur, quod spiritui omnino subiectum est, et quod corporeis alimentis ultra non eget, sed solo spiritu vivit, quod ab omni sorde repurgatum est. Exemplum cape in metallis, quae per ignem ab omni scoria et sorde repurgantur, manente tamen eadem substantia.

Secundus homo, ipse dominus de coelo.) Hoc de corpore Christi loquitur, non quod corpus Christi de coelo, natum iam et perfectum, antequam a virgine conciperetur, venerit, sed quod post resurrectionem coeleste foret. spirituale et immortale.

Quemadmodum gestavimus imaginem terreni.) Si nunc terreni et pulverulenti hominis imaginem gestamus, gestabimus et imaginem coelestis Adam. Quemadmodum enim Christus primum terrenum corpus circumtulit, deinde post resurrectionem coeleste, spirituale et immortale; ita et nos qui Christo fidimus, primum portamus hic corpus terrenum et corruptibile, tunc autem spirituale et coeleste. Et quemadmodum Christus corpore quidem mortuus est, anima vero vixit, ita et nos corpore dormiemus, id est, moriemur, anima vero vita vivet aeterna. Sic veteres articulum illum in symbolo intellexerunt, quum dicerent: Credo carnis resurrectionem, et vitam aeternam. Per hanc enim non solum eam vitam intellexerunt, quae post diem iudicii erit, sed eam quae mox post mortem fidelibus per Christum obvenit. Dicit enim: Qui credit in me, habet vitam aeternam. Vita autem aeterna dormitio non est, somnus non est, sed perpetua quaedam iocunditas, exultatio et laetitia inenarrabilis. Haec igitur voluit nobis deus pater ostendere in morte et vita filii sui, ut nos certi redderemur, tandem nos Christo configurandos, qui nobis carnem suscepit, nobis natus est, nobis vixit, nobis mortuus est, nobis denique resurrexit et revixit. Hoc est quod Irenaeus dicit: Corpus Christi corpora nostra cibare ad immortalitatem, nempe, quod animae nostrae certae redduntur se victuras, quemadmodum anima Christi. Item quod caro nostra ad immortalitatem resurget, quemadmodum caro nostra in Christo deitati unita. Quod ergo primum corpus moritur et putrescit, ab Adamo est. Quod secundum clarum, gloriosum et immortale resurgit, a Christo est, ut ita utriusque imaginem feramus. Uterque enim parens noster est, primus

corruptionis et peccati, secundus immortalitatis et gratiae. Hic vivimus in afflictione ac labore, illic absque omni labore et molestia. Nam hac ratione communicavit Christus carni et sanguini nostro, ut est in Hebraeis. Quum igitur habeamus tam certam spem vitae aeternae et resurrectionis, studeamus quotidie configurari corpori claritatis eius. Meditemur hic eam vitam quam perpetuo sumus victuri; pure, sancte, et inculpate vivamus in hoc saeculo; caveamus ab omni turpitudine, a flagitiosa et scelerata vita, ut coelestem adipiscamur. Angelis erimus similes, angelicam ergo ducamus vitam.

Hoc autem dico fratres.) Id est, quod dico, sic volo intelligi fratres, sic me capite. Hoc corpus mortale et corruptibile (ludit enim in re ut in persona) immortalitatem et incorruptionem non possidebit, hoc est, corpus ea forma quam nunc gestat, coelum non ingredietur, sed idem corpus, alia tamen forma et specie, repurgatum scilicet ab omni sorde et corruptione.

Ecce mysterium vobis dico.) Quae obscurius dixi, palam et clarius exponam. Aut quod hac in re obscurum est aperiam.

Non omnes dormiemus.) Extremo illo die quo dominus ad iudicium venturus est, non omnes erunt mortui: reperiet enim dies ille, qui subito veniet, quosdam adhuc viventes et superstites, at illi ipsi qui residui erunt, etiam morientur et immutabuntur, id est, deposita mortalitate et corruptione (nam caro et sanguis regnum dei non possidebunt) immortales et gloriosi erunt, quae immutatio et transformatio subito et repente fiet.

Per extremam tubam.) Eam vocationem intelligit, qua per angelos evocabit mortuos Christus. In Epistola ad Thessalonic. κέλευσμα vocat. Ioannis sexto, vocem filii dei vocat Christus. Omnia enim idem significant, et aliud alio exponitur.

Surgent incorruptibiles.) Id est, habebunt corpora corruptioni non obnoxia. Multa autem hic sermo comprehendit, nam si corruptione carent, omnibus rebus quoque carent, quibus corruptioni occurritur, ut est cibus, potus etc.

Ubi tuus aculeus mors?) Elegans est prosopopoeia. Quasi diceret: O mors, tu quae omnes homines occidis, et nemo te occidere potest, ego te occidam, et ita vincam, ut nihil iuris ac potestatis amplius habeas in credentes. Metaphora tracta est ab his qui lanceis utuntur. Sarcasmos est viventium ad mortem. Si ergo Christus mortem tollit, et corpora quae hic moriuntur vivificabit, ita ut posthac nunquam morientur, et electi qui hic a morte abhorrent, illic gaudium habebunt.

Absorpta est mors ad victoriam.) Ad victoriam, id est, omnino, לנצח sic Esaiae 26. Tollitur mors nostra, morte Christi.

Ubi tua inferne victoria?) Per infernum enim locum intelligit, quo patres et omnes credentes ante Christum descenderant, nam ante Christi mortem, coelum clausum erat.

Aculeus mortis peccatum.) Cum dixi, stimulus mortis, peccatum (inquit) intelligo, quo nos tamquam spiculo aut ferro mors conficit. Propter peccatum enim mors grassatur in omnes homines. Hoc

vero peccatum Christus superavit, imo non solum peccatum sed et mortem ipsam.

Virtus peccati lex.) Robur quodammodo accipit peccatum ex lege, et quasi reviviscit. Rom. 3. Per legem cognitio peccati.

Deo gratia qui dedit nobis victoriam per Iesum.) Per Christum victum est peccatum, nam in hoc dedit filium pater.

CAPUT XVI.

In hoc capite obiter de collectis agit, quae mittere pauperibus in Hierusalem destinarant, de quibus in sequenti Epistola fusius scribit. Tametsi enim Iudaei in captivitate Babylonica dispersi erant, deinde etiam tempore Pompei; adhuc tamen saevissime et plus quam Gentes in Christianos ubique grassabantur. Quidquid enim Gentes et mundi tyranni contra eos moliti sunt, insidiis et sollicitatione Iudaeorum factum est; ut fere hodie Papistae contra Christi gregem tyrannos armant, et quasi conducunt. Hinc factum est, ut plures propriis sedibus expulsi exularent, quibus ut subvenirent, ecclesias ubique exhortatur Paulus.

Apud vos autem forte permanebo.) Declinat, ne sibi pecuniam committant; nam pecunia egenis statim mittenda erat, non differenda. Ipse vero non voluit statim transire, sed aliquandiu apud eos manere.

Ostium mihi apertum est.) Id est, occasio ampla data, via facta, videor mihi ansam arripuisse praedicandi Christum, et dilatandi evangelii, quantumvis adversarii multi sint.

Vigilate, state in fide, viriliter agite, fortes estote.) Vigilantia, constantia ac perseverantia opus est, tum in omni opere, tum maxime in Evangelico negotio. Qui negligentes sunt, negligentiae suae poenas dabunt gravissimas. In primis autem episcopis, pastoribus ac prophetis incumbit, ut vigilent ac constantes sint, deinde his quoque qui reipublicae praefecti sunt. Saepe tentatur fides, opus ergo est ut stemus et fortiter pugnemus.

Subditi estote talibus.) Subiici hic pro audire et morem gerere intelligit, nempe his qui curam eorum gerant, et omni veneratione digni sunt.

Salutant vos ecclesiae Asiae.) Argumento est, hanc ex Ephesiis epistolam scripsisse Paulum.

Cum ea quae in domo eorum est ecclesia.) Aut familiam Aquilae et Priscillae intelligit, aut exules Christianos qui apud eos sustentabantur.

Osculo sancto.) Quemadmodum solent amici osculo sese mutuo excipere ac salutare, ita et vos facite, sed sancto osculo, id est, animi benignitate et benevolentia.

Maranatha.) Execrationis ultimae nomen est, ex multis compositum, nobis non clare cognitis, non tamen abhorrentibus a lingua Hebraica, aut Syriaca.

IN POSTERIOREM AD CORINTHIOS ANNOTATIONES

HULDRYCHI ZUINGLII.

ARGUMENTUM.

Varia in hac Epistola tractat apostolus. Primum, quod eos, quemadmodum pollicitus erat, non reviserit, purgat. Deinde exclusum fornicarium restitui iubet iam castigatum. A Iudaicis ceremoniis ad vitam Christo dignam exhortatur. Exemplo Macedonum eos ad munificentiam pellicit. Porro magna ex parte in contentione et laude sua versatur, ita ut quibusdam gloriosius de se praedicasse videatur. Sed a pseudapostolis Corinthiorum, quos hac epistola palam insectatur, coactus autoritatem suam quam ipsi omnino deprimebant, asserere, ne sua vilipensione, et evangelii praedicati fructus, apud Corinthios periret.

CAPUT PRIMUM.

Hoc caput proœmii vicem obtinet. Ludit autem pulcherrime in dictione *παράκλησις*: nam variae erant tum persequutiones et afflictiones.

Benedictus deus et pater domini nostri Iesu Christi.) Quod patrem deum, Christum dominum vocat, cavere voluit, ne quis Christum deum esse negaret, de quo satis in priori dictum est.

Pater misericordiarum.) Unica est dei misericordia, sed plures sunt quibus misericordiam impartitur, ab iis ergo misericordias vocat. Deus est qui omnibus miseretur, et qui omnibus consolationem dat. Apud hunc ergo solum omnem misericordiam et consolationem quaeramus. Hic fons nunquam imminuitur, nunquam exsiccatur quantumvis hauriamus. Utuntur autem Hebraei plurali numero, dum augere rem volunt, et magnificare, unde et deum plurali numero appellant.

Pater Christi.) Naturam divinam Christi indicat; nam pater et filius eiusdem sunt substantiae, essentiae et naturae. Quod vero patrem vocat misericordiarum, Alloeosis est, deitatis et personae, nam pater essentiam significat, non personam. Quis enim omnia consolatur, quam deus? Desultus ergo est ab essentia ad personam, Pater misericordiarum, id est, deus misericordiarum; eo quod personae unus sunt deus.

Qui consolatur.) Ὁ pro ὅτι, quod consolatur. Sicut contra ב׳ Hebraicum, quod pro qui saepe ponitur.

In omni afflictione nostra.) Quasi diceret: Quod apostoli mihi vitio et probro vertunt, tantum abest, ut me deiiciat, ut etiam plus virium et consolationis addat, non solum autem in me ipso, sed quod etiam alios consolari possum. Consolantur enim supra modum fideles, dum vident aliquem, mala infracto et forti animo ferre, nec cedere.

Sicut abundant afflictiones Christi.) Afflictiones et mala nunquam cessabunt, dum hic vivimus, imo quotidie magis ac magis exuberant. Sed hanc habemus a deo consolationem, quod quemadmodum ob Christum afflictiones indies augentur, ita et per Christum consolatio exundat.

Sive affligimur pro vestri consolatione.) Afflictio nostra vobis in consolationem et salutem cedit. Nam nostra afflictione et tolerantia, et vos ferre afflictiones discitis, tanti est exemplum. Rursus, si consolationem nobis mittit deus, fit hoc ut et vos speretis consolationem vobis nusquam defuturam.

Spes etiam nostra firma est.) Certo sum persuasus et indubitatum est apud me, etiamsi quid afflictionis vobis inciderit, adfuturum tamen deum; nam qui affligit, simul etiam consolatur et liberat.

Nolumus vos ignorare de afflictione nostra.) Exemplo, quae supra dixerat, probat. Ostendit enim quid sibi in Asia acciderit, et quomodo sese deus e malis liberaverit. De hoc lege Act. 19. Concitante enim Demetrio turbam, tumultus tantus factus est, et impetus in Paulum, ut sibi mortem imminere certo persuaserit. Hoc vero hac ratione factum esse ait, ut sibi diffisus tota spe sese in deum coniiceret. Afflictiones ergo, patientiam et spem excitant, Rom. 5.

Qui suscitat mortuos.) Egressio est ad laudem dei.

Simul adiuvantibus, et vobis per deprecationem.) Haec salus, hoc auxilium non ex mea iustitia mihi contigit, sed ex multorum precibus impetratum est a deo. Cur? nempe, ut a multis pro dono dei agantur gratiae. Quum enim vos pro me tam anxie oraveritis, videtisque et vos impetrasse et me adiutum, accenditur in vobis gratulatio et gratiarum actio. Ex multis personis, id est, a multis, Idiotismus est Hebraicus. Sic *διὰ πολλῶν*, id est, per multitudinem, vel propter.

Nam gloriatio nostra.) *Καύχησις*, aut pro gloriatione aut pro fiducia, Vertröſten. Hoc loco in bonam partem capi potest. Respondet enim per Antypophoram: Ego vero nihil glorior, neque ex confidentia hoc loquor. At hoc certo scio, magna cum fide me praedicasse evangelium. Quandoquidem autem bona conscientia nihil iucundius, summa cum fiducia vobiscum loquor.

Non enim alia scribimus.) Mendacem aiebant esse apostolum pseudapostoli, quod pollicitus esset venturum se cum virga, et non venisset. His sic respondet: Quae prius scripsi, adhuc scribo, quod autem non veni, non mea culpa factum est, sed deo sic ordinante et alio dirigente iter meum.

Spero autem quod usque ad finem quoque agnoscetis.) Experti estis fidem meam, dilectionem et sollicitudinem erga vos. Contra, ego fidem ac dilectionem vestram erga me, ita ut ego vobis, et vos mihi plane sitis cogniti ac perspecti. Nec desinam talis esse erga vos,

qualem me olim estis experti, donec simul alter alterius gloria, in die domini laeti excipiamur.

Geminam inirem gratiam.) Χάρις, pro dono et beneficentia in hac et priori Epistola saepe ponitur. Ut duplici officio vos demererer: altero quod evangelium primum apud vos praedicarim; altero, quod denuo veniens, vos consolarer ac confirmarem. Seu ut altero beneficio vos afficerem, nempe, quod rediens ad vos, quae primum exstructa erant, instaurarem. Non enim minor est virtus parta tueri, quam primum parare.

Hoc igitur quum in animo versarem.) Nemo me levitatis accuset, iuxta spiritum enim haec constitueram, non temere aut inconsulto, nec carnali quodam affectu ad hoc adactus. At nequaquam in mea situm est potestate, ut cum etiam dicam, etiam praestem, sed in domino, qui nostros gressus moderatur pro sua voluntate. Solus deus neque fallit, neque fallitur, nam is solus immotus est, et immutabilis. In hoc vero fidelis est deus, quem testem conscientiae meae invoco, quod haec quae apud vos praedicavi, non fuerunt etiam et non, hoc est, quod praedicavi etiam esse, fuit etiam. Rursus, si praedicavi aliquid non esse, non fuit. Nam Christus quem inter vos praedicavi, non est etiam et non, hoc est, non est inconstans, sed firmus et fidelis. Quod si ego me venturum promisi, nec tamen veni, nihilominus hoc etiam quod dixi, etiam in ipso est, nimirum ipso impediente et melius quiddam providente. Nec tamen ego mentitus sum, nam dum haec pollicebar, nullo dolo malo, nulla fraude usus sum. Quae ergo in ipso polliceor, aut promoventur aut impediuntur, pro ut ei visum fuerit.

Qui vero confirmat vos.) Sive venero, sive minus, non est quod magnopere doleatis aut turbemini, non enim supra me aedificati estis, sed supra deum per Christum. Deus est qui et me et vos supra Christum, solidam petram aedificavit. Qui quidem Christus (nam ludit in nomine Christus) nos unxit, obsignavit et confirmavit. Quae enim obsignantur, certa redduntur. Deditque arram spiritus in corda nostra. Et pulchre per Anagogam a sponsaliis ad animae cum deo desponsationem ascendit. Si ergo in illo estis firmi, nihil oberit, etiamsi nunquam ad vos vel veniam vel scribam.

Testor deum.) Hac ratione non veni ad vos, ne vos turbarem, volui enim vobis parcere, et huius deum testem voco. Diceret aliquis: Tunc sic in nos dominaris et potestatem exerces? Usque adeo metuendus et formidabilis nobis existis? An non ministri sumus, non domini? Illis commoda Antypophora occurrit Paulus, inquiens.

Non quod dominemur.) Quae loquor, non in hunc usum loquor, ut vobis dominari velim, aut ut dominus sim fidei, id est, religionis vestrae; sed quod facio, officii mei est, nam quandoquidem evangelium vobis praedicavi, haudquaquam minimus sum in ecclesia vestra. Si venissem, utique cum virga venissem, exclusissem fornicarium illum, nam hoc cum officium meum, tum impudens illius flagitium expostulasset.

CAPUT II.

Sed decrevi.) Hoc statueram, ut veniens gauderem vobiscum, admisso scilicet scelere, priusquam venirem, expurgato.

Quis est qui exhilaret me, nisi is qui moerore afficitur ex me?) Vestri apostoli vobis dominantur, vobisque oppressis et moerore affectis, ipsi gaudent et saginantur. Ego haudquaquam sic animatus sum. Nam etiamsi aliquando cogor correptionis amarum pharmacum adhibere, propter eos qui flagitiosi sunt, sicque moerore quosdam afficere, ego tamen non minus dolore tangor, non minus moerore afficior, neque exhilarari possum, nisi vos qui dolorem cepistis, moerorem ponatis, hoc est nisi gaudium capiatis ex his qui emendati sunt. Quemadmodum enim pater non sine gravi animi cruciatu, peccantem filium percutit ac moestum reddit, rursus castigato et emendato filio, summo gaudio afficitur: Ita et ego si quando contristor et sceleribus vestris provocatus, durius vobiscum agere compellor, consolationem et solatium recipere non possum, donec castigatos et correctos videro eos qui et vos et me in moerorem coniecerunt.

Gaudium meum omnium vestrum sit.) Hoc certo mihi persuadeo, moerorem meum vobis esse communem, commune item et gaudium, siquidem eundem spiritum habetis mecum.

Nam ex multa afflictione.) Amor meus in vos, et tanti flagitii odium ita in me simul pugnarunt, ut non sine anxietate et dolore lachrymas mihi expresserint. Non ergo ex levitate aut curiositate haec scripsi, sed ex caritate et necessitate, nam hoc officii mei erat, erat amoris. Si vos non amarem, si nullam pro vobis curam gererem, sinerem lolium, zizaniam et scelus crescere.

Non ut moerore afficeremini.) Ego quidem non in hoc scripsi vobis, ut tristes vos redderem, sed ut e medio scelus tollerem. Quod si vos ex hac mea admonitione dolorem et moerorem cepistis, vos in culpa estis, non ego. Vehementer tener et infirmus est, qui monentis vocem sine dolore ferre non potest; huius vos pudere debet, multo enim maxime gaudere deberetis talem vos habere apostolum, qui summa fide et constantia sceleribus obstare non cessat.

Ne aggravem vos omnes.) Hunc ego iussi ut excluderetis, ne cogerer aliquando vos simul omnes acerbius corripere.

Efficite ut in illum valeat caritas.) Ἀγάπην, pro condonatione ponit, Begnadend jn wider, verzyhends jm, ſchenckends jm. Nam et ego condonavi atque condono, idque in conspectu Christi, hoc est, bona conscientia, ne quis me levitatis arguat. Non secus ago, quam si Christus ipse coram assisteret spectator. Quod igitur vobis placet, et mihi placebit. Quod si qui sunt adhuc quibus hoc non placet, videre hi debent, ne nimia severitate fratrem perdant.

Ne occuparemur a satana.) Ἵνα μὴ πλεονεκτηθῶμεν, Das wir nit überliſtet wurdind, vervorteylet, hoc est, ne circumveniremur aut caperemnr. Videri fortassis possem aliquibus nimis facilis, et aequo indulgentior aut propensior, sed quod ago non ex affectu et temere ago, sed iudicio. Astus satanae mihi perspecti sunt. Non enim a

dextris tantum, hoc est voluptate et prosperitate, sed a sinistris quoque, hoc est, moerore et desperatione nos tentat, seducit, ac praecipitat. Prius nimium fuistis misericordes quum ego essem severior, iam me indulgente quidam inter vos crudeliores sunt; utrinque ergo peccatur, et nimia indulgentia et nimia austeritate; modus adhibendus est, et caritatis regula.

Quum Troadem venissem.) Perstat in sui purgatione, quod ad eos quemadmodum promiserat, non venisset, quodque hoc dei consilio non levitate factum sit.

Deo autem gratia qui semper triumphat.) Apparet Paulum non nihil passum in Troade, liberatumque a domino, evangeliumque ex hac afflictione promovisse.

Odorem notitiae suae manifestat per nos in omni loco.) Si contingat aliquando, ut verbi minister fugere cogatur, fit hoc, ut et in aliis locis deus suum evangelium manifestet, ut ubique odor verbi sui diffundatur. Venusta autem est Metaphora, a rebus suave olentibus tracta, quarum odor alios refocillat, alios enecat. Evangelium unguentum illud est suave olens et fragrantissimum, quod per nos undique circumfertur, non nobis sed deo. Et hoc quidem aliis mors est, aliis vita, aliis probatur et placet, ab aliis reiicitur et blasphematur, quod et Symeon testatus est, quum diceret: Christum quibusdam in resurrectionem, quibusdam vero in ruinam esse positum. Et haec in consolationem dicuntur eorum, qui verbum dei sincere praedicant, qui veritatem et iustitiam asserunt; nam hi quantumvis sint sinceri, fieri tamen non potest, quin aliquibus odio sint, aliquibus male oleant.

Et ad haec quis idoneus? Non enim sumus ut plerique cauponantes verbum dei.) Commoda Anthypophora, praeoccupat eos qui obiicere potuerunt: Tunc idoneum te ad ingens hoc negotium censes? Respondet Paulus: Ego de idoneitate nihil iacto, sed de fide glorior, fidus sum in negotio mihi commisso, nec facio, ut plerique qui cauponantur verbum dei, humana divinis permiscentes (perstat autem in Metaphora, in rebus enim odoriferis et preciosis καπηλεύειν in primis locum habet) et suo stercore verbum dei vitiantes. Ego vero sincero pectore et summa cum fide verbum dei ex deo profectum praedico, non in alicuius gratiam, nec odium, non minis aut metu a praedicatione veritatis absisto, non quaestum, non gloriam venor, sed sic ago omnia, ac si deus ipse iudex incorruptissimus coram assisteret.

CAPUT III.

Incipimus nos ipsos rursus commendare.) Sic enim aiebant pseudapostoli: Nonne videtis Paulum nihil aliud agere, quam sese commendare? cur toties scribit, nisi ut sese apud vos magnificiat? Occurrit his Paulus, dicens: Rursus me ipsum commendo, ut vestri apostoli dicunt. Quasi vero commendatitiis Epistolis apud vos (ut nonnulli) egeamus, aut ut a vobis Epistolis apud alios commendemur. Epistolis huiusmodi nihil opus est nobis, opus ipsum quod operati

sumus commendet nos. Corinthum urbem tot vitiis et sceleribus obrutam, tot deliciis et voluptatibus absorptam, per evangelii praedicationem e faucibus diaboli eripui, adque Christum converti, a vitae impuritate, ad puritatem et innocentiam traduxi, qui prius idolis et daemonibus servierunt, ad verum unius et veri dei cultum pertraxi. Ita ut qui prius a cognitione dei alieni erant, iam in omni sermone et cognitione ditati sint, ut etiam eorum fides ceteros ad agnitionem dei pelliciat. Hae sunt literae quas pro mei commendatione, sicubi opus est, depromo et demonstro. Fides et pietas vestra quae passim ab omnibus cernitur et sentitur, satis declarat, apostolus sim an minus. His verbis occulte fidem illorum, pudoris obprobratione quasi excitat et exstimulat. Quasi diceret: Siquidem fideles estis, fructibus dignis vitaeque innocentia id declarabitis, ita ut omnes palam videant, verbum per me apud vos praedicatum, non sine fructu seminatum fuisse. Hac ego laude abunde satis contentus sum. Si vero fideles non estis, pudere vos merito oportet, me tanto labore tantoque tempore frustra apud vos laborasse. Officium ergo meum quum me commendet, nihil egeo literis vestris, quibus me apud alios commendetis. Nec vos egetis meis literis quae me apud vos commendent. Pulchre ac clam taxat pseudapostolos, qui literis commendatitiis clari evadere nitebantur.

Non atramento, sed spiritu dei.) Ut plane intelligatis quid velim, quod dixi vos Epistolam meam esse; nam non loquor de membrana aut charta aliqua, quae literis aut atramento sit deformata, sed vos vice paginae fuistis mihi, Christus vero per spiritum suum dictavit, quod animis vestris, veluti tabulis imprimeremus.

Cordibus carneis.) Cor carneum hic in bonam partem capitur, pro obtemperanti et docili, opponitur enim pulchra antithesi cordi lapideo, id est, pervicaci et contumaci. Alludit autem apostolus ad legem Mosaicam, quae in tabulis lapideis exarata et exsculpta erat. Evangelium vero non tabulis inscriptum est, sed cordibus infixum.

Fiduciam autem huiusmodi habemus per Christum erga deum.) Non arroganter, sed vera et sincera conscientia glorior, Evangelium per me vobis esse praedicatum, non quod mihi hinc gloriam vendicem, aut quod me ad hoc munus idoneum censeam et sufficientem; si enim idoneus sum, ex deo idoneus sum, non ex me ipso, qui ne cogitare huiusmodi quidquam possim, ne dicam efficere.

Litera occidit, spiritus vivificat.) Posset quis dicere: Num deus aliud testamentum condidit? Respondet Paulus: Quod me dixi ministrum novi testamenti, non in hoc dixi, quasi deus alius sit factus, aut aliud testamentum condiderit, sed quod vetus testamentum aliud nihil erat, quam litera qua occidebamur, ut: Non concupisces; Christus vero per spiritum suum in corde vivificat credentes. Quandoquidem enim plenus concupiscentiarum est homo, non potest non exhorrescere et totus concidere dum audit hanc vocem: Non concupisces, donec spiritus patris coelestis in cor eius datus fuerit, qui eum rursus animat, refocillat, et plane vivificat; hoc fit ostensa et credita misericordia dei, quam nobis in Christo dilecto filio suo pollicitus est et praestitit. Nam hoc est evangelium quod reficit, et exhilarat desperabundas conscientias.

Huius ministrum se esse dicit Paulus, quemadmodum Moses occidentis literae minister fuisset. Perstat autem Paulus in sui excusatione, ne quis putet eum supra modum gloriatum fuisse, quum superius dixisset se cum sinceritate docuisse, nec cauponasse verbum dei. Quod palam, inquit, tanta cum fiducia παῤῥησιάζομεν, libere loquimur, nemo iactantiae adscribat. Puto enim officii mei esse, aperte omnia et clare, et dicere et agere. Qui malis utuntur artibus, lucem odiunt ac fugiunt, ne opera eorum mala deprehendantur. Ego minister sum dei, non secus ac olim Moses fuit. Conscientia igitur bona fretus, cum fide et summa libertate iniunctum mihi officium expleo. Quandoquidem ergo dei est, non meum quod ago, puto id in primis requiri, ut fideliter, sincere, et clare a me omnia tractentur.

Quod si administratio mortis.) Anagoga utitur cum metaphora. Sensus est: Si Moses retecta facie literam legis occidentem, populo Iudaico proposuit, cur mihi verbum vitae et spiritus non licebit aperte et clare vobis ingerere? Administrationem mortis et condemnationis legem vocat, quae docet et ostendit nos mortuos esse et condemnatos; administrationem vero iustitiae, gratiam, quae iustitiam subministrat, non nostram, sed iustitiam Iesu Christi, quae nostra facta est; nam illam Evangelium praedicat, illam praedicant apostoli. Lex ergo peccatum, mortem, ac condemnationem ostendit; Evangelium gratiam, vitam, ac iustitiam donat. Maior ergo gloria ac maiestas Evangelii quod nos praedicamus quum sit, quam legis per Mosen exhibitae, quumque lux sit aeterna ac vivifica, cuius comparatione legis gloria ne gloria quidem est, multa libertate et claritate utimur in dicendo, sive vestris sceleribus obsistendum sit, sive autoritas mea asserenda. Cur enim aut celarem, aut quae vera esse agnosco non libere proloquerer? Moses velum super faciem ponebat, obcaecationem nimirum Iudaeorum significans; nos lucis ministri clare et retecte omnia exponimus.

In finem eius quod abolebatur.) Superius dixerat: adeo ut non possent oculos intendere filii Israel in faciem Mosis, propter gloriam vultus eius quae aboletur. Quae sententia eadem est cum ea quam iam posuimus. Mosen autem aboleri aut gloriam Mosis, metonymia est, ac si diceret: Lex quae per Mosen data est abolebitur. Egressio autem est tacita, qua Paulus omnia legis Mosaicae exteriora reiicit, taxatque eos qui ad opera legis pelliciebant, aut qui pro ceremoniis legis digladiabantur.

Obcaecati sunt sensus illorum; nam usque in hodiernum diem idem velamen in lectione veteris testamenti manet, nec tollitur velum, tametsi per Christum sit abolitum.) Velum super faciem Mosis, significabat Christum adhuc non esse retectum. Et adhuc hodie idem tectorium manet nec retectum est Iudaeis, tametsi per Christum retectum sit. Nec solum Iudaeis, sed et his qui Christi nomine gloriantur, ceremoniis tamen Iudaicis et rebus externis fidentes; nam iidem non Christiani, sed plane Iudaei sunt. Qui Christum veram lucem clare agnoscunt, illis omnis tenebra discussa, et omne velum ademptum est in lectione veteris testamenti. Nemo non errat, qui

Christum non adhibet. Qui Christum recte didicit, face fidei praeeunte nusquam aberrabit, quantumvis tenebrosa et obscura quaedam videantur.

Quum legitur Moses, velamen cordibus illorum impositum est; at ubi conversi fuerint ad dominum, tolletur velamen.) Sensus verborum satis expositus est in praecedentibus. Tropus autem est, quum dicit: Moses legitur, pro lex legitur, quae per Mosen data est. Item quum dicit: Ad dominum conversi, per Antonomasiam Christum intelligit.

Porro, ubi spiritus domini, ibi libertas.) Alio argumento probat, sibi licere libere et retecte loqui. Quemadmodum enim ventus libere vagatur, nec ullis receptaculis includi potest; ita et spiritus dei liber est, nec ullis legibus adstringitur. Est autem anagoga a vento ad spiritum dei. Quasi diceret: Deum vobis praedico, deum vos (siquidem fideles estis) in corde habetis; clare ergo et libere vobiscum loquar, nihil simulans, nihil dissimulans. Qui per spiritum dei renati sunt, novi homines sunt, non ergo debent esse neque obscuri, neque hypocritae.

Nos autem retecta facie.) A speculo sumpta metaphora, idem probat anagoga, a speculo ad dei claritatem ascendens. Sensus est: Quum nos sincera fide deum contemplamur, fulgore lucis suae in eandem claritatem transformamur, alio enim spiritu superinduimur, alia claritate illustramur. Qui enim dei immensam bonitatem ac misericordiam, qua nobis proprium filium exhibuit, recte perpendit, nova quadam luce perfunditur.

CAPUT IV.

Propterea quum ministerium hoc habeamus, ut nostri misertus est deus, haud degeneramus, sed reiecimus occultamenta dedecoris.) Quum ergo deus evangelii sui me voluerit esse ministrum, idque non meo merito, sed sua gratia, non committo ut quis me avocet, non lassesco, non ignavus sum, sed strenue quod commissum est, exequor, reiectis ac contemptis adversariorum probris, quae occulte mihi obiiciunt, ut a veritate absterreant. Libere et intrepide gloriam evangelii praedico; seu reiectis malis artibus et dolis, quibus occulte utuntur, qui sibi male conscii sunt.

Commendantes nosmetipsos, veritatis manifestatione apud omnem conscientiam hominum, in conspectu dei.) Ad superiora respicit, ubi epistolis commendatitiis se egere negaverat. Manifestatione veritatis, inquit, me omnium hominum conscientiis commendo; nam sicubi sunt, qui vel veritatis sunt cupidi, vel luce veritatis perfusi, plane agnoscunt me veritatem praedicasse; quam sic praedicavi, ut non solum homines non formidem, quod ad fidem attinet, sed nec deum ipsum.

Quod si velatum est.) Nihil moror eos, qui nec veritatem evangelii intelligunt, nec pacem et securitatem conscientiae sentiunt. Per anthypophoram enim his respondet, qui quum se inter fideles pro fidelibus venditarent, negabant se intelligere quae Paulus praedicabat; qua oratione se plane infideles et obcaecatos esse satis declarabant,

excaecante satana oculos eorum, quem Paulus saeculi huius deum vocat, eo quod filii huius saeculi eum sibi deum, relicto vivo et vero deo, fecerant. Sic et princeps huius mundi a Christo dicitur diabolus, quod per scelera et perfidiam sibi impios subiugasset.

Ne illucesceret illis lumen evangelii gloriae Christi, qui est imago dei.) Sermo est hyperbolicus, quo nobis immensam et ineffabilem dei patris misericordiam exprimit, et quasi ob oculos ponit; nam summum et excellentissimum quod deus habuit nobis donavit, filio donato, qui imago est patris (hoc iuxta divinam naturam intellige) unius eiusdemque tum naturae, tum essentiae cum patre. Hoc lumen, hic splendor piis mentibus infusus, ingenti eas gaudio ac consolatione afficit, impiorum oculos percellit ac praestringit.

Non enim nos ipsos praedicamus, sed Christum Iesum dominum.) Clam taxat eorum apostolos, qui suae gloriae quam Christi, magis studebant. Deinde etiam eis respondet qui dicebant: Cur nos non intelligimus quae dicis? Ministri sumus, inquit, non autores. Quod ergo tam libere loquimur et tanta cum autoritate, non fit ut nos magnifiamus, sed ut eius gloriam illustremus, cuius negotium agimus. Neque in me situm est, ut hi, quibus praedico, Evangelium intelligant; sed in dei virtute praedico Iesum Christum, quem nemo recipit, nemo intelligit, nisi pater deus revelet.

Quoniam deus est, qui iussit e tenebris lucem illucescere.) Species est hypotyposis. Eleganter enim adumbrat nos in tenebris, et umbra mortis fuisse, lucem et viam veritatis ignoravisse. Deum autem nostri misertum, qui est omnis lucis parens, e supernis demisisse filium suum veram lucem, quae nostras discutiat tenebras, caecitatem omnem propellat. Hanc lucem ego profero, et quemadmodum iussus sum, omnibus expono.

Qui illuxit in cordibus nostris.) Et multi quidem sunt, qui huius lucis splendore intus perfusi, cognitione gloriae dei illustrati sunt; nam hos per antithesim illis opponit, quos superius obcaecatos, et in quorum cordibus velatum esse evangelium dixerat. Et illos quidem sic illustravit, ut notam faceret eis cognitionem gloriae dei. Quae quidem gloria, clarissime in facie Christi relucet. Qui enim Christum recte norunt, facile vident eum claritatem dei esse.

Thesaurum hunc in vasis.) Quod supra lucem, iam thesaurum vocat. Egressio autem est, qua Paulus ostendit, pretiosum hunc thesaurum, cognitionem scilicet dei, per Christum commissum quidem esse apostolis, hominibus iuxta corpus, periculis et infirmitati obnoxiis, ut omnes homines intelligant, non esse nostrarum virium, sed potentiae et virtutis dei, si malis afflicti constanter perduramus, et mortem obire pro Christo simus parati; et cognoscant, non esse hominis, sed solius dei, lucem divinae cognitionis mundo inferre.

Mortificationem Christi.) Hoc est periculum mortis. Quemadmodum enim Christus mortuus est, resurrexit, et coelos ascendit; ita et nos mortis, resurrectionis et glorificationis certi sumus et indubitato persuasi, ut Christo ubique similes simus.

Semper enim nos.) Praedicare evangelium Christi, aliud nihil

est, quam semper stare in procinctu Martis; sed sic manifestabitur in nobis et vita Christi, ut in priori capite decimo quinto. Praedicatoribus ergo verbi, non solum mortis periculum, sed et mors ipsa quotidie imminet. Hoc tamen eos erigit, et consolatur, quod sciunt se aut a morte eripiendos, aut etiamsi neci dedantur, perpetuo victuros, imo in morte ipsam vitam inventuros. Mors autem praedicatorum, vitam ac fructum agit in auditoribus.

Ceterum quum habeamus.) Et ea quidem fiducia quam ex spiritu dei concepimus, facit, ut fidem intrepide cum capitis etiam periculo praedicemus, scientes quod is qui Christum a mortuis suscitavit, et nos suscitabit, hoc est, in vita servabit, nihilominus et corpora nostra suo tempore suscitaturus. Porro, servatos atque resuscitatos statuet nos deo, atque exhibebit simul, quicunque eundem spiritum hauserunt.

Omnia propter vos.) Quod evangelium constanter praedicamus, quod multis afflictionibus vexamur, totum fit propter vos, ut a multis deo agantur gratiae. Nam quo Christi cognitio, patrisque beneficium, per Christum mundo exhibitum pluribus innotescit, hoc illustrior et clarior redditur gloria dei.

Propterea non defatigamur.) Hoc facit, ut nusquam cessemus, nusquam lassescamus, nusquam cedamus, certi, quod nostro bono tentamur et affligimur. Corporis enim afflictio, spiritum exacuit; tribulationibus enim et pressuris, spiritus subinde renovatur, fides in deum augetur et confirmatur. Fingite vobis domus duas; alteram, quam demolitam oportuit; alteram, renovatam.

Nam leve hoc afflictionis nostrae.) Commoda et venusta est antithesis in Levi et Pondere. Brevis est, imo momentanea, sive ad aeternam vitam, sive ad perpetuum cruciatum conferas. Deinde, levis tribulatio, mirabilis est extenuatio, quum omnis tribulatio gravis sit.

Quae videntur, temporaria sunt, at quae non videntur, aeterna.) Per ea quae videntur, carnem, mundum, et quidquid in mundo est, intelligit. Aeterna, deum ipsum, qui invisibilis est; invisibilem ergo pro aeterno posit per antonomasiam.

CAPUT V.

Scimus enim quod si terrenum nostrum domicilium.) Metaphora a Nomadis tracta, qui subinde tabernacula transferunt ac mutant. Ad imbecillitatem, mutationem ac mortem corporis alludit. Quasi dicat: Tametsi hoc corporis domicilio nobis emigrandum sit, aliam tamen in coelis excellentiorem domum esse paratam, certo sumus persuasi. Quae quidem domus non manufacta est, sed aeterna. Idque nobis animum addit, ut omnes afflictiones etiam mortem ipsam magno cum gaudio feramus. Cur enim fugeremus, quod nos ruinoso hoc tabernaculo eximit, coelestibus mansionibus inducit?

In hoc gemimus superindui desiderantes.) Alia utitur metaphora a mutatoriis tracta. Suprema autem vestis pulchrior ac gloriosior est. Quasi diceret: Tantum abest ut mortem horream, ut etiam anxiis

gemitibus et desideriis expetam. Siquidem prius induti fidei veste, gloriae et claritatis divinae superindui desideramus.

Gemimus onerati, propterea quod nolimus exui, sed superindui.) Sensus est: Non opto mori ob id quod omnino exuar, quasi post hanc vitam non sit alia, nec sic, quasi me huius vitae poeniteat, sed ut meliorem et excellentiorem vitam acquiram, ut mortalitas haec ab immortalitate absorbeatur. Videmus hic errorem Catabaptistarum, qui dicunt animas post mortem dormire. Si haec vita, quae mors potius est, somnus non est, quomodo ea vita quae mortalitatem absorbet, somnus dicenda est?

Porro qui paravit nos.) Hoc desiderium suggerit nobis deus, maritus noster, qui nos spiritu suo, arrabonis vice sibi desponsavit. Est autem metaphora cum anagoga. Quasi diceret: Quod suspiramus et hinc emigrare cupimus, non impetu fit, aut affectu, non laboris impatientia, sed spiritus fiducia.

Itaque bono animo sumus semper, et scimus quod cum domi.) Fortes simus et impavidi quicquid inciderit adversitatis, scientes, quod in carne vivere, a deo est divulsum esse, et a patria peregrinari. Stulti ergo sunt qui sic corpusculum fragile amant, quasi domi iam sint, quum peregrini hic simus non incolae, et futuram inquiramus civitatem.

Per fidem enim ambulamus non per speciem.) Γὰρ pro tametsi poni puto, ut respondeat Paulus per anthypophoram his qui sic obiiciebant: Dixisti Paule nos deo esse desponsatos, cur iam peregre nos abesse dicis? Desponsati sumus, sed per fidem non per speciem. Adest nobis deus, et fide cernitur, sed olim clare a fidelibus conspicietur. Quare corpore hoc peregre abesse, et cum Christo cominus esse cupimus.

Quapropter contendimus, sive domi praesentes, sive foris peregre agentes, ut illi placeamus.) Haec est vox omnium fidelium, non enim dicit fidelis: Peccabimus ergo? Rom. 6. (Nam sic impii loquuntur) sed quotidie studet et contendit, ut sese innocentia et beneficentia superet, ut illi placeat cui se totum dedit. Hoc enim foedus est quod deus cum Abraham et omni fideli pepigit, quod quum ipse sit deus noster ut nos studeamus εὐάρεστοι αὐτῷ εἶναι, hoc est, ut sic vitam omnem componamus, ut illi soli placeat.

Omnes enim nos manifestari oportet.) Posteaquam apostolus eos fuisset adhortatus, ut amore dei (quo nos sibi desponsavit) tracti, innocenter et integre coram eo ambularent, hoc idem iam agit terrendo iudicii severitate. Sunt enim semper in populo, qui, quum a teneris deum vindicem esse malorum sint edocti, plus metuant quam ament, istis saepe lex inculcanda, et iudicium dei obtrudendum est. Sensus ergo est: Scio quidem plerosque esse apud vos, qui me cessatorem, insincerum, et iactatorem vanum esse clamant, sed vos interim me saltem infirmis et pessimis in plebe connumerate, qui iudicem horrent et metu poenarum abstinent a flagitiis. Quod si ego talis essem, qualem me hostes mei fingunt, scirem tamen haud quaquam iudicem illum me effugiturum, ante cuius tribunal aliquando sisti oportet.

Iuxta id quod fecit.) Hoc est, iuxta fructus fidei, aut infidelitatis, non quod operum sit merces aut fidei, sed gratiae et electionis divinae. Quod autem tam Christus ipse quam apostoli, operibus bonis mercedem pollicentur, malis poenam minantur, morem observant, quem prudens aliquis paterfamilias, qui filiorum suorum ingenio considerato ac perspecto, alios promissionibus ac donis allicit, alios poenarum metu terret. Deinde divinus spiritus nos ad ea plerumque remittit, quae nobis sunt notissima. Quid autem operibus notius? Ex operibus enim homo quemadmodum ex fructibus arbor cognoscitur. Bona opera fidei, mala perfidiae fructus sunt. Porro fides electionis, perfidia reprobationis certissima signa sunt. Quandoquidem vero et hypocritae bona opera nonnunquam simulant, fit, ut nobis saepe falsa pietatis specie imponant; iudicio vero dei, qui cordium abstrusa perspicit, quum sistentur, fallere nequaquam possunt. Tunc enim palam fiet, quae opera fide sunt facta, quae vero perfidia; iudicium ergo dei tam exactum, subire non veretur Paulus, ut se ostendat nihil dolo, nihil perfidia, sed summa cum fide omnia egisse.

Scientes igitur terrorem illum domini, suademus hominibus.) Terrorem hic pro religione capit, quemadmodum in Gen. cap. 31. audivimus, ubi Iacob dicit: Nisi timor Isaac adfuisset mihi, hoc est, metus ille et amor quo coluit pater meus deum etc. Quum mihi sum conscius religionis, ac fidei, qua deum vere sinceriter colo, huc omnes nervos tendo, ut omnibus hominibus, non solum suadeam evangelium dei, sed etiam quod ad me attinet, persuadeam. Hoc deus novit, cui omnia mea perspecta sunt; interim tamen nihil dubito, quin et omnium piorum conscientiis aeque sim cognitus. Haec non dico, tametsi vera sunt, ut me iactem, sed libere vobiscum loquor, ita ut res habet, ut illis, qui vos mihi infensos reddunt, commode respondeatis. Quod si vobis videmur modum excedere, cogitate magnitudinem morbi, remedii asperitatem efflagitare; si modum servamus, vobis parcimus. Omnia certe ad gloriam dei et vestram utilitatem.

Caritas autem Christi constringit.) Illud mecum reputo: Si unus pro omnibus mortuus est, et sua morte nobis vitam reparavit, omnes ergo ei vitam debemus, ut scilicet ei non nobis vivamus, sed parati etiam pro eo mori. Hoc facit ut vitam meam facile contemnam, nulli rei quantumvis magnae haerens, sed soli Christo innitens et fidens, non secundum carnem quidem, sed secundum spiritum. Tametsi enim caro Christi in mortem pro nobis sit tradita, non tamen sic carni eius haerendum est, ut salutem in ea sitam esse putemus, puta, si quis eam videat, tangat, comedat etiam.

Vetera praeterierunt.) Per vetera aut affectus et peccata intelligit, aut legis ceremonias et umbras. Christianus nova creatura est, nihil ergo ei commune cum veteribus istis, nempe, elementis mundi. At haec innovatio hominis non est ex nobis, sed ex deo, qui sibi voluit mundum reconciliare, idque per Christum Iesum filium suum; quod sic factum est, ut nostra natura suscepta pro nobis mortem obiret, fieretque hostia pro nostris peccatis, satisque faceret divinae iustitiae pro nobis. Et huius mysterii, huius reconciliationis, fecit nos ministros

deus, ut haec gratia dei per Christum exhibita, orbi per nostram praedicationem innotesceret.

Quandoquidem deus erat in Christo.) Ostendit Christum fuisse non nudum hominem, sed etiam deum, quantumvis esset humilis et despectus, dum inter mortales versaretur. Emphasim ergo habet, quod dicit deum fuisse in Christo. Neque enim deus in Christo fuit, quemadmodum in aliis omnibus rebus est, sed in ipso deitas corporaliter habitavit, id est, revera deus fuit Christus; neque enim salus nostra, neque vita esse posset, nisi deus esset. Qui quidem Christus, qui simul deus fuit, pro nobis mortuus est, per cuius mortem mundum sibi reconciliavit pater, hoc est, propter Christum peccata nobis non imputat.

Legatione fungimur.) Nos non sumus reconciliatores, sed ministri tantum, per quos hanc reconciliationem voluit annunciari pater. Officium ergo nostrum est, et admonere et obsecrare Christi nomine, ut posthac ei vivatis, qui vos deo per mortem suam reconciliavit.

Eum qui peccatum non novit, pro nobis peccatum fecit.) Enallage est, ponitur enim peccatum pro peccati expiatione, qui mos Hebraeis frequens est. Peccati enim hostia Christus factus est, ut nos iustitia dei efficeremur per illum, hoc est, ut vere iusti efficeremur (ponitur enim res pro persona) idque non nostra iustitia, sed Christi, 1. Corinth. 1.

CAPUT VI.

In hoc capite enumerat Paulus, quae sibi in legatione sua acciderint.

Quin et adiuvantes.) Συνεργοῦντες omnibus viribus laboramus et conamur, admonentes ne gratiam dei in vanum receperitis. Accipit autem hic χάριν gratiam pro dono gratuito, quo eis a deo evangelium revelatum est. Evangelium audivistis, ne igitur committatis, ut frustra et sine fructu sit auditum, ne contemnatis tantam dei gratiam; resipiscite, et fructus evangelio dignos ferte. Quod si quis dixerit: Quando est tempus resipiscendi et bonum operandi?

Ecce nunc tempus acceptum.) Tempus salutis est, dum afflictis salus opus est, et a deo succurritur. Nemo differat, nemo procrastinet poenitentiam; nam hos increpat propheta.

Commendamus nos ipsos ut ministri.) Plerique apud vos mihi vitio vertunt liberam illam gloriationem, qua utor erga vos, iactationem esse dicunt, si quo modo me vere commendem. At ego ministerium meum sic commendo, ut palam appareat, me esse ministrum dei; atque sic vivo, ut ministerium meum vituperari nequaquam possit.

In spiritu sancto.) Simplici et puro animo, Mit frommem geiſt, mit guter meinung; qui fide digno dei spiritu illustratus est.

In sermone veritatis.) Hebraismus est, id est, vero sermone; quae loquor vera sunt, non mentior.

In virtute, aut potentia dei.) Aut de miraculis intellige, quae deus per eum operabatur; aut δύναμιν intellige ut supra in priori

Epistola. Ut sit sensus: Nusquam cesso, potentia dei fortis sum et strenue exequor officium meum.

Per arma.) Metaphora sumpta a forti aliquo et strenuo milite, qui non cedit, sed fortiter et strenue pugnat. Pugno, inquit, sed non carnalibus armis, sed spiritualibus undique circumcinctus et tectus sum. A sinistris et a dextris enim pro undique ponitur semper, seu omni armorum genere.

Per gloriam et ignominiam.) Scio apud plerosque nomen meum male audire, at ego perrumpo, nihil curans sive illorum laudes sive convitia, scio omnia illa facere ad dei gloriam et mei humiliationem.

Multos ditantes.) Per praedicationem scilicet evangelii. Hae enim verae sunt divitiae, veri thesauri, dum praedicamus haereditatem filiorum dei paratam nobis esse in coelis.

Omnia possidentes.) Dominamur omnibus huius mundi rebus, non servimus.

Os meum apertum est.) Pulchre eorum obiectionem eludit, qui dicere potuerunt: Iterum te supra modum laudas Paule. Verum est, inquit, sed parcite quaeso, cor enim meum gaudio immenso dilatatum est, ita etiam ut ore aperto erumpere gestiat, nec sese continere possit, quin se totum effundat. Ludit autem a membrorum pectoralium habitu, quae aut gaudio dilatantur, aut moerore constringuntur.

Ne sitis angusti erga nos, sed angusti este in visceribus vestris.) Quum ergo tam aperte et libere vobiscum loquor ut et corde et ore sim dilatatus, ne sitis vos angusti animi erga me, sed in vestris affectibus sitis angusti, (nam σπλάγχνα hic in malam partem accipit) hos contrahite et comprimite, ne quo modo erumpant. Ut pater erga filios, sic ego in vos sum affectus; vos igitur amori meo, ut filii carissimi, respondeatis.

Dilatemini, et vos ne ducatis iugum.) Per occasionem a latitudine et angustia ad iugum infidelium deflectit. Apparet fideles tum incoepisse matrimonium contrahere cum infidelibus; occasione nimirum capta ab his quae Paulus cap. 7. de impari connubio disseruerat, quum tamen Pauli verba de contracto matrimonio, non de contrahendo sint accipienda. Dehortatur ergo Paulus eos, ne se cum impiis et infidelibus iungant, quod nulla sit iustitiae cum iniustitia societas, nulla conventio. Vos (ut supra dixi) iustitia dei estis per Christum. Quid igitur communicatis cum iniustitia? Vos lux estis in domino, quid vobis commune cum tenebris? Templum item dei (quod estis vos) nullam societatem habet cum idolis, quemadmodum enim in templo externo dei nulla sunt idola, quae tamen Gentes in aedibus suorum deorum habent; ita et vobis, qui templum dei verum et sanctum estis cum simulacris et cum idolothytis nihil debet esse commercii.

Ego inambulabo.) Testimonia scripturae adducit, quibus probat nos templum esse dei, deumque habitare in nobis. Ego inambulabo, inquit deus, hoc est, non longe abero, sed ero in medio vestri, id est: Ich wil ſyn als üwer einer. Tam familiarem se nobis facit deus. Ero adiutor vester, protector et servator; quidquid deest, ego sarciam, (hoc enim est esse deum) ea tamen lege, ut et vos populus meus sitis.

Hoc enim in foedere continetur. Ad Philippenses eandem sententiam sic exprimit: Dominus prope est, nihil solliciti etc.

Exite ergo de medio eorum.) Sed quomodo praedicabunt infidelibus, si exire non manere iubentur? Exire hic pro se mundum servare significat, ab inquinamento eorum, cum quibus habitas. Deinde, si resipiscentiae nulla spes est, etiam corpore ab eis exire, ut Christus praecipit Matth. 10. Hoc enim exponit, quum dicit: Nolite tangere immundum. Si tam impuri et obscoeni sunt, ut nulla sit spes, exi, et noli cohabitare impiis. Exponit autem obiter Paulus per allegoriam, quid hoc praecepto voluerit deus, quo Iudaeis ne immundum tangerent, interdixit.

CAPUT VII.

Mundemus nos.) Hic per anagogam altius ascendit. Quasi dicat: Non solum volo ut non ducatis iugum cum infidelibus, imo in omnibus negotiis, in omni actione, date operam, ut puri et mundi sitis, idque per gratiam eius qui nos purificavit. Per spiritum autem intellige animam hominis seu mentem. Mente quoque puri simus; nam totus homo et corpore et anima impurus est, nempe caro. Et spiritus dei impurus esse non potest. Neque enim satis si corpus abluas ut purum sit, mente cogitationibus et pravis studiis contaminata, imo mens Christiani hominis, sanctis et puris cogitationibus assuescat.

Perficientes sanctimoniam.) Nemo hic perfectionem talem somniet, quae sit sine omni labe, neque enim Paulus hoc vult, sed admonet, ut qui ex familia dei sunt, quemadmodum filiis dei conveniat ambulent ac versentur. Quasi diceret: Qui deum timent, hoc est, qui fideles sunt, studeant sese quotidie purgare ac sanctificare, contendunt ad vitae innocentiam ac sanctitatem. Nam hoc agit in eis fides custos oculatissimus. Timor dei, semen est dei, quod qui habuerit, purificat se, quemadmodum et ille purus est, 1. Ioan. 3. Haec est perfectio sanctorum, id est, fidelium.

Capaces estote nostri.) Id est: intelligite, capite me. Ludit autem in verbo dilatandi, ut supra. Non sitis angusti erga me, sed lato corde: ad vitia et affectus claudite viscera, erga me dilatate et aperite cor. Quod enim aliud vult capere, aperitur et dilatatur.

Neminem laesimus.) Posset aliquis dicere: Quid? num tu tam perfectus es? num tu tam sanctus? Perstat enim Paulus in excusatione sui contra adversarios, qui eum plus aequo gloriabundum calumniabantur. Respondet igitur anthypophora ad obiectionem: Ego neque sanctitatem neque perfectionem iacto; hoc tamen scio, me neminem neque laesisse, neque corrupisse, sed praedicasse ad aedificationem. Ego neque vitam neque mores alicuius corrupi, neminem fraudavi. Neque hoc dico, ut vos condemnem, aut contemnam, aut quod vos corde abiecerim; nam ut prius dixi, estis in corde meo ad convivendum et ad commoriendum. Vestra vita mea vita est, vestra mors mea mors est, sed fiducia erga vos tanta est, tanta παῤῥησία. Tantum autem abest ut vos condemnem, ut ubique de fide et constantia vestra

glorier, multamque consolationem habeam in vobis. Vos in omni afflictione et tribulatione mea gaudium meum et consolatio mea estis.

Etenim quum venissem in Macedoniam.) Exemplo probat quod dixit. Sed de hoc vide Act. 16.

Caro nostra.) Carnem hic pro toto homine accipit; nam caro foris affligebatur, spiritus intus angebatur ac horrebat. Verum qui consolatur humiles, id est, pressos et afflictos, consolatus est et nos.

Nam etiamsi contristavi.) Dolueram primum, quum audirem vos ex epistola mea contristatos, volebamque non scriptam; iam iterum gaudeo, nollemque non scriptam, quum audio studium vestrum et sollicitudinem vestram.

Sic ut in nulla re detrimento sitis affecti per nos.) Ego ex officio meo ut episcopus et pastor tenebar, ut vos increparem, quod si non fecissem, magno damno fuissetis affecti, idque mea negligentia.

Qui secundum deum est dolor.) Non est ut severitatem quandam aut hypocrisim personatam adsciscamus, sed quod nobis ipsis displiceamus, atque dum increpamur, id aequo feramus animo, scientes id fieri ut resipiscamus. Omnes enim sic affectibus dediti, imo obruti sumus, ut gravatim increpationem admittamus.

Si quid apud illum de vobis sum gloriatus.) Gloriatus aliquando sum de vobis erga Titum; interim hoc scelus in vos irrepsit, parumque abfuit, quin pudefactus fuerim. At cum Titus ad vos venit, reperit vos tales, quales vos erga eum commendaveramus, atque hoc me singulari quodam gaudio afficit; obedientes enim fuistis, et cum tremore ipsum excepistis; audeo ergo et posthac cum fiducia de vobis gloriari.

CAPUT VIII.

Certiores vos facio.) Hoc capite de collectis loquitur, quae Hierosolyma mittenda erant. Monet autem Corinthios ad beneficentiam exemplo Macedonum; declarans Macedones sic fuisse promptos, ut eum quasi coegerint, ut in subsidium sanctorum aliquid ab eis acciperet, qua propensione Corinthiis proposita, eos ad idem faciendum provocat. Χάρις autem hic gratiam, donum, beneficium significat, quod qui benefacit, hoc gratia dei motus facit.

Per multam probationem.) Quo magis tribulationibus premuntur, et probantur, hoc magis gaudent, hoc magis egenis opitulantur et benefaciunt. Ostendit autem eorum liberalitatem. Liberales enim gaudent, si quis eorum bonis iuvetur. Avari contrahuntur et moesti redduntur. Simplicitatem hic pro innocentia, sinceritate et integritate capit. Quod ad divitias attinet, pauperes sunt, quod ad gaudium et beneficentiam, ditissimi.

Societatem ministerii.) Κοινωνίαν quam capite decimo prioris epistolae interpres communicationem et participationem, hic societatem, vertit; quum superiori loco societas, hic participatio magis quadret.

Imo quemadmodum ubique.) Ἀλλὰ pro νὺν δέ. Nunc autem.

Non secundum imperium loquor.) Hic locus satis obscurus est. Sensus tamen is videtur esse: Non exigo quasi imperans vobis, nec

compello quenquam ad id quod non possit, sed exemplo Macedonum vos provoco, ut ultro ingenuitatem vestram declaretis. Sic enim videntur sonare Graecanica: ἀλλὰ διὰ τῆς ἑτέρων σπουδῆς. Quasi dicat: Vos ab aliorum diligentia et exemplo discatis. Vel, ut ceteros quoque ad studium benefaciendi exemplo vestro provocetis.

Qui multum habuit.) Huius loci expositionem in Annotationibus super Exodum explicavimus capite 16.

Cuius laus in evangelio.) Quis hic fuerit, incertum est. Commendat autem hos. Ubi discimus, non temere vagum quenque recipiendum esse, nisi ecclesiarum commendatione et testimonio sit probatus.

Ne quis nos carpat.) Quod hanc eleemosynam non uni committimus, ob id facimus, ut omnem malam suspicionem amputemus calumniatori. Nam tametsi Titus talis sit, cui negotium tuto satis committi possit, nolumus tamen committere, ut cuiquam ansa detur calumniandi. Nec solum coram deo honesti volumus esse, sed et coram hominibus.

In conspectu ecclesiarum.) Hoc est, vos perinde facite ut aliae ecclesiae.

CAPUT IX.

Nam de subministratione.) Exhortatur ac exstimulat Corinthios ad munificentiam in sanctos qui Hierosolymis degebant, sumens ansam ab eo, quod de eorum promptitudine apud Macedones esset gloriatus, quodque studium eorum plures etiam exstimulaverit.

Ut ne dicam vos.) Qui alium commendat, falli potest; at qui laudatur, si fallit, culpa eius maior est, et maior pudor. Quasi diceret: Hoc argumentum gloriationis vestra magis refert quam mea; date igitur operam, ne imparatos vos inveniant.

Et non tanquam fraudatio.) Duplex sensus est. Ne parci sitis, divites enim estis, curate ergo, ut donum sit liberale. Hoc enim εὐλογία significat, non πλεονεξία, Fündigkeit. Aut ut ultro detis et liberaliter, ne quis spolietur, ne quis cogatur.

Dispersit.) Quemadmodum is, qui pius est, hilariter et laeto corde dat, ita et iustitia eius indies augetur et crescit innocentia, duratque perpetuo.

CAPUT X.

Ceterum ego Paulus.) Obsecrat Corinthios, ne his credant, qui autoritatem suam apud eos elevabant, sed potius fidem et diligentiam, quibus apud eos praedicaverat, considerent.

Humilis quidem inter vos.) Ad eorum morem loquitur, qui ei hoc improperabant, quod audacius scriberet, cum alioqui abiectus sit et humilis, quasi vero apostolus non latius progredi deberet, quam is velit cui praedicatur.

Rogo autem vos.) Sic vitam omnem componite, ne audacia hac quam mihi tribuunt pseudapostoli, opus sit cum venero. Nam si reperero vos sceleratos, audax ero, non minus praesens, quam Epistola absens.

Nam in carne ambulantes.) Tametsi in carne sum, non tamen iuxta carnem ambulo, nec milito pro carnalibus, praesertim hac in re, sed pro gloria dei. Nec ad hanc pugnam ignavi sumus et imbecilles, quantumvis nos contemnant pseudapostoli, sed robusti et instructi armis, non ferreis, sed spiritualibus, quibus quicquid contra deum erectum est demolimur, quo multos imperatori nostro subiiciamus. Nec moror eos qui mihi audaciam obprobrant, imo mihi gloriae duco, si de contumacibus et rebellibus vindictam sumam, idque non solus faciam, sed communi consensu omnium vestrum ὅταν πληρωθῇ ὑμῶν ἡ ὑπακοή, si impleta fuerit obedientia vestra, ut exponatur ὅταν pro: si, vel ut, si modo officio vestro non deeritis, vel ut probetur obedientia vestra.

Quae in conspectu sunt, videtis.) Ex his duntaxat me iudicatis, quae praesentia sunt, quaeque adversarii mei de me dicunt, qui me apud vos odiosum reddere laborant.

Si quis de se ipso confidit quod sit Christi.) Si Christi estis, expendite officii mei esse, ut acriter scelera increpem et castigem, nam et ego minister sum Christi, in hoc vocatus, ut quicquid contra deum erectum est demoliar; si ergo spiritu dei praediti estis, facile videtis gloriationem nostram, neque nimiam, neque vanam esse. Omnia enim pro vestri aedificatione facio, quum alii interim doctrinis variis vos destruant et corrumpant.

Non sustinemus.) Minaces mittit Epistolas quibus vos terret, verum cum aderit, videbitis eum sui similem non esse; sic de me loquuntur pseudapostoli vestri. At nolo ut me suo pede metiantur, qui etiam dum adsunt flagitia vestra ne attingere quidem audent.

Usque ad vos pervenimus in evangelio.) Haec fortassis causa est, ob quam isti nos reprehendunt et nostra suggillant, quod putant nos non amplius ad vos venturos, quum tamen ad vos pertingamus in evangelio Christi, id est cum. Quum igitur ego vobis evangelium praedicaverim, isti vero se apostolos vestros iactitent, cur non licet mihi de vobis gloriari, quum tamen intra regulam meam, quam mihi extendit deus, me contineam, quum isti arroganter alienam gloriam sibi vendicent, mensuram et modum suum excedentes.

Qui gloriatur.) Verum his omissis, solius dei gloriam omnes quaeramus, cuius negotium agimus; illius nomine glorietur quisquis vere gloriari velit, qui per nos quasi per ministros gratiam suam mundo manifestat.

CAPUT XI.

Utinam tolerassetis me in insipientia.) Insipientiam hic vocat gloriationem suam, et magnificam de se praedicationem, qua tota Epistola hac utitur, ad gloriam dei, et pseudapostolorum confutationem.

Adiunxi enim vos uni viro.) Haec per parenthesim interiicit, usque ad eum locum ubi dicit: Nam si is qui, Metaphora sumpta a pronubis, qui si fidi sunt non sibi, sed his a quibus missi sunt virginem copulant. Christus sponsus est, cui credentes animae adducuntur per fidem desponsae, nec se patiuntur ab illis amplexibus avelli. Hanc fidem in Christum hic simplicitatem vocat, quae humanis doctrinis

vitiatur et corrumpitur, quod quum apud Corinthios astutia pseudapostolorum fieri videbat Paulus, amoris quo Corinthios prosequebatur impatientia, monet, ne a fide, qua primum Christo iuncti fuerant desciscant.

Nam si is qui venit.) Brevibus perfidiam pseudapostolorum perstringit. Quasi dicat: Si eundem Christum praedicant, quem nos, iam nihil est quo se nobis praeferant, nos vilipendant, quum doctrina sit eadem. Si alium Christum praedicant, impostores sunt.

Non sum inferior.) Perstat in Apologia, ut autoritatem suam contra pseudapostolos asserat.

Non tamen scientia.) Scientiam capit pro intelligentia, Verſtand, Wüſſen.

Manifesti sumus.) Quasi diceret: Quid opus est multis? iamdudum vobis vita nostra perspecta est.

Num illud peccavi, quod me humiliarim.) Certa ratione gratis et absque mercede Corinthiis praedicavit evangelium Paulus, ut scilicet ansam calumniandi praeriperet pseudapostolis, qui quum ventris gratia duntaxat praedicabant, scelera eorum, a quibus accipiebant, increpare non sunt ausi.

Non fui onerosus) *Οὐ κατενάρκησα.* Hoc assumpta pseudapostolorum persona loquitur. Vis Graecanicae dictionis est, otio indulgere et ceteris oneri esse.

Est veritas Christi in me.) Summa obtestatione, Christum qui est veritas testem vocat, vera esse quae dicat.

Reperiantur quemadmodum et nos.) Gloriantur sane apostoli vestri, atque miris modis sese efferunt. Cupimus autem ut exemplum nostrum sequuti, gratis praedicent Christum.

Atque haud mirum.) Non vocat eos satanae apostolos, tametsi hoc clam velit, sed satanam ait se in angelum lucis transformare.

Quae infirmitatis sunt.) Quae pseudapostoli probro vertebant ei, infirmitates vocat, nempe quod captus esset, virgis caesus etc.

CAPUT XII.

Veniam ad visiones.) Quum superiori capite pseudapostolis se non solum genere, sed et afflictione, tum externa, tum interna superiorem probavisset, ab initio huius capitis periculum recenset, quod et ei in Damasco acciderit, a quo dei bonitate et praefecti loci illius auxilio fuit liberatus. Pertinet ergo initium huius capitis ad superiora. Deinde revelationes quasdam et visiones recenset, ut nec hac parte sit illis inferior, si quidem hisce rebus gloriandum sit.

An in corpore.) Hoc ad revelationes non ad vitam illius hominis pertinet. Quasi diceret: Sic fulgore coelesti, et gaudio ineffabili sum obrutus, ut plane nescierim in corpore fuerim an extra corpus; in extasi enim eram et extra me raptus ad ineffabile gaudium, et voluptatem inedicibilem admissus sum, ubi mihi talia ac tanta revelata sunt, quae verbis assequi haudquaquam possum. *Παράδεισος* hortus est ac locus deliciarum plenus. Hic autem per Synecdocham pro voluptate et amoenitate eximia ponitur, qua mens Pauli ita capta est, ut non facile

avelli potuerit, puta qui se in coelo iam tum esse existimabat. Simile quiddam legimus Matth. 17. quum se Christus suis gloriosum exhibuit. Per tertium coelum ego puto simpliciter per hyperbolam vehementem quendam excessum et raptum intelligi.

Parco vobis.) Hoc est, brevibus absolvo, et parce rem tantam attingo, ne quis me supra hominem aliquid existimet, ne quis mihi fidat etc.

Angelus satanae.) Supra dixit satanam transformari non raro in angelum lucis, id est, specie pietatis imponere incautis, ut Gen. 3. Eritis sicut dii. Hic angelum satanae (persona pro re usurpata) omnes adversitates intelligit, et omnia mala quae nobis accidunt; communem nimirum hominum morem sequutus, qui quicquid adversitatum et periculorum accidit, aut diabolum vocant, aut ex diabolo esse existimant.

Virtus mea in infirmitate perficitur.) Virtus mea, quam homini tribuo, fortior fit et absolutior adversitatibus. Ferendae ergo sunt tribulationes aequo animo, quae in nobis virtutem dei perficiunt.

Placeo mihi in infirmitatibus.) *Εὐδοκῶ ἐν ἀσθενείαις*, ich bin fin wol zefriden, id est aequo animo sum, tranquilla mente sum. Infirmitates hic vocat eas molestias, quae infirmam reddunt carnem, aut quae infirmitati carnis contrariae sunt.

Tametsi nihil sum.) Hoc aut per mimesin, aut per *ἐξουθενισμόν* adiicit.

Et potentibus factis.) *Καὶ δυνάμεσι.* Hic manifestum fit *δύναμιν* non pro miraculis ab apostolo, sed pro constantia et fervore quodam accipi.

Sed esto, ego non gravavi vos.) Obiectionem pseudapostolorum diluit, qui astu factum a Paulo dicebant, ut nihil recepisset, quo vel brevi per alios vel tandem ipse expilaret. Quaerit ergo, num per alios degravaverit eos?

Rursum arbitramini.) Per Anthypophoram excusat, quod ab aliis obiici potuit: Impatiens es o Paule, ut ne verbulum quidem ferre possis. Hoc quod ego facio (inquit) vestri causa facio, ut vos aedificemini. Quum enim is qui docet contemnitur, fieri non potest, ut non simul doctrina eius contemnatur. Nihil ergo patitur autoritatem suam minui, non ut ipse magnus fiat, sed ut gloria Christi promoveat.

In conspectu dei loquimur.) In conspectu dei loqui, Hebraismo est coram loqui et deo arbitro.

Humiliet me deus.) Pulchra antithesis est, ipsi enim ut humilem contemnebant, ut elatum calumniabantur. Quasi diceret: Vestri apostoli elationis me insimulant. Si ergo quum venero talia flagitia adhuc in vobis invenero, satis humiliabor. Quum enim is qui ex fide docet contemnitur, neque eos correctos videt, quos maxime cupit, satis animo torquetur.

IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES ANNOTATIONES

HULDRYCHI ZUINGLII.

ARGUMENTUM.

Praedicasse Paulum evangelium Philippensibus, Actorum caput 16. testatur. Quos quum Romae captus esset, per epistolam confortat, ut in fide accepta perseverent. Praemunit a falsis doctrinis et mundi elementis, atque ad vitae innocentiam hortatur.

CAPUT PRIMUM.

Episcopis.) Philippis multos Episcopos fuisse, hic liquet. Officii ergo nomen est ac curae, non dignitatis, Episcopus. Vigil est et speculator, non dominus qui tot oppidis imperet.

Diaconis.) Diaconi qui sint, Actorum caput sextum docet, ministri scilicet ab ecclesia selecti et enutriti; qui quum officio suo diligenter inservirent, probati deinde ad praedicandi officium sunt evecti, ut de Stephano et Philippo patet Actorum 7. et 21. Ut olim apud Hebraeos fuerunt scholae prophetarum et Nazaraeorum, sic apud ecclesias Christianorum vel ab apostolorum temporibus probae indolis iuvenes a teneris semper educati sunt, qui in fide evangelica imbuti, et lectione sacrarum literarum exerciti, divini verbi ministerio praeficerentur, si prius multo tempore probati, eruditionis et pietatis specimen egregium praestitissent. Oportet enim Episcopum esse *διδακτικόν*, et eius doctrinae, quae secundum fidem est, tenacem, qui possit sana doctrina docere, exhortari, ac contradicentes revincere. Haec enim munia non ignavis ac secordibus, sed his qui ab incunabulis literis indefessam operam dabant commissa sunt. Hinc Paulus Timotheum suum lectioni sacrae scripturae diligenter intentum esse monet, qui in sermonibus tamen fidei bonaeque doctrinae a puero enutritus erat. In hunc usum maiores nostri pro quodam zelo Monasteria et collegia vel haeredibus fraudatis sic locupletarunt, ut abunde supersit, quod vel praeceptoribus literarum praemii vice, vel discipulis iuvandis studiis suppeteret. Hos nidos foedae et rapaces Harpyae insident hodie, quae absumendis frugibus natae, praeter otium, libidinem, et luxum, nihil didicerunt. Aeque dolendum quod eiectis immundis istis volucribus, apud eos qui evangelicissimi videri volunt, studiorum stipendia praeda fiunt quibuslibet. Sic fere hodie tam necessaria ac sacrosancta non tam negligimus quam aversamur. Sed negligentiae ac contemptus olim poenas dabimus

non minores, quam ignavi et ingrati agricolae, qui demessis frugibus arare ac serere denuo vel negligunt vel contemnunt. Virtuti ac eruditioni, o tempora o mores, apud Christiani nominis professores nec honos nec praemium est.

Quod veneritis in communionem.) Gaudet de profectu evangelii et cognitione dei, quam se docente Philippenses assequuti erant. Gratulatur quod ipsi in societatem ac communionem fidelium (hoc enim κοινωνία significat) venissent. Sic in prioris epistolae ad Cor. cap. 10. κοινωνίαν commodius vertisset communionem quam communicationem. Communio evangelii, populus est qui evangelio credit.

Ad diem Iesu Christi.) Dies domini interim pro fatali cuiusque hora, interim pro tempore vindictae quam de nobis quotidie sumit deus, interim autem pro universalis iudicii die in scripturis sacris accipitur, omneque tempus divini adventus significat, sive ad vindicandum peculiares tum populos tum homines, sive ad iudicandum universum mundum veniat.

Et in vinculis meis.) Argumentum est vehementis ac summi erga Philippenses amoris, quem ne defensionis meditatio in causa gravissima, nec vinculorum afflictio obliterat.

Et confirmatione evangelii.) Pressurae, quas sancti ob nomen Christi constanter ferunt, evangelium illustrant ac confirmant. Nam virtus dei in infirmitate nostra perficitur, quo enim magis caro premitur, hoc magis emergit gloria dei. Quo plures pro veritate mortem oppetunt, hoc magis confirmantur infirmae ac tenerae mentes fidelium. Tantam vim exempla habent. Sanguine partum est evangelium, sanguine ergo servandum ac tuendum est.

In visceribus Iesu Christi.) Hebraismus est, quo docta et eleganti periphrasi aut gaudium aut moerorem aut amorem denique exprimit. Vitalia enim viscera affectibus aliis aliter afficiuntur. Affectum ergo puri, sinceri, ac Christiani amoris circumloquitur.

Ut caritas vestra magis ac magis exuberet.) Caritas vestra, Hebraismus est, id est, vos, ut Germanice, üwer liebe, üwer wyrde.

Intelligentia ac omni sensu.) Ἐν ἐπιγνώσει καὶ πάσῃ αἰσθήσει verſtand vnd gmerck. Παρασκευὴ est ad sequentia, ubi de circumcisione et ceremoniis est acturus. Hoc enim praecipue agit haec epistola, ut ab iis avocet ac absterreat. Quandoquidem docti erant et simul eloquentes pseudapostoli, optat eis in primis intelligentiam et sensum, quo magis eorum dolos ac fraudes intelligerent et sentirent, minusque ab eis caperentur ac fallerentur. Nititur enim tanquam columnis superstitione qua pietatem, et eloquentia qua eruditionem simulat hypocrisis, quibus simplicibus et incautis facile imponit. Haec nostra tempestate, non absque negotio tamen et periculo, quibusdam etiam nimis sero, Catabaptistarum antesignani sic nobis ob oculos ponunt, ut non solum intelligere et sentire, sed et tangere liceat, si quidem ἐπιγνωσις nobis καὶ αἴσθησις fuerit.

Ut probetis quae sint praestantia.) Pseudapostoli docent levia quaedam et externa, vobis magis curae sint gravia illa, optima ac

salutaria. Animus vester ad sinceritatem ac innocentiam vitae spectet (non ad mundi elementa) ex quibus iustitiae fructus nascitur.

Scire vos volo.) Idiotismus est, Certiores vos reddo, significo vobis.

Vincula mea manifesta sunt.) Primum: Vincula mea manifesta sunt facta in praetorio. Intelligit autem per praetorium quidquid summum est Romae. Deinde non modo summis et principibus qui in regia erant, sed et caeteris omnibus in urbe. Postremo trepidi et pavidi vinculis meis sic animati sunt, ut summa constantia prodire ac evangelium liberius praedicare ausi sint. Vincula mea in Christo, id est, carceres, compedes, ceteraeque afflictiones quas ob evangelium Christi perpetior ac fero. Sermonem loqui, Hebraismus est. Sic 1. Corinth. 1. Sermo crucis, Der handel deß evangelii.

Nonnulli quidem per invidiam.) Primum summatim proponit genera praedicantium evangelium, deinde per partes digerit (qui mos frequens est Hebraeis) eandem sententiam aliis verbis explicans. Nonnulli, inquit, per invidiam et contentionem, nonnulli vero per bonam voluntatem (εὐδοκία, bona voluntas, Ein wol verricht fridſam gemüt) praecones fiunt evangelii. Mox hoc idem exponit: Hi quidem, inquiens, qui ex contentione Christum annunciant, non pure nec cum fide hoc faciunt, sed ut mihi invidiam conflent, et plus afflictionis addant. Alii vero qui ex caritate praedicant, id est, bono sinceroque animo, noverunt innocentiam meam et quo in periculo sim constitutus.

Quid enim?) Wie dem? Particula vehementiam in abrupta oratione significans.

Cedet mihi in salutem.) Gaudeo quod Christus praedicatur, quocunque modo id fiat scio dei bonitate (qui etiam malis nostris in gloriam suam nostrumque bonum abutitur) quod isti odio mei faciunt mihi salutare futurum. Vos domini spiritum assiduis precibus precemini, ut exspectationem ac spem meam fulciat, quod nulla re pudefiam ὅτι ἐν οὐδενὶ αἰσχυνθήσομαι, Daß ich nienerab ſchwache, vel: daß mir ab keinem ding ſchühe, sed cum omni libertate ac constantia futura eo animo feram quo praeterita. Quidquid enim acciderit mihi in corpore, hoc ad gloriam dei cessurum non dubito.

Nam mihi vita Christus est.) Si vixero Christi gloriam evangelium praedicando illustrabo. Si mori continget, maximo id mihi lucro futurum scio. Sic animatus esse debet vere fidelis ut nec vivere recuset, nec mori horreat, sive enim vivimus, sive morimur domini sumus, cuius gloriam et vita et morte illustrare debemus. Quod autem tam gravatim morimur tamque mordicus hanc miseram vitam tuemur, in causa est ignoratio futurae, imo praesentis vitae. Nam mens quae deum super omnia amat, cupit dissolvi et esse cum Christo. Quandiu enim hic vivimus, quotidie magis ac magis affectibus impuramur, quod nimirum omnibus dei amatoribus permolestum est.

Si contingat vivere.) Si vivere dabitur, laborem ac fructum a me requiret deus. In hoc enim nos elegit ut fructum afferamus, non ut otio et ignavia torpescamus. Metaphora tracta est a colonis qui dominis suis laborant et plurimum fructus afferunt, si modo fidi sunt.

Cum Christo esse multo longeque melius.) Post mortem corporis dormire animas, Catabaptistae docent, quem errorem hic locus facile refellit. Non enim dormiunt animae corporibus exutae, sed vivunt cum Christo. Quod si dormirent, Paulus non diceret: Et hoc longe melius; sed dixisset: Magis dormire volo quam hac in vita laborare. Quae est autem haec perversitas, fidelium mentes frivolis istis nugis ac nihili rebus occupare, et ad somnum ne dicam somnium intentos reddere, ac non potius, ut contemptis huius mundi rebus omnibus, contempta hac vita (quae mors potius dicenda est) vitam, laetitiam, ac felicitatem perennem, epulari, et convivari in regno dei, habitare cum summo illo bono, cum luce inaccessa, desiderent, accendere?

Ceterum manere in carne.) Manere in carne hic pro vivere posuit, non pro affectibus carneis deditum esse, ut in Epistola ad Romanos.

Magis necessarium propter vos.) Haec non gloriabundus loquitur apostolus, sed qui astum et perfidiam pseudapostolorum non ignorat, summa fide commodum et necessarium putat fore Philippensibus, si eum superesse atque ad eos aliquando redire datum fuerit.

Et hoc certus scio quod mansurus sim.) Ego puto ὅτι μενῶ pro εἰ μενῶ exponendum esse. Ut sit sensus: Si mansurus sum, nimirum mansurus sum vobiscum, Inque profectum vestrum.

Gloriatio in me.) Id est, gloriatio quam habetis in Christum per me vel propter me.

Tantum ut dignum est.) Reditum ad vos paro si superfuero, nullam ob rem nisi ut doceam vos ambulare coram deo, ut decet atque dignum est his qui Evangelium Christi profitentur, non ut vobis imperem etc.

Ut stetis uno spiritu.) Ut sic firmi et constantes sitis perinde ac si unum essetis corpus, quod uno spiritu, uno anhelitu, una anima omnia moderatur. Sic debet esse populus Christianus.

Simul adiuvantes decertantem.) Graece est: Simul certantes aut pugnantes pro fide Evangelii, contra omnes insultus ac impetus.

Quae illis causa est perditionis.) Ἥ pro τὸ hic poni puto more Hebraico, qui relativis foemininis pro neutris utuntur. Quasi dicat: Quidquid ab adversariis vobis infertur, perditionis causa ipsis fuerit, vobis salutis. Pulchrum enim ac gloriosum est pro Christo mori, quae mors mansionibus inserit sempiternis. Idque fit non absque divinae providentiae dispositione, qui vobis, siquidem fideles estis, donavit et evangelio credere, et sanguine vestro fidem hanc testari.

Idem certamen habentes.) Videtis me vinculis et carcere nihil cessisse, vos igitur exemplum meum sequuti, afflictionibus nihilo remissiores sed fortiores efficiamini.

CAPUT II.

Si qua igitur consolatio.) Posteaquam ad constantiam et perseverantiam exhortatus esset, ad unanimitatem et concordiam adhortatur, quod concordia his qui in pugna vincere volunt admodum necessaria

est. Neque dubitat apostolus consolationem esse in Christo, sed dicit: Si vos vere consolationem habetis in Christo.

Complete gaudium meum.) Gaudium apostoli tunc solidum ac perfectum erat, dum ipsi inter se concordibus animis consentientes essent.

Nihil per contentionem, nihil per inanem gloriam.) Pessima et perniciosissima sunt haec duo vitia, quae et semen divini verbi vitiant et fructum pubescentem maturescere haud sinunt. Deinde caritatis et concordiae praesentissima sunt venena. Praemunit ergo ab eis Philippensium animos, quos ad unanimitatem et concordiam monuisset.

Alium quisque se praestantiorem existimet.) Haec est modestia, caritatis comes, qua sic donis dei utimur ne quid nobis, despectis aut fastiditis ceteris, arrogemus insolentius, ad corporis utilitatem omnia accommodantes. Tu prophetiae dono excellis, alius fide praeditus est; iam ille tibi placeat non minus, imo magis quam tu tibi. Tu mansuetudine, alius severitate vitia novit corrigere; si fides adest (quae potissimum ubique requiritur) neque tu illum contemnis, nec ille te abiiciet, sed alter alteri candide favebit, imo sese abiecto quisque alterum sibi praeferet.

Ne sua quisque spectetis, sed unusquisque quae sunt aliorum.) Quam longe absunt a caritate Christiana? imo quanto cum periculo vivunt, qui iactura reipublicae Christianae et pauperum, sua duntaxat curant locupletantque?

Quum esset in forma dei.) Loquutio est, pro: Quum esset essentia deus. Ut forma ponatur pro essentia.

Exinanivit sese.) Hic inanitio non fit in natura dei, sed in assumptione humanitatis in deum. Hoc discite a Christo, qui cum forma esset deus, formam servi pro nobis assumpsit, verus homo factus. Hic iterum forma pro essentia. Nam non solum formam hominis assumpsit, sed vere factus est homo.

Non rapinam arbitratus.) Metaphora est tracta ab his qui sibi insolenter, et violenter rapiunt honorem qui eis non debetur. Hoc non fecit Christus. Nam natura deus fuit; verum cum deus esset, descendit et fit homo propter nos.

In similitudine hominum constitutus et habitu inventus ut homo.) Similis, imo par per omnia hominibus. Non enim comparatio est sed aequiparatio, id est, fuit verus homo. Invenire pro esse, ut Germanice: Es erfindt ſich, es iſt erfunden, quod nulla tergiversatione neque celari neque negari potest.

Humiliavit.) Quod supra dixit: Exinanivit. Hic cernimus consilium summi dei, simulque pientissimi patris caritatem, qui se ipsum nobis in Christo donat, quicquid extra se dedisset minus esset. Deinde hunc filium suum pro nobis omnibus malis ac afflictionibus exponit, tentatque per omnia, ut fidelem habeamus apud deum advocatum qui nostris malis etiam tangi possit.

Mortem autem crucis.) Auxesis est. Quasi dicat: Ad mortem usque patri obsequitur, neque vulgarem sed probrosissimam.

Ut in nomine Iesu omne genu flectatur.) Id est, ut maiestati

ac virtuti Iesu omnia subdantur ac pareant quae in coelis sunt, et quae in terris ac inferis.

Proinde quemadmodum semper obedistis.) Obedientiam hic in genere intelligit, qua quisque suo officio, sine perfidia, sine contentione invigilat ac satisfacit. Magni refert ecclesiam sic instituere ac deinde sic institutam servare. Hoc vero in primis servat a corruptione ecclesiam, dum fidi sunt ministri ac episcopi.

Vestram ipsorum salutem operamini.) Ergo salus in manu nostra sita est? Minime. Nam cum omnia fecerimus quae praecepta sunt, inutiles servi sumus. Neque enim Paulus in hoc bona operari praecipit, ut ex his salutem paremus, sed ut ea sine intermissione faciamus quae filios dei, qui per fidem salvi facti sunt, decent. Quasi diceret: Talia opera facite qualia solent omnes qui salutem per fidem adepti sunt. Nam statim ostendit, deum operari et agere in nobis omnia. Nobis ergo invigilandum, ut adeptam salutem bonis operibus et testemur et 'ueamur, perspicientes id quod in nobis deus coepit.

Nam deus agit in vobis.) *Μετάνοια* est. Corrigit enim quod dixerat.

Sustinentes verbum vitae.) Firmiter et mordicus verbum vitae servantes, ne quis vobis hoc ex manibus eripiat.

Ut gloriari possim.) Nec est vana haec gloriatio apostoli: Ut fides vestra testimonio mihi fuerit in die domini, quod non in vanum cucurrerim, hoc est, quod diligenter opus domini exsequutus sim. Currere enim periphrasis est diligentiae et festinantiae, Esa. 55. Ier. 23. Galat. 2. Psal. 118.

Quin etiamsi immolor super hostia sacrificioque fidei vestrae.) Ad mortem Christi alludit, qui pro nobis mortuus, hostia factus est pro peccatis. Vocat autem fidem et evangelium hostiam et sacrificium per *μετωνυμίαν*, quod corpora nostra per fidem sacrificantur, et quasi holocausta gratissima fiunt domino, nam et reliquiae agni et ossa igne amburi iubentur, Exod. 12. Quasi diceret Paulus: Ego propter evangelium et praedicationem fidei apud vos, persequutionem, imo mortem pati paratus sum.

Spero me Timotheum brevi missurum.) Fidem ac sinceritatem Timothei ac Epaphroditi multis nominibus ac summis laudibus vehit. Equidem digni sunt ut laudentur et in pretio habeantur qui in evangelico negotio fideles sunt; magni ergo refert quos mittas aut commendes. Non enim omnium fides est, et pauci sunt qui non affectibus suis Christi negotium vitient, quos infra canes appellans per antithesim fidelibus opponit.

CAPUT III.

Erant quidam ex Iudaeis pseudapostoli (nam apostoli veri hoc non fecerunt) qui circumcisionem Christianis necessariam asserebant, atque sub circumcisione operum iustitiam et fiduciam in opera legis docebant; hos hoc capite redarguit apostolus.

Gaudete in domino.) *Το δὲ λοιπὸν*, Quod superest vertit interpres. Ego puto hoc *λοιπὸν*, reliquum more Hebraico יֶתֶר pro prae-

cipuo multis in locis capi et maxime necessario. Quasi diceret Paulus: Hoc in primis curate, ne in opera legis imo in nullam rem huius mundi ullo modo fiduciam ponatis, sed gaudium vestrum sit in domino, cuius gratia in filios dei cooptati estis, non vestris meritis. Atque haec eadem me haud piget saepius refricare, ut ab operum iustitia vos avocem, in quam vos pseudapostoli inducunt.

Circumcisio.) Videtur hic circumcisio capi pro omni religione Iudaeorum, ut sunt sacrificia, oblationes, purificationes, et id genus alia.. Qui hoc docebant canes vocat, quod gregem Christi discerperent et lacerarent, quos Christus lupos vocat. Tracta autem est metaphora a canibus et lupis rabidis illis et rapacibus bestiis.

Βλέπετε, videte concisionem.) Verbo videndi idiotismo Hebraico pro cavendi et vitandi utitur. Ludit autem eleganter in duabus dictionibus circumcisione et concisione, *περὶ* et *κατὰ*. Deinde pulchrae sunt antitheses.

Nos sumus circumcisio qui spiritu deum colimus.) Resectis et amputatis omnibus affectibus quaestus et gloriae gloriantes in nulla re carnali sed in Christo Iesu qui spiritus est et vita. Neque in opera confidimus, sed in eum qui pro nobis filium suum dedit. Hoc simul nota: Circumcisionem accipi pro his qui vere circumcisi sunt spiritu, aut pro his qui circumcisionem carnalem docebant, rem scilicet pro persona, quod Hebraeis frequens est.

Iuxta legem pharisaeus.) *Νόμον* hic pro ritu, observantia et secta capi nemo dubitat. Nam secta pharisaica ex lege dei non erat, sed ex traditione humana; quam Paulus sic mordicus tuebatur, sic iustitiae externae haesit, ut huius zelo commotus et raptus ecclesiam dei quae Christo fidebat persequeretur. Sed quod tum lucrum ducebat, cognito Christo magnum damnum arbitratus est.

Si quis fiduciam in carne habet.) In carne fidere, est operibus, iustitiae legis, et rebus externis fidere. Sensus Graecanicus elegans est et antithesim habet, et duo *καὶ*. Sensus est: Et ego quum haberem quod carni possem fidere, tamen nihil confisus arbitratus sum ea ut stercora etc.

Quae mihi erant lucra.) Elegans est metaphora tracta ab iis qui thesauros reponunt et lucro semper aliquid addunt. Sic faciunt qui operibus fidunt, quotidie aliquid cumulo operum adduut, et quasi auctarium adiiciunt, pro quo sibi ut putant deum debitorem constituunt. At quo plus sic accumulant, hoc graviorem verae iustitiae iacturam faciunt. Non sic qui soli Christi iustitiae fidunt; nam hi semper sibi adhuc aliquid deesse sentiunt; et quatenus opera sua respiciunt, desperant, soli Christo innitentes, tantumque abest ut suae iustitiae fidant, ut impuram eam cum propheta et reiectamentum arbitrentur. Semper enim operibus nostris aliquid deest, imperfecta ergo sunt et impura, carnis affectibus defoedata; cupit ergo in Christo reperiri non in iustitia sua, Christum lucrifacere non thesaurum operum accumulare.

Non habens meam iustitiam.) Duplicem esse iustitiam, legis et dei, Paulus ubique docet. Dei aut Christi iustitia est, quod Christus iustus pro nobis iniustis mortuus est et satisfecit, et nos nocentes

innocentia sua absolvit ac patri reconciliavit. Atque haec Christi iustitia et innocentia nostra facta est, per fidem, quae fides ex solo spiritu dei est, a nulla re creata, qua iustitia et nos iusti coram deo sumus ac reputamur. Iustitia ergo Christianorum est in Christum fidere, illique insitum esse. Declinat autem Paulus arrogantiam. Quasi diceret: Quod omnia arbitratus sum ut stercora atque in cognitionem Christi veni, non mihi contigit ex mea iustitia, sed dei misericordia et iustitia Christi quae per fidem mea facta est. Nihil enim mihi hac parte tribuo.

Potentiam resurrectionis.) Potentiam dei intelligit qua Christum suum ad vitam e morte resuscitavit, qua declaratus fuit filius dei, ut est Rom. 1. Nam in hoc quod sese tam potenter resuscitavit, facile videmus eum veram vitam esse nostrorum tum animae tum corporis.

Dum conformis fio morti eius.) Dum meae iustitiae, et omnibus huius mundi rebus renuncio et morior, imo dum me ipsum et quidquid sum ipsius gratia contemno.

Pertingam ad resurrectionem mortuorum.) Id est: Ad vitam illam perennem quae post mortem fidelibus obtingit, ut idem mihi contingat quod Christo, qui post mortem revixit, ut et ego anima vitam vivam externam, corporeque tandem resuscitato resurgam.

Non quod apprehenderim.) Occupatio est. Diceret enim aliquis: Plus aequo tibi per arrogantiam tribuis, quasi iam perfectus sis, et carni omnino mortuus. Respondet Paulus: Minime. Scio enim hominem dum hic in carne vivit, perfici et absolvi non posse, at summo studio, summaque vigilantia sectatur ut apprehendat, quatenus quidem ipse a Christo apprehensus est, id est, quatenus deus dat, nam virtus et robur ex deo est.

Ea quae a tergo sunt obliviscens.) Peccata si quae feci, a tergo relinquo; bona opera si quae operatus sum, itidem; haec ne eis fidam, illa ne posthac faciam, ut neque peccata me deprimant ac ad desperationem adigant, neque opera bona me insolentem ac elatum reddant. Utraque ergo a tergo relinquo, utraque obliviscor, enitor autem constantissime ad ea quae a fronte sunt, exemplo sumpto a fidis legatis, qui in itinere omnia post se relinquunt, ut commissam sibi legationem absolvant. Ego quandoquidem legatus sum Christi, superne vocatus ad munus evangelicum, omnia negligo et post me relinquo ut vocationi meae respondeam.

Ad palmam supernae vocationis.) Loquutionem esse tropicam ipsa verba declarant, neque enim de aliquo stadio aut cursu corporali loquitur, (nam quid magni diceret?) sed de diligentia et vigilantia qua in praedicatione evangelii, ad quam e supernis vocatus sit, utatur, quemadmodum soleant qui pro palma aut bravio currant in stadio; quam provinciam suam si gnaviter obierit, nihil dubitet se a deo ad palmam immarcessibilem in coelo vocandum. Nihil mihi arrogo vel sanctitatis vel iustitiae; nec si quid per me boni deus operatur, hinc gloriae aut laudem quaero, interim nec (si per infirmitatem labor) despero aut concido, sed summa cum fide omnia perrumpo, ac strenue officium meum exequor.

Quotquot perfecti sumus.) Sic sentire sic agere debent quotquot perfecti sunt. Nam hic nulla alia perfectio nobis contingere potest, quam quod quisque sinceriter et cum fide optima vocationi suae inserviat et interim se nihil esse existimet.

Si quid aliter sentitis.) Metathesis videtur esse, aut hysteronproteron, nam Sentitis, quod praeponitur, puto sequi debere. Ut sensus sit: Quod si deus aliud quiddam revelaverit etiam ad hunc modum estote animati, et sic sentite ut dixi. Vel iuxta revelationem dei sitis animati et sentientes. Nam his verbis revelationibus ostium aperit Paulus, ut alibi: Spiritum nolite exstinguere et prophetiam ne contemnatis, ac sic ut probentur, et ad regulam caritatis examinentur. Quare mox subiicit: Attamen ad id quod assequuti sumus eadem procedamus regula, ut simus concordes. Quasi diceret: Alius quispiam sublimius et magnificentius de operibus loquitur, at vos omnia ad hanc amussim aptate, qua vos primum per gratiam et fidem in ordinem coacti estis. Hac regula primum mensus est vos deus, vos ergo omnia ad regulam fidei et caritatis metimini. Et videtur hic loqui apostolus de modo manifestationis alio atque alio, non de re manifestata. Quasi diceret: Si quid deus aliter aut alio modo (non aliud) vobis revelaverit, sic sentite ut vobis revelat deus. Nam diversa via eandem veritatem saepe docet deus, alium sic, alium aliter, at sic ut in eadem regula, qua praeventi sumus, maneamus, ne quisquam hanc regulam praetergrediatur aut excedat, ut docere velit operibus et meritis nostris salutem esse tribuendam. Videtur enim clam taxare pseudapostolos, qui fiduciam in opera docebant, igitur mox ad sui imitationem et falsorum apostolorum considerationem, hoc est, vitationem hortatur.

Imitatores mei.) Hoc bona conscientia fretus dicit, non ut se iactet aut venditet.

Saepe dixi.) Statim ab initio hos ego novi, quare vos admonebam, sed nihil potuit apud vos nostra admonitio. Iam ergo cogor lachrymas fundere, si quo modo recipiatis admonitionem meam.

Inimici crucis Christi.) Id est, mortis et liberationis Christi. Nam dum propriis operibus iustificari volunt, mortem Christi evacuant.

Gloria in dedecore.) Omnis gloria eorum huc tendit, ut pellicula pudendorum abscindatur.

Nam nostra conversatio in coelis est.) Utrorumque vitam, mores, ac doctrinam expendite, isti ventrem duntaxat ac terrena curant, nos coelestia. Istorum doctrina huc tendit ut ipsi quam ditissimi reddantur, nostra animos in coelum subvehit. Praedicamus enim Christum esse vitam nostram, deinde vitae innocentiam quae Christianos decet docemus.

CAPUT IV.

State in domino.) Eleganti antithesi eos ad constantiam, contra eos qui operum fiducia et circumcisione nutare faciebant, adhortatur.

Euodiam et Syntychen obsecro.) Ut in incoepta concordia perseverent, monet apostolus mulieres istas. Tametsi videri posset non-

nihil discordiae aut simultatis inter eas intercidisse, quas rursum hac exhortatione componere satagit.

Compar germana.) Id est, sincera coniunx. Nam *σύζυγον* hic videtur coniugem intelligere suam quae idem iugum secum trahebat.

Adiuva eas.) *Συλλαμβάνεσθαι* quemadmodum Latinis accipere aut suscipere pro docere aliquando capitur et pro molliter tractare, fovere etc. Monet ergo ut praedictas mulieres conciliet, et ut iterum in gratiam redeant allaboret. Aut ut quemadmodum istae adiuvando pauperes diligentes fuerunt, ita et ipsa eas adiuvet.

Gaudete in domino semper.) Gaudium, fructus est spiritus sancti, Galat. 5. Christiana ergo mens semper gaudet, semper laeta est, vel in mediis tribulationibus, quam mille adversitates vel frangere vel deiicere possunt. Nihil ergo quam hypocritae sunt *σκυθρωποὶ* quidam, hoc est, severi et tetrici, qui parum alacres, vultu inamoeno incedunt cunctos prae se contemnentes.

Modestia vestra.) *Ἐπιεικὲς* aequitas aut aequabilitas, Gelindigkeit, betragnuß, dum omnia iuxta aequitatem transiguntur.

Dominus prope est.) Nam non est deus de longe, qui coelum et terram implet (ut inquit per prophetam) et qui inter nos versatur et habitat, imo in nobis.

De nulla re solliciti sitis.) Iustam curam pro familia, pro uxore, et liberis, nequaquam prohibet apostolus, sicut nec Christus Matth. 6. sed anxiam illam animi molestiam et quasi desperationem qua torquentur qui mammonae serviunt et corradendis divitiis inhiant, nec spem ac fiduciam suam in deo vivente habent, sed in frivolis quibusdam et incertis rebus, breviter terrena curant et amant, non coelestia.

Pax dei quae exuperat omnem sensum.) Pax mundi est, quum omnia prospere iuxta carnis desiderium succedunt, nam caro carnalia sapit. At pax dei tranquillitas, securitas et gaudium est animi deo fidentis, quae in mediis afflictionibus perstat et consolatur. Haec omnem sensum et intellectum superat, hoc est, a carne non capitur. Nam sensum qui ex deo est, non superat, imo is solus intelligit et capit hanc pacem.

Quaecunque sunt vera, quaecunque honesta etc.) A Christiano homine in primis abesse debet fucus, hypocrisis, et falsa simulatio, Christus enim veritas est et omnem fucum odit. Non potest esse maior consolatio, non gaudium maius, quod imminente foris persequutione et saevientibus ac calumniantibus hostibus nos erigat atque exhilaret, quam si nobis conscii sumus candide, vere, et sinceriter omnia a nobis facta esse, atque huius conscientiae nostrae deum testem habemus, cuius oculis omnia nuda sunt et aperta. Etenim veri cultores dei sunt, qui colunt eum spiritu et veritate. Haec certissima signa sunt verae fidei, si vere omnia ad dei gloriam et proximi salutem fecerimus. Pigmenta ergo fidelis animae graphice hic Paulus depingit, et pratum omnigenis virtutibus variegatum et lactum oculis fidelis animae proponit, in quo se oblectet et delicietur. Abhorreat vero ab omni impuritate, immunditia, lascivia, turpitudine et obscoenitate; odiat omnem obscuritatem, et quidquid tenebrosum est reiiciat. Sunt enim qui in re

liquida et manifesta tenebras offundant, puritatem ergo vult esse in dictis et factis Christianorum, Lutere reb, lutere thaat. Dum incipiunt homini stulta, frivola, ac fallacia huius mundi displicere, sancta, vera, et divina dulcia esse, signum est hoc, pectus a spiritu dei tractum esse.

Gaudeo in domino.) Ad anni revolutionem et reflorentium arborum novitatem alludit apostolus, civili tamen occupatione eos antevertens, et quasi quod dixerat corrigens, ne sibi negligentiam obprobrari putarent Philippenses. Quare mox subiicit: In quo, vel, in hoc et solliciti eratis, verum deerat oportunitas etc.

Omnia possum.) Ergo contentum esse praesentibus, temperantiam servare ac modum, excellentem esse et humilem non nostro Marte comparatur, sed virtute et cognitione Christi.

Requiro fructum exuberantem in rationem.) Non veni ad vos ut apud vos ditescerem, sed ut vos divites redderem. Alludit autem ad diem iudicii ubi quisque pro se rationem est redditurus. Quasi diceret: Ego veni ad vos ut rationem vestram augerem, id est, ut vos fideles redderem, et ut bonis operibus abundaretis, semper enim addidi aliquid rationi vestrae.

Accepi ab Epaphrodito.) Omnem sinistram suspicionem declinat ab Epaphrodito. Vocat autem eleemosynam Hebraico more odorem.

Deus supplebit.) Si quid rebus vestris ex hac munificentia vestra in me decessit, deus suppleat et rependat.

IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES ANNOTATIONES

HULDRYCHI ZUINGLII.

CAPUT PRIMUM.

Ex argumentis Graecis colligere licet, Paulum Colossenses non vidisse.

Et Timotheus.) Hunc sibi humilitatis gratia adiungit. Hodie magno fastu turgent episcopi, et sibi falso titulum vendicant apostolicum.

Propter spem repositam.) Spem accipit pro eo quod speratur, ut saepe alias. Laudat autem praecipue in eis fidem et caritatem, quae duo Christianum animum vere arguunt.

In verbo veritatis.) Id est, per sermonem veracem. Sic mox sequitur: Cognovistis gratiam dei per veritatem, hoc est, nacti estis veram et puram cognitionem veritatis. Cognitio dei et sui ipsius summa est salutis, ut homo cognoscat quam malus, quam impurus sit, ut cognoscat quam bonus sit deus, huncque amplectatur, iuxtaque eius voluntatem ambulet, quae voluntas cognosci debet. Hoc praecipuum est in Christianismo, ut deum agnoscamus, et ei iuxta voluntatem eius serviamus.

In omni opere bono fructificantes.) Opera non sunt nostri fructus, sed dei, sed fidei; nam et nos dei sumus. Exemplum est in arbore quam tu plantasti, quae tibi fert fructus, non sibi, nam tu eam plantasti, et tua est. Sic et nos dei sumus, ergo et fructus sunt dei; nam ipse plantat et incrementum dat, operaturque omnia in omnibus. Cognitio dei fidem auget, fides caritatem in deum et proximum.

Omni robore corroborati.) Robur in vobis dirigatur in honorem dei. Fortis est qui omnia tolerat et longanimis est, idque cum gaudio. Robur autem a deo administratur.

Gratias agentes) Dubium est quo referatur, sed videtur ad Colossenses referendum esse.

In lumine.) Hic in tenebris sumus, nisi quatenus lucem cognitionis a deo habemus. Tenebrae sunt ignoratio dei.

Qui eripuit nos e potestate.) In tenebris sumus et potestate satanae, donec in cognitionem dei venimus, donec fide nos dominus illustrat. Liberamur autem ab hac servitute per veritatem.

Imago dei.) At ne is qui sic sanguinem suum fudit filius dei parum dignius vobis videatur, imago dei est. Imago, ein ebenbild. Hoc est, est similis patri per omnia, non quod sit sculptile aut pictura.

Primogenitus creaturae.) Id est, filius dei ante omnem creaturam, non tamen inter creaturas connumerandus. Quod si iuxta omnem creaturam loqui velis, iam praecipua est creaturarum omnium. Sed prior sensus magis arridet. Nam in illum sunt creata omnia. Creatum esse ab alio, defectum connotat, Christo ergo non convenit.

Sive throni, sive dominationes.) Throni praecipuae sedes. Multa tribuimus angelis et deo, quae in se non habent, sed loqui nostro more cogimur. Nam angeli non dominantur, sed assistunt et ordinati sunt, hi principibus, hi dominationibus, hi aliis in mundo etc.

Omnia per illum consistunt, et ipse est caput.) Ergo et ecclesia in ipso consistit, non in Papa, ipse est caput ecclesiae, ergo coniunctus corpori suo, non peregre est, ergo non indiget capite visibili ecclesia. A deitate ad ecclesiam descendit. Commentum est ergo Papam esse caput ecclesiae, imo impietas. Qui Papam ecclesiae caput constituunt, detruncant membra deo et manum eius dicunt esse abbreviatam, quasi non esset ubique praesens, aut non satis potens, aut senio confectus non possit amplius administrare regnum suum. Quandoquidem ecclesia in conscientiis consistit, impossibile est visibilem hominem caput esse ecclesiae, quum sit ipsa invisibilis.

Ipse primas tenens.) Nos etiam sumus filii dei, haeredesque eius, cohaeredes Christi; sed ipse in omnibus primas tenet, nam est natura filius dei, nos per gratiam asciti.

Universam plenitudinem inhabitare.) Ut omnia quaeramus a deo per Christum; qui alio confugit, Christianus non est. Sic Ioan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus.

Reconciliare cuncta.) Si vis deo reconciliari, crede in Christum. Unus est mediator seu reconciliator dei et hominum Christus. 1. Timoth. 2.

Pacificatus per sanguinem.) Ipse enim est pax nostra, Eph. 2. Rom. 5. Ergo in eius nativitate pax nunciatur ab angelis.

Mente in operibus malis.) Mentes vestrae alienae erant a deo, idque certissimo argumento indicastis, nempe operibus malis.

Nunc autem reconciliavit.) Duo fecit Christus: Reconciliavit vos patri et redemit a peccatis. Secundo, contulit gratiam ut posthac inculpate vivamus. Hoc autem fit, si in fide stabiles permanserimus. Nam fides praestat vitam inculpatam.

Apud universam creaturam.) Ampliatio est, nam tempore Pauli nondum erat evangelium ubique praedicatum. Quasi dicat: Sic decretum est a deo, ut evangelium ubique praedicari debeat. Haec natura est evangelii, ut velit in toto mundo omnibus creaturis praedicari. Sic Marci ultimo: Ite praedicate evangelium omni creaturae. Sic intelligitur et hoc: In omnem terram exivit sonus eorum. Nam apostoli non venerunt in totum orbem.

Gaudeo super afflictionibus.) Hanc epistolam ex Roma scripsit, quum esset in vinculis, rogatus ab Epaphra ut firmaret Colossenses. Iam reddit eos certos de suis rebus, dicens se esse captum.

Et suppleo quod deerat.) Hunc locum depravant cultores sanctorum, detorquentque eum ad suum commodum, dicentes sanctos pro

nobis passos esse. Similes iratis, qui omnia in tela sibi convertunt quaecunque apprehenderint, quae tamen sua natura in perniciem non sunt facta aut ordinata. Sic contentiosi e scripturis decerpunt, quae ad suos affectus pertrahant et abutantur. Ὑστέρημα, Graecis dicitur et quod deest, et quod superest, vel reliquum est. Debuit ergo hic interpres dicere: Suppleo quod superest, non quod deest. Nam passioni Christi, quae sola sufficientissima est, nihil deest, sed in corpore eius adhuc aliquid superest passionis, ut membra quam simillima fiant capiti. Christiani unum corpus sunt cum capite Christo. Sicut ergo Christus passus est et laboravit, sic et sponsa eius pati debet et affligi. Sic cum unum membrum patitur, omnia compatiuntur, et hoc unum patitur pro omnibus. Sic voluntas dei est, ut et nos patiamur, in hoc reliquit nos in hoc saeculo, ut conformes fiamus imagini filii sui. Quapropter intelligendum est, non quod Pauli afflictio et passio facta sit pro Colossensibus, quemadmodum Christi passio pro nobis, ut videntur verba sonare, et impii torquent, sed quod Paulus afflictionibus testaretur se Christianum membrum esse, et quod pro eis, id est, ut ipsi in fide et verbo confortarentur. Nam qui tempore passionis cedit, eos, quibus praedicatum est verbum, vehementer offendit. Christus ergo solus est, cuius passio pro nostris peccatis satisfacit. Nec ulla creatura potuit hoc, quod omnes sunt peccatores, omnes declinaverunt, et egent gloria dei.

Iuxta dispensationem dei.) Ecclesia domus dei est, 1. Cor. 4. Sic ad Hebraeos Moses fidelis in domo dei. Et Christus Luc. 12. Quantus putas est fidelis dispensator? Locus contra falsos et infideles dispensatores. Dispensatores primi sunt qui capiuntur, et in periculum veniunt, proinde et ego iam captus sum. Testor ergo meam doctrinam passionum tolerantia.

Implendi sermonem dei.) Id est, plene loquendi verbum dei, quod verbum prius mysterium fuit, quum Christus promissus tantum fuit, sed iam manifestatum et revelatum est, his tantum reconditum qui pereunt, 2. Cor. 4.

Quae sint divitiae gloriae.) Germanice dicimus: Der iſt ein eeren man, qui multis benefacit. Sic deus ostendit et exhibuit nobis gloriam, id est, gratiam suam, in eo quod dedit nobis filium suum. Eyn art vnd natur iſt guts thun, omnibusque impertire suam gloriam. Gloria pro gratia, ut in epistola ad Rom. Omnes egemus gloria dei, id est gratia eius et misericordia. Christus vero thesaurus est huius gratiae. Ipse enim est pignus certissimum, quod ad gratiam et gloriam dei vocati simus.

Hominem perfectum in Christo.) Τέλειον absolutum, perfectum, consummatum, integrum, firmum etc. quod Hebraeis est thom hoc Graecis τέλειον: From, gantz, grächt, getrüw. Perfecti sunt qui toti a deo pendent. Sic perfectio capitur in scripturis, non more theologorum, qui perfectum dicunt eum qui sine peccato est. Perfectus in scripturis dicitur, qui vera fide Christo haeret, qui spe certa in eum vehitur, qui credit. Sic Matth. 5. Estote perfecti, sicut et pater vester, hoc est, Haltend trüwlich an jm als er an üch. Sic sancti

estote, quoniam ego sanctus sum, Sind ſtyff an mir wie ich an üch ſtyff bin.

CAPUT II.

Ne quis vos depraedetur.) Ne quis vos ut praedam agat. Sic Act. 20. Post se ducent gregem. Item Ioan. 1. Exierunt e nobis etc.

Per philosophiam.) Philosophia, id est humana sapientia, quae sibi sapientior videtur quam sit divina. Sic Matth. 15. Frustra me colunt doctrinis hominum.

Elementa mundi.) Quidquid est in mundo, visibile est et elementis compactum; sic visibilia et corporalia elementa mundi vocat Paulus. Nam quae sunt fidei, intus sunt et invisibilia. Ut quum dicitur: Hoc ne edas, hoc ne tangas, fac idola et imagines, nam vice sunt tibi librorum etc. Christus haec non docet, ergo non sunt iuxta Christum.

Corporaliter.) Id est vere et essentialiter, Wäſenlich. Nam Christus est deus verus.

Qui est caput omnis principatus.) Discimus hic, magistratum non habere ius vetandi quae Christus permittit, nisi faciant hoc ad tranquillitatem, et ratione scandali, et hoc non perpetuo, sed ad tempus, illaesa semper conscientia.

Et quum vos essetis mortui.) Membra simul cum capite resurgunt. Spiritus enim qui Christum excitavit, et nostra mortalia corpora excitat.

Deleto chirographo.) Per Chirographum mortis debitum intelligit. Est autem prosopopœia, quasi manu nos scripsissemus, literas et syngraphas dedissemus, qua obnoxios fecissemus nos morti, et debitores constituissemus. Similitudo a communi hominum usu sumpta. Tam essemus morti aeternae obnoxii si Christus non intervenisset, quam est creditori debitor qui chirographo suo sese obstrinxit.

Per decreta.) Graece est *χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν ὃ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν*, Chirographum cum dogmatibus. Nam quum ponitur sic ablativus aut dativus, Graeci coniunctionem fere *σὺν* cointelligunt. Sic Eph. 2. *ἐν* idem significat *ἐν δόγμασιν* legem mandatorum cum decretis. Sensus ergo est: Christus sustulit aut delevit chirographum cum decretis, vel simul cum decretis. Per decreta autem quaeque externa intelligo, ab hominibus decreta et tradita. Illud quoque observandum quod illud ὃ (quod erat contrarium nobis) referri potest tam ad chirographum quam ad dogmata. E medio tollere, Hebraica loquutio est, pro auferre, ut Germanice dicimus: Thund das dennen, vß den füſſen.

Affixum cruci) Alia metaphora sumpta a triumphantibus. Nam victores solent suspendere trophea aut spolia. Sic Christus in cruce suspensus est, ut intelligamus eum victorem esse mortis, peccati, inferorum, daemonis.

Triumphans.) Qui fuerint triumphi gentilium, in historiis est videre. Quasi diceret: Alii victores omnes vincunt in ceteris, nam ceteros omnes occidunt, alioqui victores esse non possent, Christus

vero in semetipso vicit, moriendo scilicet. Illi fastu et pompa vincunt et ostentant triumphum, Christus humilitate et mansuetudine summa (tanquam sceleratus) in cruce pendet et moritur. Et quum Iudaei se putabant fore victores si eum interficerent, ipse eos devicit, hostes scilicet suos. Sic etiam in membris Christi fit, vincunt et triumphant cum pro Christo occiduntur.

Ne quis igitur vos iudicet.) Colligit iam: Si ergo tam caro pretio redempti estis, et Christus omnia decreta tulit, et vos ab illis liberavit, cur adhuc illis tenemini? Hoc loquitur contra pseudapostolos qui conabantur eos in Iudaismum impellere. Idem de cibis iudicetis, qui vobis puri et liberi sunt, modo proximos non offendatis temere, modo infirmis non ponatis offensionem, qui vobiscum in eadem via ambulant.

Aut novilunii.) Novilunia ideo permissa fuerunt Iudaeis, ne ut gentes lunam adorarent. Nam gentes quum viderent novam lunam, adorabant.

Aut sabbatorum.) Sunt quidam qui vel cupiditate, vel vana gloria, vel potius temeritate quadam et carnis libertate sabbatis laborant, ceteris diebus ferias agentes, ut prae ceteris aliquid habere, vel aliis omnibus repugnare videantur. Quae insolentia non homines solum, sed et deum ipsum contemnit. Sabbatum quatenus ceremonia est, abolitum est, adque nos nihil pertinet, liberavit enim nos Christus a sabbato Matth. 12. nulli enim tempori alligati sumus. Quatenus vero ad spiritum legis pertinet (quae ut supra dictum est, semper manet) ad Christianos maxime pertinet. Spiritus legis est vel medulla legis, deum super omnia diligere et proximum. Iam verbum dei audire, beneficia eius meditari, pro iis gratias agere, ad preces convenire publicas, ad spiritum legis pertinet, deinde et dilectionem proximi respicit, ut familia nostra et operae quiescant. Nam tametsi ad tempus certum non simus alligati, alligati tamen sumus ad gloriam dei, ad verbum eius, ad laudem eius, ad caritatem proximorum. Caritas ergo docebit ubi laborandum, ubi feriandum. Caritas enim nunquam excidit, Es fält nit. Si pius est herus, non negabit servo dum res postulat quietem. Contra, si pius est servus, non negabit, dum res postulat, hero suo laborem, nec volet cum iactura heri sui quietem agere aut otium.

Corpus Christi.) Ubi umbra est, ibi corpus sit necesse est. Vetera umbrae fuerunt futurorum, nam ea non erant solida et vera, Es warend nit das rächt wäſenlich ſtuck, Christus autem corpus est et lux vera, luce veniente aut exoriente umbra dispellitur. Corpus est Christi, id est Christus ille est, qui corpus dat, Der das wäſenlich ſtuck, die wäſenlich fromkeit, vnd ſäligkeit gibt. Nam corpus hic non significat Lyb, sed wäſen, vel wäſenlich, ut supra corporaliter.

Mente carnis suae.) Id est carnali intellectu.

Per superstitionem.) Ἐθελοθρησκεία, religio est aut superstitio, quae humana seu propria voluntate affertur aut confingitur, ut Mataeologi persuadent hoc esse religionem, quod quisque comminiscatur, id est, quisque sua voluntate audeat. Vera religio est, quum deum

summum bonum cognoscimus et illo fidimus, huic haeremus, ut misericordissimo patri, et ei servimus in hisce rebus quae ipse praescribit, quae ipse probat.

CAPUT III.

Quum iam Paulus Colossenses admonuisset, ne se onerari ceremoniis et legibus humanis paterentur, sed ut liberi in gratia domini ambularent, ne putarent (sciebat namque tales inter eos esse) absolutam religionem in hoc esse sitam, sibi licere quidlibet, adiicit:

Mortificate membra quae super terram.) Hoc enim necessarium est, siquidem surrexistis cum Christo, ut iuxta normam et exemplum Christi posthac vivatis. Est quasi occulta antithesis. Quasi diceret: Sunt quidam inter vos, qui vos in exteriora elementa reducere conantur; ego aliud doceo, ut superna et coelestia cogitetis et apprehendatis.

Mortui estis.) Vestrae sapientiae scilicet, vestrae prudentiae, vestrae voluntati, ut posthac soli Christo vivatis et eius voluntati, ut posthac ex praescripto dei vivatis.

Vita vestra abscondita.) Abscondita, id est servata custodita. Nam quae abscondimus, in hoc abscondimus, ut ea servemus. Plane nobis de nobis desperandum est. Omnes iustitiae nostrae impurae sunt. Ergo in solo Christo servatur nobis vita, id est spes vitae, idque per fidem. Sunt qui hanc manifestationem de iudicio extremo intelligant, unde et putant animas post mortem corporum dormire usque ad iudicium, non esse in vita apud Christum. Sed quod illa manifestatio sit post mortem uniuscuiusque, facile ex ipsis verbis, et sequentibus colligi potest. Nam si in fide exierit homo, iam transivit a morte in vitam aeternam. Ioan. 5. Sicut latroni dixit Christus: Hodie mecum eris in paradiso, huic latroni Christus tum manifestatus fuit. Quasi dicat Paulus: Multa quidem sunt quae vos hic vexant, quae vos tentant, ita ut omnis creatura, id est omnis homo, adhuc dum scilicet hic vivit, parturiat, et ingemiscat (etiam impii torquente conscientia) et clamet, Cupio dissolvi, et esse cum Christo. In his omnibus soletur vos, quod vita vestra servatur vobis integra in Christo Iesu, et manifestabitur vobis post mortem.

Mortificate membra.) Haec verba indicant praecedentia non intelligi de extremo iudicio, sed de particulari, nam dixisset: Dormite et requiescite, ut possitis resurgere; sed dicit: Mortificate etc. Membra autem super terram vocat, quod alibi legem membrorum. Nam quemadmodum lex dei piis praescribit quid faciendum, ita lex membrorum seu carnis praescribit quae ad corpus peccati pertinent. Ergo Paulus ad Rom. dicit 7. capite se invenire aliam legem in membris etc.

Stuprum.) Adulterium intelligit, et quidquid extra matrimonii legem admittitur.

Immunditiam.) Intellige quidquid turpe et foedum est, sive verbo sive facto fiat, moribus, intemperantia, ingluvie, ebrietate etc. Vnreynigkeyt, vnsuberkeyt.

Mollitiem.) Graece est πάθος, impotentia. Ungfochtne, onmacht. Ut Latini dicunt impotens irae aut libidinis, hoc est, qui non resistit; ita hic mollitiem dicunt animique impotentiam qua vitiis et sceleribus non resistitur sed ceditur, et quum victus manus dat, ad quaecunque quae irruunt cedens; sic qui irruente tribulatione et persequutione statim concidunt et metuunt. Christianorum alia mens esse debet, et longe fortior, quam ut affectibus cedant, qui in Christo omnia possunt.

Simulacrorum cultus.) Qui idola colunt, in hoc colunt ut dei sui admoneantur, ante ea genuflectunt et adorant, se hac ratione felices putantes. Sic facit avarus, qui thesaurum habet in arca. Est ergo avaritia idololatria; ambo enim lignum colunt et lapides, et sperant in res quae tempore necessitatis iuvare non possunt; uterque impius est et nullam fidem in deum habent.

Filios intractabiles.) Id est contumaces seu inobedientes, qui scilicet praedictis sunt immersi sceleribus, sunt enim tales increduli et inobedientes in quos ira dei venit.

Maledicentiam.) Blasphemiam non dei intelligo, sed quamlibet, ut fere fit in iurgiis et contentionibus ubi homines se mutuis convitiis et contumeliis petunt, quisque obprobrat alii sua scelera et vitia.

Qui renovatur.) Novi homines estis facti, quacunque ex gente ad Christum veneritis nihil refert, sive Iudaeus quis fuerit, sive gentilis. Vivite ut novi homines in Christo, in quo estis novi facti, ut Christus in vobis ubique appareat, ut se in vobis ubique exerat, ut cuncti homines videant ac intelligant vos esse Christianos, huc tendat omne studium vestrum, non in externa.

State igitur induti.) Paulus docet quod dominus per Hieremiam. Iubet primo destruere, evertere, demoliri; deinde aedificare, plantare, erigere. Paulus ergo quum quaedam everterat, nempe membra super terram, et veterem hominem, iam novum plantat. Sic facere debent evangelistae: Primum docere cognitionem peccatorum, eaque abiicere et relinquere; deinde plantare fidem in Christum. Nisi enim quis se peccatorem agnoscat et de se desperet, ad Christum verum animarum medicum nunquam accurret. Christus non gratus est iustitiariis. Induere autem dicit per metaphoram.

Viscera miserationum.) Hebraismus est, quo magnam commiserationem significat. Sicut quum Ioseph dure alloqueretur fratres suos, commovebantur intus viscera eius. Sic contra, cum ira commoventur viscera. Quasi dicat Paulus: Ante omnia commiseratione praeditos esse convenit erga omnes, ut corda Christianorum colliquescant in caritate et commiseratione. Absit omnis ira, omnis vindicta.

Modestiam.) Christianus non debet esse fastuosus, sed modestus. Nihil autem magis inflat quam scientia sine caritate, quum sapere plus volumus quam oportet. Sic Christus humilis propter nos factus est, venitque ut nobis ministraret.

Longanimitatem.) Hac praediti debent esse Christiani, ut imitentur patrem suum in coelis, qui longanimis est. Caveamus ab affectu vindictae.

Condonantes invicem.) Nemo est qui non vitio aliquo laboret,

et quisque peculiare aliquid habet. Christianus in primis sese examinat, et proprias in se culpas ulciscitur; et quandoquidem alii infirmitates suas tolerant, debet et ipse aliorum infirmitates ferre aequo animo. Christum induere, est ipsum imitari, et facere quae ipse facit.

Super omnia autem caritatem.) Praedicta omnia nihil sunt absque caritate, nihil sunt quam hypocrisis. Facile enim quis potest commiserescere, comis esse, humilis etc. Hoc enim omnes Monachos et sectas invexit. Nam si Monachi ab initio sic fastuosi fuissent et divites, quis passus fuisset eorum petulantiam? quis tales admisisset? Caritas autem fides et spes idem sunt diversis licet rationibus. Si tota spes tua deo nititur, si ei certa fide niteris, si deus solus thesaurus est cordis tui, nimirum diligis eum. Sola caritas cunctas perficit virtutes, glutinat, colligit, nectit.

Ne ad iram provocetis.) Hoc enim patres quidam faciunt, qui pueros ita severiter et inhumaniter tractant, ut despondere animum cogantur. Hi deinde nihil recte faciunt, omnia pervertunt, et ad omne opus bonum inepti fiunt.

CAPUT IV.

Obsecrationi instate.) Εὐχὴ orationem significat, etiam voluntatem et animi sustentationem, inde προσευχὴ intenta voluntas ad aliquid. Non ergo de murmure aut battologia loquitur, sed de attentione et adhaesione mentis in deum. Sic Latini dicunt Devotio, Ein ergebne, andacht.

Vigilantes in ea.) Non pigre, non somnolenter orandum est, sed vigilanter, alacriter. Fere ista duo coniunguntur oratio et vigilia.

Ut deus aperiat nobis ostium.) Ex vinculis namque scribit hanc Epistolam, ubi sibi ianuam praedicandi verbi clausam esse putat et occlusam, hoc est, occasionem praereptam.

Sapienter ambulate redimentes.) Non loquitur hic de sapientia carnis sed spiritus, ut alibi: Estote prudentes sicut serpentes. Nam et Christianismus suam habet sapientiam. Καιρὸς non tempus modo significat, sed et occasionem et opportunitatem temporis. Antiqui Occasionem deam pingebant quae fronte esset capillata, qua parte comprehendi posset. Hoc figmento voluerunt opportunitatem et occasionem temporis significare, qua quaeque res sit agenda, quae si negligitur, a posteriori parte calva amittetur. Significat etiam καιρὸς aliquando periculum. Sensus Pauli est: Observate occasionem et opportunitatem temporis, ut evitetis periculum. Nam tempora periculosa sunt, si non opportune et iuxta occasionem ambulaverimus.

Sermo vester sit cum gratia et.) Christianorum sermo gravis debet esse, habereque pondus, ut nihil scurrile, nihil leve, nihil superfluum sit in eo. Nam sal sapientiam et condimentum significat: Gſalʒne red, dapffer, wyß, krefftig, wolgeſchmack, nit guckgack, klappertäding.

Onesimo qui ex vobis.) Iudaeus fuit. Colossis enim etiam erant Iudaei.

De quo accepistis.) Hunc Marcum putant quidam eum fuisse, qui Hierosolyma mandata Colossensibus pertulit, ex concilio scilicet

apostolorum, Act. 15. Mandata autem Latinis non solum praecepta sunt, sed et bericht. Nam apostoli in concilio nihil praeceperunt, sed tranquillitatis gratia permiserunt quaedam Iudaeis quae Gentibus non imposuerunt. Non mandarunt igitur, id est, non praeceperunt, Sunder ſy thättends jnen zewüſſen, ſy gabend jnen bericht. Gentes enim ad eos miserant. Quae apostolis fuerunt mandata, Bericht, beſcheid, iam novis apostolis Papisticis sunt praecepta et minae atroces, quas si quis non recipit, statim igni et satanae traditur.

Epaphras.) Iam eos recenset qui ex praeputio erant.

Et ea quae scripta est ex Laodicea.) Putant quidam Paulum cum his literis ad Colossenses, scripsisse et aliam Epistolam ad Laodicenses; quod si esset, non salutasset eos in epistola ad Colossenses, sed propriam ad eos misisset. Sed verba sic sonant, quod Laodicenses miserint Paulo Epistolam ex Laodicea, quam Paulus iam cum epistola ad Colossenses mittit, ut et ipsi eam legant.

Memores sitis vinculorum meorum.) Scilicet orando pro me ut liberer. Aut forte egebat, et monet ut aliquid mittant.

IN I. EPISTOLAM AD THESSALONICENSES ANNOTATIONES

HULDRYCHI ZUINGLII.

Praedicavit hanc Epistolam pro publica concione Anno M. D. XXVI.

CAPUT PRIMUM.

Paulus et Silvanus.) Silvanus alibi Silas dicitur, Act. 15. et 17. Apostoli nomen obmittit hic Paulus, quod in aliis solitus erat apponere, forte quod alii non erant apostoli; ex verecundia igitur se non vult ab illis separare, et sese apostolum nominare.

Ecclesiae Thessalonicensium.) Fidelibus illic scribit, hoc est, iis qui Christi nomen profitebantur, Die ſich für Chriſten vßgabend, vel, qui inter illos versabantur.

De omnibus vobis.) Haec est sollicitudo omnium ecclesiarum, ut supra ad Colos. 2. et in Epistola ad Corinthios. Hoc agit vera caritas, sollicita est pro fratribus.

Propter opus fidei.) Argumentum est magnae constantiae ac perseverantiae in Thessalonicensibus. Non enim adulatur Paulus dum eos laudat, qui saepe alias dure increpat cessantes et delinquentes. In hac tamen Epistola non ita graviter in delinquentes invehit, idque propter eorum constantiam. Quando vero dure, quando blande sit loquendum, fides et caritas docent.

Electionem vestram.) Hoc addit ne laude efferantur, praemunit laudem ne sibi arrogent quod solius est dei.

Per virtutem.) Id est, non solum verbum praedicavi, sed etiam signa per me facta sunt. Vel, non solum inaniter loquutus sum verbum, sed et per virtutem et potentiam, Krefftiklich hat es vnder üch gewürckt.

Per certitudinem multam.) Plerophoria est Graecis, certa persuasio, certa fides, Mit allem dem das zu vollkommenheit gehört, Ut nulli dubio sit locus; sic ad Colos. 2.

Vestra causa.) Non nostri commodi gratia.

Nostri et domini.) Ordo est inversus, Domini enim praeponendum erat, sed ita fit in epistolis quas amicis scribimus, ubi non omnia anxie exquirimus. Et saepe tumultuarie scribunt summi apostoli. Potest etiam Et expositive poni pro Id est, nam hoc frequens est Hebraeis.

Ipsi de vobis annunciant qualem ingressum.) Per ingressum intelligit praedicationem evangelii; sciunt istae Gentes qua ratione evangelium ad vos venerit. Observandum diligenter hoc est, saepe apostolis tribui in scripturis, quod solius dei est. Evangelium enim et veritatem nemo dare potest quam Christus ipse. Apostoli vero praedicant hoc, et annunciant hanc gratiam. Quasi dicat Paulus: Ingressum meum, id est, praedicationem meam. Neque enim Paulus tanto fastu et pompa inequitavit Thessalonicae, quo solent Cardinales et Episcopi, aut legati pontificis, ut fama haec ad Gentes pervenerit. Apostoli enim modesti in omnibus fuerunt, et humiliter se gesserunt. Sic Ioan. 20. Christus dicit: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Hic remittere peccata apostolis tribuitur, quod tamen solius est dei. Huiusmodi loquutiones sunt exponendae iuxta analogiam fidei, ut soli deo omnis gloria solida sit. Remissio peccatorum, id est, praedicatio remissionis peccatorum. Remittere peccata, id est, annunciare remissionem peccatorum, per metonymiam. Tanta est communio et incorporatio Christi et fidelium, ut sua nobis communicet.

Ad deum a simulachris.) Nam apostoli magna diligentia ab idolis abstraxerunt Gentes. Nam deus vetus praeceptum de idolis non abolevit, non recantavit sententiam semel latam, Non facies tibi sculptile. Non docent idola, quod quidam falso perhibent, unus est doctor in coelo. Et fides ex auditu est et verbo dei, non ex ligno et lapide. Qui ergo idola colunt, nondum sunt conversi ad deum vivum et verum, nec serviunt ei.

CAPUT II.

Nam ipsi nostis.) Iam ipsos testes vocat.

Quod non fuerit inanis.) Introitus scilicet noster et ingressus, id est, praedicatio nostra non fuit frivola aut inanis, neque de rebus inanibus; prius enim fuimus multis afflictionibus probati, ut patet Act. 16. et 17.

Multo certamine.) Evangelium praedicare non fit absque certamine, idque multo. Nam Christus signum est cui contradicitur.

Exhortatio non fuit ex impostura.) Ego dicerem Consolatio. Consolatur se minister dei sola fiducia in deum, atque hanc consolationem aliis impertit, idque prudenter, non ex errore. Sunt qui magna inveniunt, et deinde temere spargunt, parum prudentes qualis sit exitus rei. Dicit ergo Paulus: Consolatio nostra solida est et firma, non temere coepta, non temere sparsa, non ex impuritia affectuum, non ex audacia et errore, non hoc ago ut cuiquam imponam, aut ut vos circumveniam; inaedificatus sum super petram. Propheta Esaias loquitur de iis qui ex dolo omnia agunt, illinc desumpsit haec Paulus. Non necto dolum ex dolo, sed deo nitor, qui probat meum institutum, nam demandavit mihi praedicationem evangelii. Ego non volo placere hominibus, sed deo. Habet autem emphasim, Hominibus, id est, malis, carni, mundo.

Qui probat corda nostra.) Hoc est, qui novit et inspicit corda nostra. Sic 2. Corinth. 4. 5. Sic docere debet minister verbi, ac si

dominus praesens astaret, ut certe semper praesens est, quemadmodum quum discipulus lectionem legit coram praeceptore.

Non per sermonem adulationis.) Hoc est, per sermonem adulatorium. Lingua praedicatoris debet esse ut lingua canis, qui lingit et mordet. Lingit non adulatione (Nam longe abesse debet ab omni adulatione) sed commode et mansuete loquendo dum opus est, rursus severe et acriter, dum res postulat.

Nec per occasionem avaritiae.) *Πλεονεκτεῖν* praeter alia significat, (quod huc quadrat) fraudare, vi eripere, aut astu extorquere, sibique plus satis vendicare. Hoc non in opibus solum fit, sed in omnibus rebus. Ergo non proprie et semper pertinet ad avaritiam, sed ad fraudem, qua cum iniuria occupamus plus quam par sit quidquid proximorum est. *Πλεονεξία* ergo usurpatio potest dici, occupatio, fraudatio, extorsio, circumventio, Etwas an ſich bringen mit unrecht, quoquo modo id fiat. Evangelium non in hoc praedicavi, ut mihi vel gloria vel opes ex eo vendicarem.

Quum possemus in autoritate esse.) Hoc non intelligendum est, quasi alii apostoli Christi in autoritate, id est, fastu aliquo fuerint, sed vult sic dicere: Nos sumus apostoli et legati Christi filii dei summi regis, et hac ratione potuissemus autoritate quadam vobiscum agere, et magni apud vos esse, hoc vero non fecimus, sed fuimus humiles, mansueti, et comes inter vos, nihil fastuose aut tyrannice egimus.

Affectu propensi.) Graeca dictio magnam vim habet, tale habere desiderium et talem affectum aut propensionem, ut habent matres et nutrices erga pueros.

Ne cui essemus oneri.) Probat iis verbis, quod dixerat: Cari estis nobis, et quod non sua quaesierit. Artificium Pauli fuit texere aulaea, ut patet ex Act. cap. 18. quo sibi victum parans, nihil accepit a Thessalonicensibus. Quod si Paulus proprio labore absque mercede (quam tamen Christus suis permittit) evangelium praedicavit Thessalonicensibus, certissimum argumentum est, eum Thessalonicenses vehementer dilexisse, a quibus non accepit, quod iure optimo capere potuisset. Neque vetat interim Paulus his verbis, quo minus verbi ministri necessaria accipiant ab his quibus evangelizant, nam alias hoc permittit, ut 1. Corinth. 9. 1. Timoth. 5. Verum si ministri sic sint animati, ut laborare et velint et possint, gratisque praedicare Christum, nihilque hinc recipere ab auditoribus, nemo vetabit, et illi quidem propius divinae naturae accedunt. Nam beatius est dare quam accipere.

Sancte.) *Ὁσίως*, Graecanica dictio magnum pondus habet, pure, integre, sancte, frommklich.

Inculpate.) Dicat aliquis: Saepe reprehensus fuit Paulus, et culpa ei impacta. Verbum dei in se inculpatum est, impii vero, qui verbo contradicunt, culpam saepe impingunt et verbo et ministris. Tum autem verbum et doctrina inculpata sunt, dum minister verbi bona et sincera conscientia praedicat, et solius dei gratiam quaerit, salutem animarum, vitaeque innocentiam, dum vitia et scelera exstirpat, virtutes plantat, curatque ut homines digne deo ambulent. Huc enim tendit evangelium et universa doctrina Christi.

Sicut erat vere sermonem dei.) Qui verbum dei persequuntur nominem Lutheri aut Zuinglii praetexunt, odiosum ut reddant. Solus fidelis discernere et iudicare potest, an sit verbum dei an hominis, nempe si deus operetur in auditoribus et credentibus; quum deus intus verbum externum praedicatum excitat et vivificat, ut homo novus fiat; quum homo non ob id recipit verbum, quod is aut ille praedicat, sed quod intus sic esse sentit. Verbum itaque ministrorum dicitur verbum dei, quia ipsi a deo hoc sumunt, et non suum verbum, sed verbum dei praedicant. Doctrina non est ministrorum, sed dei; dicitur vero eorum etiam, quod ab ipsis praedicatur, et per eos hominibus proponitur.

Vos enim imitatores.) Hoc argumento discitur, vos vere sermonem dei audivisse, quod multa passi estis propter Christum, 1. Cor. 3. Ecclesiae in Iudaea, primum acceperunt verbum dei, et crediderunt in dominum Iesum, has sequutae, deinde et Gentes. Non ergo Romanam ecclesiam sequutae sunt aut pontificem.

Et deo non placent.) Obiter persequutorum et hostium mores describit, nihil faciunt quod deo probetur, deinde et omnibus hominibus odiosi sunt. Habet autem haec vox, Hominibus, emphasim, significat enim credentes solos.

Ego quidem Paulus.) Praesertim ego, vel maxime ego, exceptio est.

Obstitit satanas.) Satan adversarium significat. Utitur genere pro numero. Nam qui adversantur evangelio et bonis conatibus obstant, faciunt hoc suggerente satana, et satanae sunt ministri et organa, imo satanes sunt.

Corona gloriationis.) Hoc non iactantiae est, nec Paulus sibi aliquid gloriae vendicat, sed fructum eorum ostendit, potius humilitas est Pauli. Quasi dicat: Ego non quaero gloriationem in aliqua re, nisi quod multos lucrifaciam Christo. Alii aliis rebus gloriantur, ego sola gloria dei et vestro profectu.

CAPUT III.

Priora capita vice exordii fuerunt, tertium iam caput narrationem continet.

Timotheum fratrem.) Non fuit carnalis frater, sed fidei. Qui hoc nomen in ore duntaxat habent, non etiam vere diligunt, hypocritae sunt. Ubi vera est fraternitas et caritas, una fides est, unum cor, una spes etc.

Ministrum dei.) Apostoli ministri debent esse dei, non ventris, non gloriae, non hominum, qui verbum dei panem vitae prudenter et bona fide administrent, dentque cibum suo tempore.

In hunc usum positos esse.) Hoc bifariam exponi potest, vel de apostolis, vel de omnibus piis. In hunc usum positi sumus, vel ut patiamur, vel ut consolemur et erigamus afflictos. Nam hoc officium est ministrorum verbi.

Ne quisquam turbaretur.) Verbum Graecanicum significat adulari proprie, quemadmodum canes faciunt mota cauda, quod quidem vel adulatione fit, vel metu, hic ad animum transfertur. Tentationes

mittantur a deo fidelibus, ad explorationem fidei. Oportet autem semper consolari infirmos ac tentatos.

Ne quo pacto tentasset.) Hoc est, ne tentationes opprimerent vos. Omnino non tentari, Christianis hic non contingit.

Et suppleamus.) Solus deus fidem dat, auget, et fulcit, sed Paulus loquitur de externo verbo, quod ipse administrabat.

Ut confirmet corda vestra.) Qui tales sunt apparebunt sine metu in conspectu dei. Qui vero a Christo per metum abscedunt, in magna confusione stabunt et pudefient.

CAPUT IV.

Rogamus vos et adhortamur.) Laudat magnopere Thessalonicenses, at quaedam vult correcta in eis et emendata, quare rogat, ac dulciter ad vitae probitatem et innocentiam invitat.

Ut abundetis magis.) Ut indies magis magisque proficiatis; nam perfectus hic nemo esse potest; et qui stat, videat ne cadat; quotidie cadimus, quotidie peccamus, quotidie ergo resurgamus.

Praecepta per dominum Iesum.) Nihil praecepi, nihil mandavi ex me; et quae praecepi non ex me dixi, sed ex voluntate et praecepto dei, nullius hominis.

Sanctificatio vestra.) Hoc vult deus ut sancti sitis quemadmodum ipse sanctus est, puri, mundi, integri, innocentes, Cuber, rein, züchtig, eerlich, fromm, erber, eerſam.

A scortatione.) Per scortationem hic intelligit in genere omnem carnis immunditiam simul cum adulterio. In Epistola ad Hebraeos utrunque exprimit, et simul iungit; ubi dicit: Honorabile est apud omnes coniugium, et impollutum cubile; scortatores autem et adulteros iudicabit deus.

Vas suum.) Ego uxorem intelligo, alii aliter. Sed quid? Num debet vir diligere uxorem suam? quare ergo addit: Non affectu concupiscentiae? Non vetat Paulus affici: quis enim sine affectu cohabitat uxori suae? sed immodestiam et licentiam carnis petulantem cohibet; ponit modum affectibus. Christiana castitas quae est in coniugio, debet moderari affectus ne in ferinam rabiem et impudentem insaniam erumpant. Vir non debet insane et perdite amare eam, quam caste amare convenit, ergo mox addit: Quemadmodum et gentes, quae deum non noverunt.

Ne quis fraudet in negotio.) Veteres plerique de adulterio hunc locum intelligunt, sed non videtur verisimile, potius videtur avaritiam vetare, quae opprimit et fraudat fratres. Utrunque ergo iungit, ut in Epistola ad Hebraeos 13. Ut simus, scilicet, casti et sancti; deinde rebus praesentibus contenti, non avari. Iterum est verbum *πλεονεκτεῖν*, de quo supra, übergewünlen, überforteylen, übernemmen, da yeder in ſack zücht.

Non immunditiae causa.) *Ἀκαθαρσία*, immunditia, generale est ad omnia vitia et scelera, quibus polluimur. Non in hoc vocavit nos deus ad cognitionem suam in Christo, ut impure vivamus, sed ut sancti et puri simus.

Proinde qui reiicit.) Doctrinam scilicet illam, quam trado de sanctificatione et munditia. Sic Exod. 16. Non contra nos est murmur vestrum, sed contra dominum. Qui enim non audent repugnare domino, ministris eius repugnant. Hoc autem evidentissimum argumentum est, prius eos reiecisse deum in cordibus suis, priusquam Mosen contemnerent. Nam Moses non eduxerat eos sua virtute et verbo, sed dei. Quum ergo dicunt: Cur eduxisti nos? produnt se impios esse, et oblitos dei sui qui eduxerat. Sic hodie fit, caro simulat se deum non reiecisse (non enim audet homo dicere: Nolo deum, reiicio deum, nolo eius verbum) sed solum ministrum, Den pfaffen wil ich nit hören, den falſchen leerer, den kätzer. Vult ergo homo videri pius, simulat se amare deum, quem tamen prius in corde abiecit et contempsit, antequam ministros eius contemnat.

Qui dedit spiritum sanctum in vos.) Quasi dicat: Ex hoc spiritu facile iudicare potestis, an ex me loquar, an ex deo. Nam soli illi intelligunt quis ex deo loquatur, qui spiritum dei habent. Quis enim diceret simplici et indocto an minister verbi erraret, an veritatem diceret? Iudicium est penes auditores, ut docet Paulus 1. Corinth. 14. Solus spiritus sanctus docet indoctissimos, ut doctissimorum hominum verba diiudicent.

Divinitus docti ut diligatis.) Qui fideles sunt, et a deo intus docti, diligunt proximos.

Nam et facitis hoc.) Magna haec laus est Thessalonicensium.

Quieti sitis et agatis res proprias.) Nemo tumultuetur, nemo motum excitet, nam hoc Christianorum non est. Apparet iam tum exsurrexisse quosdam, qui otiosi res alienas curarent, et curiosi circumcurrerent.

Sicut vobis praecepimus.) Παρηγγείλαμεν ego verterem Mandavimus vel recensuimus, Vormälden, befälhen, Hebraicum Ziffa.

Et nulla re opus sit.) Vel ut nullo opus sit vobis; potest enim μηδενὸς ad personam referri et ad rem.

De iis qui dormierunt.) Per dormientes mortuos intelligit. Qui nimium dolent et lugent de mortuis aut infideles sunt, aut infirmi, parum spei habentes de immortalitate, de vita aeterna, de praemio piorum. Qui fideles sunt credunt Christo qui dicit: Qui in me credit, transivit a morte in vitam, Ioan. 5. Observandum hic, resurrectionem varie in scripturis accipi. Primo, pro vita post hanc vitam, ut in Epistola ad Hebraeos, ubi Paulus dicit, fideles aspernatos esse redemptionem, ut potiorem sortirentur resurrectionem. Secundo, significat reparationem et vitam quae nobis per Christum donatur, Rom 5. Per unum hominem mors, per Christum resurrectio mortuorum. Item Ioan. 11. cap. Ego sum resurrectio et vita, Das wider vfrichten, Kum Hebraicum, quod per fidem in corde credentis est, viva et efficax fides quod per Christum a peccatis purgatus et a morte in vitam traductus sit. Qui hanc veram fidem habet, non dubitat se post hanc vitam veram vitam habiturum. Tertio, capitur pro ultima illa corporum resurrectione. Est ergo resurrectio animarum et resurrectio corporum, de utraque Ioan. 5. et alibi. Qui animas post mortem corporis dormire dicunt,

locos scripturae non diligenter excusserunt. Christus dicit: Ubi ego sum, illic et minister meus erit. Christus autem est ad dexteram dei, ergo animae piorum cum Christo illic erunt nec dormient, sed gaudebunt cum Christo. Sic latroni dixit: Hodie mecum eris in paradiso; quod dubio procul iuxta promissionem factum est, mox ut latronis anima corpus deseruit, cum Christo in summa fuit oblectatione. Et Lazarus in sinu Abrahae (etiam ante Christum) consolabatur et recreationem habebat. Dormitionem ergo Paulus Hebraeorum more mortem appellat corporis, et hoc scripturis perfrequens est. Taxat autem civiliter et occulte infirmitatem fidei in Thessalonicensibus. Fides resurrectionis, id est, vitae post mortem, in omnibus hominibus valde infirma est. Hinc tot casus, tot delicta, tot cupiditates. Sola meditatio vitae post mortem homines vel metu a vitiis abstrahit. Quod si veram fidem huic meditationi coniunxeris, quanta integritas, quanta innocentia ex hac fide subnascetur? Qui perpetuo in vera fide hoc meditantur, nempe post hanc vitam aeternam esse vitam, in qua homo semper cum deo futurus est, is facile se purum ab hoc saeculo custodiet, et studebit hic esse quod aliquando est futurus. Vita ergo nostra testatur parum fidei in nobis esse, quum sic indulgemus carnis affectibus, quum belligeramur, quum fraudamus etc. Fides custos est oculatissimus et vigilantissimus, qui hominem continue a labe et lapsu custodit. Oculus in corpore omnes bolos, quos homo ori suo admovet et inserit, diligentissime observat, haereat ne aliquid crinium aut aliarum rerum in cibo, ne immundum aliquid deglutiat. Sic si oculus fidei semper et in omnibus rebus deum spectat et observat, nihil cogitabit, nihil dicet, nihilque faciet homo, quod eum inficere possit. Fides dictat, quid deo probetur, quid displiceat, docet ut ab hoc caveas, illud facias. Mox ut cecidisti aut lapsus es, docet fides hoc confiteri, agnoscere, deprecari et veniam petere; docet pugnare cum affectibus, transferre cogitationes a terrenis ad coelestia, cogitare quae sursum sunt, quo modo deo placeas tota vita, quomodo innocenter et sancte coram eo vivas. Quanto quis ab hac fidei vigilantia et energia abscedit longius, tanto magis in vitia et scelera delabitur. Quanto vero quis propius accesserit, tanto magis a vitiis et sceleribus cavet. Sunt gradus in vitiis, in fide, et virtutibus. Sunt qui timore poenae a vitiis abstrahuntur et cessant, et hoc nonnihil est. At hoc multo fortissimum est, dum homo amore dei, iustitiae et innocentiae studet.

Nos qui vivemus et reliqui erimus.) Eandem sententiam ad Corinthios aliis verbis retulit, 1. Corinth. 15. Non omnes, inquit, dormiemus. In extremo enim adventu Christi quidam homines adhuc vivent. Quasi dicat Paulus: Nihil praerogative habebunt qui adhuc in vita supersunt adveniente Christo, nihil decedet illis qui antea mortui fuerunt, omnes per unum Christum servantur, tametsi primum resurgent, qui primum mortui sunt.

Cum hortatu.) *Κέλευσμα* hortatus est ille vehemens, quo laborantes sese mutuis hortatibus acclamant, aut unus aliquis ceteros omnes, ut solent in navibus etc.

Et sic semper cum domino erimus.) Qui diligunt deum, cupiunt

semper esse cum eo. Quod ergo mortem horremus, argumentum certissimum est, nos dilectionem dei non habere. Nam qui hominem aliquem virtuosum amat, gaudet cum ipso esse et familiariter ei conversari. Qui curant, ut hic innocenter coram deo ambulent, semper cum domino erunt. Sponsa desiderat esse cum sponso. Quandiu nos terrenis rebus haeremus, desereque mundum nos poenitet, signum est nos nondum totos deo haerere.

Consolamini vos mutuo sermonibus his.) Quibus vero nos verbis aut sermonibus consolati sumus eos, quorum parentes aut amici decesserant? Cura ut missae tot pro defunctis legantur, tot advoca sacerdotes qui pro illis orent etc. Paulus hic longe aliam consolationem docet, nempe: Si credimus, quod Iesus Christus mortuus est, et quod deus resuscitaverit eum, credemus etiam quod et nos per Iesum sit resuscitaturus et adducturus cum eo in vitam.

Dicimus hoc in verbo domini.) Christus enim hoc dixit Matthaei 25.

CAPUT V.

De temporibus et articulis.) Καιρὸς articulum significat aut momentum temporis, Das ſtündlin. Sic Act. 1. Non est vestrum nosse etc. Quasi dicat Paulus: Nihil de hoc scribam, nec possum quidem, quum pater sibi hoc reservarit. At ut fur inopinato ingruit, ita et hic dies de repente et inexspectato veniet. Vides hic ut similia non per omnia quadrent. Nam Christi adventus non est impius ut furis, at in hoc quadrat, quemadmodum furis adventus inopinato fit, sic Christi adventus. Abscondit autem hunc diem nobis, ut semper et sine intermissione vigilemus, ne unquam torpescamus, ne otio et luxu diffluamus. Non infide aut subdole agit deus nobiscum, sed vult ut stemus in excubiis, in acie semper pugnemus. Hoc si fecerimus, non poterit nos imparatos obruere. Quod si dixerimus in corde nostro: Differt dominus ac moram trahit, edemus, bibemus, inebriabimur, voluptuabimur, genio indulgebimus, pacata sunt omnia, et cum divite illo: Anima mea iam satis habes, ede, bibe, gaude; mirum non est, si nos dies ille imparatos nos opprimat. Simile adiicit Paulus de muliere parturiente, quae se parituram, certo scit, verum articulum ignorat. Quod argumentum est: Paulum non solum loqui de ultimo illo die, sed etiam de uniuscuiusque morte.

At vos fratres non estis in tenebris.) Venusta est allusio. Christus lux est, si in illo ambulaverimus, hoc est, si firma fide huic haeserimus quod ipse nobis manifestavit et enarravit, non potest nos dies domini obruere. Nam semper parati et accincti stabimus. Similis sententia Ioan. 3. 8. Rom. 13. Pudet nos male agere coram hominibus, et non pudet nos peccare coram deo, quae nostra est malitia et stultitia. Ubi vera fides viget, plus concipiemus pudoris deo cuncta vidente, quam si homo videret, quum ipse sit lux aeterna. Huius lucis iam filii facti per fidem et spiritum, non decet ut in nocte et tenebris ambulemus, eramus aliquando tenebrae, nunc autem lux in domino, ut filii lucis ambulemus.

Proinde ne dormianus.) Milites in castris excubantes non debent dormire, non ebrii esse. Vita autem nostra militia est, continuum gerimus bellum cum hostibus callidissimis; non est ergo nobis dormiendum, non ebrietati indulgendum. Hic tametsi de vini ebrietate loquatur, nihilo tamen minus omnium cupiditatum et vitiorum furorem et ebrietatem adumbrat et intelligit. Et pulcherrima est comparatio ebrietatis ad furorem affectuum. Multos enim et varios excitat vinum immoderate sumptum affectus et aestus in corpore humano. Et quum caro per sese affectibus et vitiis sit obnoxia et tota dedita, qui vino affectibus fomenta ministrat, oleum igni addit, et aestus innatos excitat et movet.

Induti thoracem fidei.) Munimentum pectoris adeoque vitae fides est. Similitudo autem apta est ab armatura corporis. Qui munitus est fide, huic salva sunt omnia. Nihil huic metuendum, nequaquam fugiendum.

In iram.) Ira pro ultione et vindicta hic capitur. Non assumpsit nos deus, ut ulciscatur se de nobis. Sic Ioan. 3. Non misit filium suum in mundum ut iudicet mundum.

Sive vigilemus.) Christus pro nobis mortuus est, ut hic et alibi dei simus, id est, ut hic sancte vivendo, post hanc vitam aeternum cum eo vivamus. Per vigilare autem et dormire, hic non intelligit vitae innocentiam, aut socordiam, sed iam aliter utitur illis verbis. Est enim transitus in eisdem verbis. Per diem et noctem, omne tempus intelligit; per vigilare et dormire, vitam et mortem.

Qui laborant.) Commendat omnes eos qui in ecclesia dei officia et ministeria dei habebant, et dicit significanter: Qui laborat, alibi ad Timotheum addit: In sermone et doctrina. Non enim est otiandum, non stertendum. Et labor arduus est praedicare verbum dei.

Pacem cum illis habete.) Sind wol mit jnen zefriden, vel: Vos habetis pacem per illos, et hoc ideo, quia ipsi pie docent. Merito ergo in pretio sunt vobis habendi, et in magno honore. Est ergo habetis vel habete.

Monete inordinatos.) Haec Pauli sollicitudo pro omnibus ecclesiis, ne quid confusionis aut inobedientiae succrescat, et quo minus acrem ministrorum reprehensionem inique ferant. Monet ut et ipsi inter se hoc faciant, tam abesse debeat, ut aliis hoc facientibus indignentur.

Consolamini pusillanimes, sublevate infirmos.) In fide scilicet, longanimiter ferendi sunt tales, et summa mansuetudine ac tolerantia. Haec sunt opera bona, quibus studere debent Christiani.

Semper gaudete.) De honesto gaudio loquitur quod Christianos decet; et animat eos, ut pectora eorum interrita sint et fortia.

Indesinenter orate.) De vera oratione loquitur, quae elevatio est mentis in deum, non de battologia vana et verbosa, ut mens in omnibus deum spectet, omnia ab eo petat, pro omnibus gratias agat, in omnibus ad eum accurrat.

In omnibus gratias agite.) Sive laeta sint, sive adversa; nam deus omnia dispensat vestro bono, ideo in omnibus gratias agite.

Spiritum ne extinguatis.) Per spiritum puto hic intelligi dona

spiritus, apparitionem spiritus. Loquitur autem ad id quod habetur 1. Corinth. 14. Quasi dicat: Si spiritus alicui revelarit sensum scripturae quem hactenus alii non attigerunt, hunc audite, et hoc donum ne spernatis, ne supprimatis. Mordicus tenentes prophetiam, id est, scripturarum interpretationem, ne spernatis, hoc est, ne negligatis, quisque mansuete alium audiat de rebus divinis disserentem.

Quod bonum est tenete.) Audite quid quisque ex deo dicat, eligite ex his quod bonum est et salutare: opposita iuxta se posita magis elucescunt. Quod vero iam deprehensum est verum et sincerum esse, teneatur mordicus. Posteaquam enim mala et bona in examine sic separata et secreta sunt, ut bonum iam receptum sit a piis, non est quod posthac malum audiamus. Pauli doctrina intelligenda est de hisce rebus, quae adhuc incertae haerent, et in ambiguo stant, et dum lis adhuc sub iudice pendet.

Ab omni specie mala.) Hoc in genere intelligendum est. Non satis est Christiano si caveat ab his quae mala sunt, nisi et occasiones omnes mali vitet.

Osculo sancto.) Fortassis mos ille receptus erat apud has gentes, ut osculo se exciperent ac salutarent. Quandoquidem vero affectus pravi in his aliquando concurrunt, iubet ut sanctum sit osculum. Si vero mos ille inter eos non fuit, monet Paulus ut se mutuo sinceriter diligant.

IN II. EPISTOLAM AD THESSALONICENSES ANNOTATIONES

HULDRYCHI ZUINGLII.

CAPUT PRIMUM.

Invocatio fit aliquando in nomine patris tantum, aliquando in nomine filii, quandoque uterque invocatur, ut: O domine Iesu, miserere mei etc. Hoc non debet nos dubios facere de unitate patris filii et spiritus sancti, unus enim est deus, qui operatur omnia in omnibus. Invocatio tamen frequentius fit per nomen Iesu Christi ad patrem. Ioan. 16.

Pax.) Cum deo, cum proximo, in se ipso, cum omnibus, etiam hostibus quantum est in nobis, ut patienter feramus quaecunque nobis ferenda accidunt. Thessalonica metropolis est Macedoniae, quae in fide tantum crevit, ut exemplar esset totius regni Macedonici.

Documentum iusti iudicii dei.) Quod persequutiones ingruunt, non debetis dolenter ferre, nam est ἔνδειγμα, argumentum seu evidens documentum iusti iudicii dei. Palam facit dominus vos electos esse et ascitos in filios regni sui coelestis. Expolit vos dominus afflictionibus huiusmodi et explorat, ut digni sitis hoc regno et idonei.

Siquidem.) Εἴπερ. Nam et simul interim dignum est, ut et his rependat qui vos tribulant, et hoc est iustum iudicium dei. Iustum iudicium dei est, quod suis immittit varias et multas tribulationes, quibus eos ad futuram vitam parat. Rursus eos qui pios affligunt parat ad supplicia. Hoc adiicit Paulus, ut robur addat, consoletur, erigat. Nihil ergo moveri debemus, si deus longanimis est, si diu exspectat, si non statim vindicat et punit malos. Servus non debet aegreferre aut indignari, si herus eius debitoribus debitum vel donet vel diu exspectet. Nos servi sumus dei in domo dei, vindictam ergo deo debemus committere. Hoc tamen certo scire debemus, deum, si longanimitas eius contemnitur, gravissime puniturum contemptores. Duplici ergo ratione dominus persequutiones mittit idque iusto iudicio. Primum ut boni per ignem probentur. Secundo ut mali puniantur, et sic declaretur iustum iudicium dei.

Cum angelis.) Angeli ministri sunt et nuncii divinae voluntatis. Dicat quis: Quum deus omnia agit et regit verbo virtutis suae, quid opus angelis? Sed sic voluit ordinem providentiae suae ostendere deus. Nam sic de sole posset quis dicere, quum deus sit lux perpetua quae illuminat omnia, quid ergo opus sole? Sed sic placuit deo. Et voluit

nobis ostendere ad quantam dignitatem et societatem scilicet angelicam essemus cooptati post hanc vitam.

Cum incendio flammae.) Sic 2. Pet. 3. et ubique in prophetis de igne, qui ante faciem domini praecedet, et consumet inimicos eius.

Infliget ultionem iis qui deum non noverunt.) De iis loquitur qui supinam et crassam ignorantiam habuerunt, qui noluerunt audire veritatem; aut si audierunt non voluerunt intelligere; et si intellexerunt, noluerunt credere, ut patet Matth. 11. Vae tibi Bethsaida: et Ioan. 15. Dicat aliquis: Quum credere ex solo deo sit, et nemo credit nisi quem pater trahit, cur ergo punit eos qui non credunt quum ipse non det? videtur enim hoc iniuste fieri. Minime. Nam ipse potest uti vasis suis pro suo arbitrio, nobis non licet disputare aut disceptare cum creatore deo. Quum ergo videmus quosdam qui audiunt evangelium et non credunt, dolere debemus, sic cogitantes ac dicentes: O domine deus, cuius iudicia iusta sunt, tu vis hoc homine uti ut vase irae tuae, sed parce domine, miserere domine, ostende ei salvatorem tuum Iesum veram lucem, irradia mentem eius, ne sic pereat etc. Nemo illos contemnat, ne et ipse excidat.

Ac facie domini.) Id est, adveniente domino. Interim describit et depingit pulcherrimis verbis gloriam adventus dominici.

Quod fides habita sit.) Hoc ὅτι dupliciter exponi potest. Primum ut sint duae dictiones ὅτι, quod quidem testimonium creditum est etc. ut sit loco parenthesis. Nam Paulus mira arte parique elegantia utitur in hac epistola. Primum gratulatur et gratias agit de fide eorum et tolerantia, quam habebant Thessalonicenses in persequutionibus. Deinde expatiatur per egressionem, docens quid prosint passiones, et cur a deo immittantur, nempe, ut iusti probentur, mali poenas dent, nam repensurus sit iustus iudex persequutoribus gravissima supplicia, idque in adventu suo. Iam latius excurrit, describendo modum et gloriam adventus dominici, et quomodo admirandus fiat in credentibus. Porro ut declaret qui sint credentes, interiicit parenthesis loco, haec verba ὅτι ἐπιστεύθη etc. Declarans qui sint credentes, facitque hoc exemplo rei non personae, dicens: Haec est vera fides, quum nostro testimonio creditur, hoc est, praedicationi apostolorum. Quasi dicat: Hi vere credentes sunt, qui verbis nostris et praedicationi credunt. Post parenthesim mox sequitur: In die illo, quod superiora respicit, scilicet fiet admirandus in credentibus, in die scilicet illo. Secundo potest ὅτι unica esse dictio pro coniunctione (quod). Tunc sensus erit: Deus admirandus erit in credentibus; causa, quod scilicet credentes fidem habuerint testimonio nostro. Sensus tamen pene in idem redit.

Ut vos dignos habeat.) Vocatione scilicet ista, qua advocabuntur electi, quum iudex dicit: Venite benedicti patris mei etc. Quum deus admirandus erit et gloriosus in credentibus.

Et compleat.) Καὶ πληρώσῃ πᾶσαν εὐδοκίαν ἀγαθοσύνης et perficiat omnem bonam voluntatem seu complacentiam (ut ita dicam) benignitatis. Nomina in συνη apud Graecos significant, quemadmodum apud Germanos, Geſinnet ſyn, ἀγαθοσύνη geſinnet ſyn vff alles guts, σοφροσύνη geſinnet ſyn vff wyßheit ꝛc.

Et opus fidei cum potentia.) Id est, ut deus potenter fidem operetur in vobis. Vel: Ut fides vestra potens sit in opere, hoc est, fides fructus dignos edat et bona opera, ut sit fides non ficta aut irrita. Nam hac fide viva et vera illustrabitur nomen domini nostri Iesu Christi, idque per vos, sed vos per illum, et haec omnia per gratiam dei.

CAPUT II.

Rogamus fratres.) Quae tum iactabantur, eadem hodie iactantur a Catabaptistis, imminere scilicet diem domini. Scite admonet et obsecrat eos per illud, in quo ipsi errabant et seducebantur, nempe per adventum domini. Quasi diceret: Si vobis dies ille tremendus est et magnus in cordibus vestris, obtestor vos per illum etc. Piis enim magnus est dies ille, eo quod sentiant se apparituros esse in conspectu dei, qua de causa et innocenter vivunt. Rursus et malis magnus est, id est horribilis, nam reddituri sunt rationem coram severo et iusto iudice, idque coram tota congregatione. Bonos igitur pudore, malos metu percellit.

Ne cito dimoveamini a mente.) Vom verſtand, vom ſinn, vom fürnemmen.

Ne turbemini.) Scilicet eo metu quo desperati percelluntur. Nam pii non metuunt hunc diem. Vel ne turbemini, Laſſend üch nit verwirren, irr machen, quasi dominus adsit. Veri enim Christiani istis vanis clamoribus non terrentur, quum quidam dicunt: Dies domini adest; sciunt enim se unitos esse cum deo, sive vivant, sive moriantur. Qui autem adhuc opibus inhiant, qui voluptatibus indulgent, et carni serviunt, adhuc in conscientia torquentur et horrescunt ad illius diei mentionem. Dicit ergo Paulus: Estote firmi, ne moveamini, ne turbemini. Quaecunque accidunt piis, vel sunt ad calcar et excitationem si oscitantia aliqua obrepsit, vel ad probationem. Diligentibus enim deum omnia cooperantur in bonum. Impiis vero et infidelibus vel minima horrorem incutiunt.

Per spiritum.) Sic quidam spiritum iactant in rebus omnibus, et quae dicunt, asserunt se per spiritum didicisse.

Sive per rationem.) Graece est λόγον, quod significat sermonem, rationem, verbum. Quocunque modo id sibi revelatum dicant. Anno. 24. scripsit quidam librum, diem domini adesse, certis argumentis hoc evincens; sed hi torquent scripturas pro suis affectibus.

Sive per epistolam a nobis scriptam.) Nam in hoc pseudapostoli imponebant simplicibus. Triplex ergo periculum proponit, a quo cavere debeant.

Quoniam non adveniet.) Graeci sic legunt, ὅτι ἐαν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον: Quoniam nisi (vel si non) venerit apostasia prius. In istis verbis aut Elipsis est, aut Aposiopesis, scilicet dominus non veniet. Vel, si nisi non habet quod respondet, anantapodoton est.

Defectio.) Tanta enim erit tentatio, tanta prodigia edentur per falsos apostolos, deo hoc permittente, quod electi seducantur et deficiant. Est autem Synecdocha, nam non omnes defecturi sunt. Papistae

hoc tempus iam adesse dicunt, et nos esse seductores illos. Sed examinetur doctrina nostra, et apparebit illos esse mendaces. Nos enim praedicamus Iesum Christum et hunc crucifixum, eumque esse unicum reconciliatorem, unicum praesidium. Papistae vero Papam praedicant antichristum, quem Paulus hic graphice depingit.

Filius perditionis.) Hebraismus est, et genus pro numero, id est, filii perditi. Paulus in genere de omni eo loquitur, qui verbum suum verbo dei praeponit. Nam arbor mala bonos fructus non fert. Homo natura malus est, seductores ergo sunt, quotquot verbum suum aequant vel praeferunt verbo dei. Deinde speciatim Papam intelligit, non solum autem Iulium aut Alexandrum, sed totum regnum eius. Praemonet ergo a gemino periculo. Unum quod suo tempore erat; erant enim tum quidam falsi apostoli. Alterum venturum erat in Papa, a quo occulte cavere docet. Nam Papa exstulit sese super omnem potestatem dei. Tribuunt enim Papistae suo antichristo potestatem coeli et terrae. Omnia potest praeter miracula facere. Nemo autem crederet, si diceret se posse caecos illuminare vel illuminasse, qui adhuc caeci essent. Non ausus ergo est sibi potestatem miraculorum vendicare; tametsi et hac parte non nihil tentavit in falsis et mendacibus miraculis et signis, quibus multis imposuit.

Quod nominatur deus.) Id est, quod est deus, more Hebraico; et hoc pontifices fecerunt, extulerunt se supra deum, et super omne id quod vel deitatis nomen habet. Dicunt se esse supra Petrum et Paulum, et Petrum amplius non posse solvere in terris, tametsi pro nobis oret. Astute quidem illud, nam si fideles scirent Petrum posse solvere, Papae non darent tot pecunias pro indulgentiis, sed currerent ad divum Petrum, qui gratis daret. Papa passus est se adorari, et sibi exhiberi quidquid cultus soli deo debetur, quin deus ipse (si quidem in eucharistia Christus est) coactus fuit ei inequitanti occurrere; patitur sibi pedes osculari vel a summis monarchis, qui se ei prosternunt. An hoc non est se in locum dei statuere? Christus hoc sibi fieri non permisit. Se ipsum autem in dei locum vi intrusit, nam deus eum huc non posuit. Haec possunt latius diduci, si quis vitam et opera Christi expendit, et vitam ac opera antichristi per antithesim contraponit.

An non meministis.) Sed unde haec habuit Paulus inquis? Potuit haec coniectari ex falsis fratribus, qui tum erant, quod venturi essent, imo tunc erant qui doctrinam suam Christi doctrinae praeferrent. At certus erat Paulus tum non posse eos promovere. Interim tamen et hoc videbat divinus apostolus, et hoc ex spiritu collegit, quod posterioribus saeculis venturus esset Papa antichristus, qui tum obtineret. Et hoc factum est tempore Cypriani annis trecentis post Christum. Quod vero tum obtinere haudquaquam poterat, factum est magna fide et vigilantia apostolorum, inter quos se non numerat, licet modeste se innuat. Quod hactenus inquit non praevaluit, quod prohibitus est, quod caput nullum habuerunt, scitis quid causae sit, ingens cura et sollicitudo apostolorum. Hoc patet ex omnibus epistolis Pauli, quantum certamen Paulus et ceteri apostoli habuerint cum pseudapostolis et falsis doctoribus, quibus maximo cum periculo diligentissime restiterunt,

adeo ut tum praevalere non posset; hoc indicat Paulus. Nihilo tamen minus praevidebat futurum, ut aliquando postero tempore frigescente fide et caritate, lupus ille Papa invasurus esset orbem et totam ecclesiam Christi, tum scilicet quum caput obtinerent, dicunt enim Papistae Papam esse caput ecclesiae antichristianae. Hoc praevidebat inquam Paulus bestiam istam sic dominaturam, ut sese supra deum erigeret. Igitur subiicit: Ut reveletur suo tempore. Nam iam agit (inquit) sed in mysterio et clam. Er regt ſich ſchon ietz, er laßt ſich mercken, sed non tam manifeste, non tanta cum potentia. Ergo tantum qui tenet in praesentia teneat, donec tollatur e medio. Quasi dicat: Wär nun etwas krafft hat mit der leer anzehalten, vnd zeweeren, der halte redlich an, ut propellatur, ne obtineat. Deinde aptanda sunt ista verba speciatim ad Papam antichristum. Possunt enim haec verba bifariam exponi, ut diximus, et ad tempus Pauli, et ad futurum in quo dominaturus erat Papa. Et tunc sensus est: Quum Papa regnum suum obtinebit plene, So halte denn aber ein yeder redlich vnd häfftig an, in fide et doctrina, nam tanta erit tentatio, ut et electi seducantur; quapropter simus constantes et firmi, Halt ein yeder gläubiger ſtyff vnd handtlich an, ne quis moveatur, donec regnum antichristo eripiatur, et dolus eius manifestetur. Quicunque veram fidem apprehendit, firmus stet, tenaciter haereat, donec e medio tollatur, Bis er vns abwärde, personam ponit pro re, Bis vns Gott ſyner falſchen leer abhälfe. Quod vero haec omnia non ad solum ultimum antichristum referri debeant, sed in genere ad omnes, Christus testatur Matth. 24. dicens: Venient antichristi et pseudoprophetae, dicentes: Ego sum Christus. Hoc fecit Papa et sui. Item Ioannes dicit: Et iam multi antichristi sunt. Antichristi autem sunt, quicunque contra Christum unctum domini sunt, docent ac vivunt: nec tamen omnes peccatores antichristi sunt, licet enim non per omnia ad absolutum Christi exemplar vivant, quod exprimere nunquam perfecte poterunt, dolet tamen hoc eis, et student Christum pro viribus imitari, nec unquam de industria contra Christum aut veritatem eius pugnant. Novissimum tempus apostoli non dixerunt diem extremum, sed hoc tempus, quod a Christo ad diem ultimum usque hic vivimus. Dicitur autem hoc tempus novissimum, quod nullus alius praeter Christum (ut olim) sit exspectandus; monent igitur Christus et apostoli, ut in hoc novissimo tempore ab antichristis caveamus. Novissima ergo hora, aut novissimum tempus est, tempus illud totum a Christo usque ad finem mundi. Christus venit ut mundo benefaceret, ut mundum servaret, ut mundum patri reconciliaret. Venient autem (inquit) qui vanis sermonibus et otio vitam suam inter Christianos agere, et sua interim curare satagent, hi quaestum putant esse pietatem, quaerentes quae sua sunt non quae Iesu Christi, servientes suo ventri, quem dei loco colent. Haec tam fida apostoli imo Christi admonitio parum profecit apud posteros. Tanta enim fuit tentatio, tanta satanae operatio, ut etiam sanctissimis et doctissimis episcopis imposuerit. Cyprianus enim et ceteri persuasi sunt utile futurum, si caput haberent Romanum pontificem, ad exstirpandas haereses nimirum, et ad alendam concordiam. Sed iam actum erat de ecclesia, et fenestra otio et luxui aperta. Dum

adhuc persequutionem paterentur et occiderentur episcopi veteres, ardebant caritate et fide, erant pastores episcopi et excubitores occulatissimi, variis persecutionibus et tentationibus exerciti et exagitati, in vigiliis diu noctuque assidui, in orationibus ardentes et fervidi. Posteaquam autem domini esse coeperunt, et in otio degere, refriguit caritas, atrocissime et superbissime imperavit Romanus episcopus super omnes, et factus est caput omnium antichristianorum. Quod si quis dicat: Quid Paule? Si vigilare debemus et praecavere illum ne veniat, et tamen ille nihilominus venturus est, quid nostra custodia profecerimus? Respondet apostolus, et consolatur eos dicens: Qui fide stat in Christo, constans sit, et stet firmiter, tenaciter et mordicus teneat, quod semel arripuit, donec e medio tollatur. Nam

Conficiet eum dominus spiritu oris sui.) Non vos viribus vestris hunc conficietis; interim tamen firmiter state, sed dominus ipse hunc antichristum et hostem conficiet. Est autem (spiritu oris sui) periphrasis verbi dei et virtutis eius, nam verbum breve et consummatum faciet dominus super terram, nempe, qui credit in filium dei salvus erit, iam non multis legibus et sacrificiis opus erit, ei, qui credit et amat. Hoc verbum tametsi primum per Christum allatum est, quotidie tamen instauratur in mundo, et sic interficitur et aboletur antichristus et Papae doctrina, et instauratur regnum dei.

Et claritate adventus eius.) Haec verba non duntaxat de ultimo adventu Christi intelligenda sunt, sed etiam de quotidiano adventu verbi Christi in corda fidelium, per quod discutiuntur et abiguntur tenebrae. Ubi Christus in corde per veram fidem lucet, ubi lucerna verbi dei in corde succensa est, locum habere non potest tenebrio Papa.

Secundum operationem satanae.) Permittente domino magna miracula Antichristus faciet, illisque imponet multis, sed illis duntaxat, qui vasa sunt irae et damnationis.

Cum omni deceptione.) Omnia genera vitiorum et scelerum ingeret, omnem luxum et fastum, omnem dolum et fraudem. Neque enim corruptius unquam vivitur quam sub pontificatu, cedunt Papae omnes gentes, Thurcae, Sardanapali. Tantam conscelerationem in nulla gente reperire licet. Unde vero tanta iniquitas? non a Christo, non ab apostolis, qui tam humaniter, sinceriter et innocenter vixerunt. Ergo ab Antichristo venit, e Roma sentina omnium malorum et lerna quadam illa omnia defluxerunt. Papa fons est omnis mali, arbor nocentissima, e qua pullularunt huiusmodi mali fructus inter nos. Iam rationem subdit quare dominus permiserit tanta mala venire inter nos.

Pro eo quod dilectionem veritatis non.) Non diligimus veritatem nec hodie, merito ergo mendaciis seducimur. Veritas lux est, sed nos aversata luce tenebras nostras deamamus, merito ergo in eis perimus. Qui amore iustitiae benefacere nolunt, legibus et metu coercentur, ut diabolo terreantur, qui Christum non amant.

Nos autem gratias agere.) Antithesis est. Quasi dicat: Alii qui per filium perditum perditi sunt, tametsi essent carnales, iniusti, mendaces et mendaciorum amatores, videri tamen voluerunt spiritales esse, iusti et veraces, quum nihil essent quam hypocritae. Vos autem

elegit deus et sanctificavit per spiritum suum sanctum, qui est spiritus veritatis. Vos non estis hypocritae, non simulatis vos esse iustos, et veraces, quum re non sitis, sed veri cultores estis dei, veri Christiani, in fide veritatis, idque ab initio scilicet praedicationis. Deus dedit vobis spiritum suum in corda vestra, qui spiritus dei, vestrum spiritum sanctificavit et veracem reddidit, ut sitis vere fideles et credentes. Ad quod ego ministerio meo nonnihil profui, praedicando scilicet evangelium. Observa, quod Paulus dicit Evangelium nostrum, quod tamen solius dei est, sed tribuit aliquando deus nobis quod suum est, ut alibi latius diximus. Suum est evangelium, quod ipse a deo sibi commissum praedicarat. Evangelium ergo (quod ad officium et ministerium attinet) suum erat.

In acquisitionem.) Ut Christus scilicet in vobis honoraretur, ut possideret vos Christus, ut peculium essetis Christi et familia eius, et sic passive exponitur. Potest autem et active exponi, hoc sensu: Ut vos scilicet possideretis Christum, et eo perpetuo frueremini. Et sensus fere idem est.

Tenete institutiones.) Graece est παραδόσεις, Die angebungen. Quemadmodum ludimagistri solent pueris praescribere quaedam et quasi praeire, qua sequantur. Latine vocantur Institutiones. Admonet autem Paulus, ut firmi stent in institutionibus quas ab eo acceperant. At Paulus nihil aliud docuerat quam evangelium Iesu Christi, in quo ut persistant, monet. Abutuntur hoc loco Papistae, quum volunt traditiones humanas aequare divinae scripturae. Verbum Tenete non satis exprimit vim Graecanicae dictionis κρατεῖτε, Haltend veſt vnd ſtyff dran.

Sive per sermonem.) Id est, dum praesentes docebamus.

Sive per epistolam.) Quam postea misimus, hoc est, quaecunque docui sive praesens sive absens.

Dilexit nos.) In istis verbis tota summa evangelii comprehensa est, ex ista dilectione dedit nobis consolationem aeternam. Quae est ista consolatio? Christus Iesus; et spem bonam per gratiam.

In omni sermone et opere bono.) Hi fructus sunt quos metimus ex corde illo, quod per spiritum sanctum sanctificatum est, scilicet bonus sermo et bonum opus.

CAPUT III.

Quod superest.) Germanice dicimus wyter, vel, demnach. Quasi dicat: Superius oravi in precibus meis pro vobis; iam moneo, ut et pro me vos oretis, ut sermo domini currat, id est, feliciter promoveat, Das es ſin fürgang habe. Ut deus glorificetur, tum autem deus glorificatur, dum eo fidimus, dum eo fruimur. Nam ipse nostri nihil eget. Ut currat, id est, ut evangelium undique recipiatur, nosque gratiae Christi participes reddamur, ut omnes fide in Christum coniecti et inserti pure et sancte vivamus. Potest etiam τὸ λοιπὸν exponi ut alias dixi: Praecipuum autem est ut oretis, ut evangelium Christi promoveat.

Sicut et apud vos.) De quo in primo capite prioris epistolae.

Ab absurdis hominibus.) Latinis hominibus absurdum ex Graeca voce ἄτοπον inordinatum significat, quod scilicet non fit in loco, sed hic capitur, et alias saepe pro turpi et impudenti. Homines ergo absurdi sunt turpes homines, qui evangelio resistunt.

Non enim omnium est fides.) Paulus hic non vult dicere: Multi sunt adhuc infideles, aut non omnes sunt fideles. Nam quid magni aut rari dixisset? quum ea tempestate bona pars hominum esset infidelis. Sed hoc vult dicere: Inter eos qui se Christi ovibus adiungunt et in ecclesiam censentur a nobis, inter eos qui se Christianos profitentur, multi sunt qui fidem veram non habent, qui vere fideles non sunt, sed hypocritae et falsi fratres, et isti peiores sunt quam infideles. Loquitur ergo apostolus de absurdis et perversis hominibus, qui se Christianos simulabant, a quibus male afficiebatur Paulus, ut alibi testatur, quum dicit: Periculum in falsis fratribus.

Sed fidelis est deus.) Gott aber iſt getrŭw. Consolatio est. Quasi dicat: Etiamsi homines isti perversi, perfidi sunt, nihilo tamen minus bono animo este, nolite cedere, nolite desperare, deus qui fidelis est, non deseret vos.

Qui stabiliet vos.) Vehemens mutatio personae, nam alioqui dixisset Nos: sed interim quod pro se petit orari, simul docet quod et ipsos sit liberaturus.

Custodiet a malo.) Πονηρὸν omne malum generaliter significat, saepe tamen pro satana autore omnis mali ponitur. Philosophi nihil malum censuerunt, nisi quod animum inficeret.

Praecipimus autem vobis fratres.) Hic vetus interpres dixit: Denunciamus; Graecis est παραγγέλλομεν. Graeci et Latini distinctas habent dictiones, legem ponere, imperare, praecipere, mandare, dicunt νομοθετεῖν, ἐντέλλομαι, παραγγέλλομαι. Hoc postremum significat proprie, Angäben, vorſagen mit einem befälch vnd geheiß, Latinis praecipere. Nam praecipere non significat gebieten, imperare, sed heiſſen, vel, vormälden, ut praeceptor facit pueris.

Ut subducatis vos.) Graece est στέλλεσθαι, quod Germanicae voci alludit ſtälen, vel abſtälen, abzühen, entzühen. Non autem videtur hic loqui de publica excommunicatione, quam traditionem satanae alibi vocat, 1. Cor. 5. Sed loqui videtur de quolibet privato, quomodo se gerat erga inordinate viventes. Si videris aliquod crimen aut flagitium in fratre, Entzüch dich von jm ſo vil du magſt. Non vult tamen ut sectas instituamus, ut delinquentes iudicemus aut contemnamus, ut ecclesiam novam instituamus, ut faciunt Catabaptistae, sed ut nos immunes servemus ab eo qui non recte ambulat, ne faciamus nos participes sui flagitii.

Qui inordinate se gerit.) Graece est ἀτάκτως, energiam quandam habet et latam significationem. Latini dicunt in ordinem cogi, metaphora sumpta ab acie et exercitu bene ordinato; si quis extra oleas currit, redigitur a duce in ordinem, quin et dux ipse aut imperator, dum dux amplius non est, in ordinem cogitur. Vult ergo dicere Paulus: Quicunque non vivit ut Christianum, ecclesiam Christi, et

populum dei decet, ab hoc abstine. Quicunque non vivit iuxta doctrinam Christi et apostolorum.

Imitari nos.) Se ut imitentur monet Paulus, quum solus deus sit quem imitari deceat. Sed alibi declarat quatenus, quemadmodum inquit: Ego Christum imitor. Quantum ergo quisque Christum sequitur, tantum hunc sequi debemus, et tunc non ipsum sed archetypum Christum sequimur. Otium autem taxat vitium nocentissimum. Nam tum incipiebant huiusmodi homines irruere in Christianum gregem, qui solius ventris gratia, neque vocati neque missi munus praedicandi arripiebant se ipsos eligentes et plebi obtrudentes vel invitae. Qui vero vocati sunt et missi, qui quaerunt quae Iesu Christi, mercede digni sunt, ut testatur Christus ipse. Hoc privilegio quod concessit dominus apostolis suis, uti noluit Paulus alicubi, sed labore manuum suarum sibi victum paravit, in quo labore a teneris annis institutus erat. Hinc addit: Non quod huiusmodi potestatem non haberemus, sed ut formam praeberemus, vobis. Hoc verbum maxime ad eos pertinet, qui tum apud Thessalonicenses erant otiosi docentes et sua quaerentes. Curent ergo parentes, ut pueri eorum a teneris ad laborem assuescant, ut liberis suis non solum divitias sed et virtutes haereditatem relinquant. Nam gloria virtutem sequitur, et urbes ac civitates ab hominibus gloriosae fiunt, non homines ab urbibus. Unus aliquis virtute praeditus totam civitatem insignem facit ac nobilitat. Quis Athenas? quis Romam nobilitavit? Cur Athenae hodie non tam insignes sunt ut olim? quia desunt eis sapientes.

Nihil operis facientes, sed curiose agentes.) Sy thund nüt, vnd thund zevil. Ab opere manuario cessantes praedicare volunt. Ego laboravi manibus meis et praedicavi; illi praedicare volunt, dum nemo eos vocat. Vide Graecanicas voces, *περὶ ἐργαζομένους*, Die zvil gſchäfftig ſind, zvil fürwitzig ſin, da es ſin nüt bedarff.

Vos autem fratres ne defatigemini in benefaciendo.) Vita Christiana perpetua quaedam et perennis est operatio bonorum operum, seu opus quoddam bonum perpetuum. De bonis operibus multi multa, et errant quidam foede, dicunt enim bona opera quae bona minime sunt. Hoc in primis constitui debet certo et indubitato: Omne bonum a deo esse, et nil bonum esse nisi quod a deo venit. Hoc ergo solum bonum est, quod deus praescribit. Quemadmodum terra, quantumvis colatur, fructum tamen non fert, nisi desuper irrigetur et foecundetur. Sic et terra nostra, id est caro nostra, nihil profert nisi spinas et tribulos, nisi e supernis aqua et rore coelesti irrigetur et renascatur. Quantumvis iam bona facimus opera, fraudulenter tamen facimus opus domini; quomodo ergo gloriari in operibus nostris, aut ex illis quidpiam nobis vendicare possumus? aut quomodo praemii quid ac mercedis illis tribuere? Quum autem bona operamur ex gratia dei, simulque in medio opere suspiramus, querimur, ac nos peccatores agnoscimus, ex vera fide et dei cognitione expendentes, quod opus non facimus quemadmodum debemus, veniamque huius petimus, dicentes: Domine, remitte nobis debita nostra, peccavimus in isto bono opere, Wir habend gefält, wir hand din werck nit gethon als wir ſoltend. Tum demum opus

nostrum bonum est, et deo placet. Admonet ergo Paulus ut propter fidem et Christum omnia pericula et persequutiones, omnes labores forti animo feramus, neque defatigemur, ne resiliamus, ne despondeamus animum. Et in recenti adhuc fide, in sanguine martyrum qui continue fundebatur, maior erat fides, maior caritas, constantia maior, timorque dei, durati erant laboribus, spiritu ferventes et alacres, dum stabant in continua pugna. At postquam amplius externum hostem et persequutorem non haberent, coeperunt otio ac voluptatibus diffluere, dominium exercere et tyrannidem in gregem domini. Sic ex ministris et episcopis principes, ex pastoribus lupi, et ex patribus proditores facti sunt, ut res ipsa hodie clamat et testatur.

Ne commercium habeatis cum illo.) Ut supra dixi, ego iudico Paulum hic non de publica illa ecclesiae excommunicatione haec dixisse aut scripsisse, sed de privata consuetudine, ut quisque quantum potest se subducat ab illis qui inordinate vivunt, ne fiat peccati eorum particeps. At interim non debent illos ducere inimicos. Quasi dicat: Etiamsi corpore subducitis vos illis, et seiuncti estis ab illis, animo tamen illos complectimini, diligite eos ut an micos et fratres, ne abiiciatis eos ut hostes etc.

IN EPISTOLAM BEATI IACOBI BREVIS EXPOSITIO

HULDRYCHI ZUINGLII.

Accedunt Additamenta quaedam ex codice manuscripto qui inscriptus est:

In Epistolam divi Iacobi Apostoli scholia ex ore Huldrychi Zuinglii collecta per Leonem Iudae. Thiguri Anno 1531. *Τέλος Anno* 1532. 3. *Febr.*

DE LEGE.

Das Geſetz, ſo es trachtet wird, iſt es ein Troſt der Geiſtlichen, daß ſie wiſſen den Willen Gottes, der gut iſt, darum haben ſie Verlangen zu ihm, diewyl er gut iſt. Und aus dem Trachten kommt, ſich arten nach dem Willen Gottes. Sich aber nach Gott arten, iſt, der Geſellſchaft Gottes werden. Darum iſt auch Gottes Willen geöffnet, das man ſich dem glychförmige. Oportet hominem spiritualem effici prius quam conetur legis opus facere, dann der Geiſt ſieht den Willen Gottes.

Wenn einer einem Dienſt ein Tagwerk vorlegt, das doch viel zu ſchwer wäre, und ob ers nicht vollbringt, und aber fleyßig, ernſtlich geweſen, ſo ſicht er an ſynen flyß und iſt nicht glych unwirſch. Sic Deus nobis multa praecipit, die wir nicht mögen halten; er will aber unſern flyß anſehen; et tandem misericorditer nobiscum agere.

Ne salutaveritis quenquam in via; ne studeatis divitiis; ne resistatis malo; ne vocetis patres in terris; ne quem magistrum — conditionaliter sunt prohibita.

Paulus scripsit contra operarios et superstitiosos, sanctulos et hypocritas. Iacobus vero contra ambitiosos iactatores vanae fidei, *ψευδοχριστιάνους*, qui iam Evangelium acceperant, atqui secundum illud non vivebant; proin adhortatur ad opera tamquam fructus fidei, sine quibus fides non est fides.

CAPUT PRIMUM.

Iacobus dei ac domini Iesu Christi servus.

Plerique ex interpretibus Dei et Iesu seiungunt, illud ad patrem, hoc ad filium referentes. Potest tamen esse, quam Dialectici de sensu coniuncto copulativam dicunt, ut sit sensus: Iesu Christi, qui et ipse deus est verus, quod quidam iam tum essent, qui Christum negarent esse deum.

Duodecim tribubus quae sunt in dispersione.

His quidem praecipue, deinde vero aliis etiam qui ex Gentibus crediderant. Hoc enim ab apostolis fere observatum videmus, ut primum Iudaeis per synagogas Christum annunciarent, sic tamen, ut et Gentes non excluderentur, sed tanquam auctarium eis accederent. Potissimum enim Iudaeis in lege et prophetis promissus erat, quo quum se indignos facerent, convertuntur ad Gentes apostoli; illis enim lux est et salus usque ad angulos terrae.

Χαίρειν Salutem.

Caput est vel frons epistolarum apud Graecos *χαίρειν*, qua dictione optant, ut animus laetitia fruatur utcunque externa infeliciter cadant. Latini Salutem, aut Salutare interpretantur.

Pro summo gaudio ducite fratres mei, quoties in tentationes varias incideritis.

Quasi dicat: Tantum abest ut afflictiones vos consternent (quod his contingit qui fide non sunt solida) ut summum gaudium esse debeat vobis ob Christum affligi; maxime quum patientiam vobis comparent, quae condimentum est verae et solidae virtutis, et rigorem eius asperitatemque lenit ac tolerabilem facit. Hoc observandum: Iacobum in hac epistola Iesu Christi non tantopere meminisse, quod benevolentiam captet, ne infirmos et qui Christum Iesum adhuc non sincere agnoscebant offenderet. Quemadmodum Paulus Hebraeis scribens, non a Christo orditur, sed a deo, et patribus Iudaeorum quibus loquutus esset deus.

Add. Non autem hic intelligi debet, ut affectentur tentationes, quae alioquin deprecandae sunt, quandoquidem imbecilliores sumus, quam ut in eis perfecte possimus stare. Porro, ubi ingruerint divina ordinatione gaudere debemus.

Illud scientes quod exploratio fidei vestrae parit patientiam.

Causam quasi subnectit cur in afflictionibus gaudendum, ut supra dictum est. Idem dicit Paulus ad Romanos 5. 1. Pet. 1. Metaphora autem tracta est ab argentariis qui in igne aurum conflant, explorant, ac probant, omni scoria et sorde excoctis et repurgatis.

Ceterum patientia opus perfectum habeat, ut sitis perfecti, et integri, nullaque in parte diminuti.

Imperativum pro Futuro poni existimo, Hebraeorum more. Quasi diceret: Patientia perficiet et absolvet omnem virtutem, *ἔργον τέλειον* pro perfecto et absoluto. Habet opus perfectum, id est, perficit opus et ad finem usque perducit. *Τέλειον* enim iustae magnitudinis est, et integrae aetatis, inquit Budaeus, eximium, sanctum, luculentum, et amplum. Ac ita perficiet, ut ad hanc perfectionem omnino nihil vobis desit. Qui virtutibus divinis student, afflictionibus et labore sic durantur, ut ad omnia imperterriti persistant. Quemadmodum qui vel literis, vel alii rei sic sunt intenti, ut strepitus et *τύπος* fabrorum nec audiant, nec animadvertant. Quod hic *ὑπομονή*, alias a Graecis *ἄσκησις* dicitur.

Add. Hac patientia quis caruerit quantumvis viribus corporis constet, fortis non est. Vocatur autem Dapfermütigkeit. Summa: Patientia iſt des Glaubens Goldſtein.

Quod si cui vestrum deest sapientia, postulet ab eo qui dat: nempe deo, qui dat inquam omnibus simpliciter, nec exprobrat et dabitur ei.

Ego puto hic per *σοφίαν* virtutem hanc *ὑπομονήν* patientiam intelligi, tametsi *ἡ* articulus non praefigatur; ut sit sensus: Wäm aber die, das iſt, dieſe wyßheit briſt, das er nit kan gedultig ſin: Qui hac sapientia praeditus non est, ut aequo animo ferre possit adversitates, is postulet a deo etc. *ἁπλῶς* pro *ἁφθόνως*, abunde, copiose et simpliciter, sine fraude, sine invidia. Dei naturam et benignitatem erga precantes rite explicat, ut mentes alliceat, ut ad hunc unum in omni necessitate accurrant. Fons enim est inexhaustus et indeficiens, omnibus obvius et expositus, qui ultro sua bona omnibus offert. Nec exprobrat quicquam. Exprobratio enim beneficium vitiat, ac perdit, quin ex beneficio maleficium fit. Quod si quis per sapientiam eam virtutem mentis intelligat, qua per spiritum sanctum illustrata, quae deo digna sunt petit, is a scopo non aberrat. Nam nos quid oraturi simus ut oportet non novimus, verum ipse spiritus etc. Quare mox subiungit:

Postulet autem cum fiducia, nihil haesitans.

Plura enim ex affectibus oramus, quae si nobis daret deus, non solum inutilia essent, sed et noxia. Distinguendum ergo inter affectus et fidem, dum orationi mens intenta est. Fidelis contra deum nihil postulabit, nec haesitabit, quin quae utilia nobis sunt, daturus sit deus. Quod pulcherrimo exemplo Christus Luc. 11. ob oculos ponit, de patre qui puero piscem postulanti serpentem non porrigit etc.

Nam qui haesitat, is similis est fluctui maris, qui ventis agitur, et impetu rapitur.

Inconstantem et vacillantem animum pulchra similitudine explicat: quid enim magis inconstans quam mare tempestatibus et ventis iactatum? Sic mens dum quolibet vento huc atque illuc iactatur, rapitur, ac impellitur. Ceterum qui solida petra deo nituntur, sic fixi et immobiles stant, ut nulla tempestas eos movere ne dum deiicere possit. Sola autem fide mens in deum figitur.

Add. Nam plura ex affectibus petimus. Hic ergo bene distinguendum inter fidem et affectus. Alle Tugenden, guts und ehrlichs je gehandelt und gethan in der Welt, iſt alles durch Standhafte geſchehen. Constantia hat nie gefehlt.

Neque enim existimet homo ille, se quicquam accepturum a domino.

Certa fide et animi persuasione oret, qui impetrare volet aliquid a deo. Nam qui animo vacillat in oratione, non solum nihil impetrat, quod fiducia careat, sed et deum irridet et ignominia afficit.

Vir duplici animo inconstans est in omnibus viis suis.

Ἄνδρας διπλῆς dixerunt veteres qui essent lubrica et insincera fide. Sed hic *διψύχους* vocat homines incerti propositi, et animi vacillantis, qui pro rerum varietate ac inconstantia animum mutare solent; et constantiae optimae virtuti adversum vitium *διψυχίαν* taxat. Est autem egregia et plane divina sententia, quam pueri pectoribus suis inscribant:

Vir duplici animo inconstans est in omnibus viis suis. Nihil praeclari sine constantia perfectum est unquam. Exemplorum satis est, non solum in sacris, sed et in prophanis historiis, de Noe, Abraham, Iacob, Mose, Davide, Ioseph, Aristide, Socrate, Fabio, Camillo, Scipione, aliisque fortibus et magnanimis heroibus.

Status totius exhortationis est, gaudendum esse piis in afflictionibus. Subiicit causam ab utilitate; his enim fidem explorari, et parari patientiam, virtutem eximiam, sine qua nec virtus sit virtus. Porro haec nova et coelestis philosophia quam orbi Christus invexit, si cui desit, eam non ex hominibus quamlibet sapientibus (ut vulgo solent mortales) esse petendam, sed ex deo fonte bonorum omnium, apud quem nemo sua spe et exspectatione frustretur, quum impertiat pro sua bonitate omnibus ultro et affluenter, neminique sua beneficia exprobret, modo fiducia certa quis accedat, nihil diffidens, nihil haesitans; fiducia autem faciat solidum ac firmum. Ceterum tantum abesse ut homo inconstanti et duplici animo aliquid precibus suis apud deum impetret, ut etiam in omnibus factis suis impingat, nihilque recte agat. Idque gravissimo epiphonemate absolvit: Vir duplici animo etc. Quae sententia generalis est, sed hic veluti causa superiorum annectitur.

Glorietur autem frater qui est humilis in sublimitate sua; contra qui dives est, in humiliatione sui.

Per Epanodum iam ad principalem propositionem redit, Gaudendum scilicet esse piis in afflictione. Idque per distributionem cum antithesi ostendit. Argumentum tale est: Qui contemptus est et abiectus apud mundum, nihil doleat, quin potius gaudeat et glorietur in sua sublimitate. Hoc enim ipso quod variis malis affligitur et iactatur, quod probris et convitiis afficitur, Christo filio dei fit similis, qui et ipse pro nobis contumeliis et probris affectus est. Magna quippe dignitas, ingens honor, filium esse dei, et haeredem regni coelestis. Contemni vero a mundo est a deo evehi et exaltari. Quod si quis dives est, et ob hoc a mundo in pretio habitus, nihil hinc efferatur, quin potius sese humiliet et deiiciat, nihil fluxis et inanibus bonis fidens. Quid enim iuvat re incerta et mox peritura fidere et gloriari? Ceterum si et is ob Christum mundo odiosus fuerit, nihil commoveatur, sed in humiliatione sui gaudeat, et gratuletur sibi, quod Christo datum sit aliquo modo esse similem. Nam et is quum dives esset pauper pro nobis, et quum summus esset, nempe dominus omnium, pro nobis infimus et omnium servus factus est; per hanc autem humiliationem summam et aeternam gloriam assequutus. Quod si terrenis bonis spolietur, erecto animo coelestia spectet et aeterna. Observandum hic, quod verbum gloriandi, frequentius pro gaudendi et exultandi ponitur, aut etiam fidendi. Sic enim natura comparatum videmus, ut hi qui re amata et concupita potiantur, primum in sinu gaudeant et exultent; deinde etiam re potita fidant et nitantur; mox extra se rapti magnifica quaedam gloriosius de se non solum sentiant, sed et praedicent ac iactent apud quoslibet. Sic est Rom. 5. et Hierem. 9.

Add. Der ſo hie drängt wird, ſoll ſich freuen; denn ſo er das um Gottes willen trägt, ſo iſt es ſeine Erhöhung. Dives non gaudeat, nec

glorietur in divitiis, sed in humilitate. Wenn man aller Untreue, die in dieſer Welt iſt, Urſache ermißt, ſo ſind es die zeitlichen Güter; wo die abgehen, ſo thun wir wie die Tigerthiere, ſo unmild. De natura tigridis lege Plinium.

Quoniam veluti flos herbae praeteribit. Exortus est enim sol cum aestu, et exaruit herba, et flos illius decidit, et decor aspectus illius periit; sic et dives in abundantia sua marcescet.

Causam cur divitiis non sit fidendum subiicit, argumentum nectens a comparatione, simulque comparationem explicans. Verba autem fere desumpta sunt ex capite Esaiae 40.

Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam quum probatus erit, accipiet coronam vitae, quam promisit dominus his, a quibus fuerit dilectus.

Perstat in proposito et doctrina de tolerantia, interim non recedens a metaphora a metallis sumpta, quae per ignem eliquantur et expurgantur; adiecta altera ab athletis aut cursoribus accepta, qui pro corona pugnant aut currunt. Et veluti epicheremate epilogum claudit, inserens promissionem dei perseverantibus. Duas autem antitheses non inelegantes habet haec oratio, in hunc modum: Qui divitiis et huius mundi bonis fruuntur, non sunt beati; hi vero beati sunt, qui ob Christum variis tentationibus explorantur, et donec probentur in afflictionibus perdurant. Altera: Huius mundi victores, marcescentem; pii ob Christum afflicti vitae immortalis coronam ferunt, modo fortiter, praesidio dei freti, omnia mala perrumpant.

Ne quis quum tentatur, dicat se a deo tentari.

Duplex est tentationis genus, utrunque et piis et impiis, ratione licet diversa, commune. Alterum, quum rebus adversis homines explorat deus, ut piorum tum imbecillitas, tum fides emicet et spectatior fiat, non solum aliis sed sibi ipsis quoque; malorum ex adverso impietas, quam vel impudenter negant, vel falsa religionis specie celant, palam fiat, simulque puniatur. Alterum quum satanae suggestionibus et carnis affectibus tentantur, tentationibusque non raro succumbunt: ubi alii ad mortem aeternam sic cadunt, ut nunquam resurgant; alii post casum humiliores et cautiores redduntur. Quum igitur de tentatione, qua deus suos probat et explorat, coeptus esset sermo, ad alterum tentationis genus pulchre et commode (ut mihi videtur) deflectit Iacobus, his occurrens qui vocum similitudine vel falsi vel de industria abusi, peccatorum suorum culpam in deum autorem reiicere non verentur. Est enim haec epistola fere in eos scripta, qui fidem verbis professi, factis et vita negabant, interim scelerum suorum culpam, ut ipsi essent excusati, deo autori adscribentes. Neque hic dei sapientissimam et omniscium providentiam negat Iacobus, sed pessimorum hominum errorem refellit. De providentia dei alibi satis diximus, illud hic observemus, in deum, tametsi omnia agat in omnibus, culpam nullam esse reiiciendam, sed in affectus carnis nostrae pravos et perversos, ut in causas propinquiores. Utcunque enim a deo omnia fiant, malorum tamen autor nullo pacto dici nec potest nec debet, qui iustus est in omnibus viis suis, et sanctus

in omnibus operibus suis, qui diligit iustitiam et aequitatem, et odit omnem iniquitatem, qui mortem non fecit, nec delectatur in perditione impiorum. Quicquid ergo divina bonitas agit, non potest non esse optimum. In nobis vero est quod bona dei dona vitiat et mala reddit; in nobis est quod mentem illectat et inescat concupiscentia prava, quae a primo parente veluti peccati seminarium insitum, noxios foetus producit, et in mortem pertrahit aeternam. Quae vero simpliciter dicere potuit, venusta comparatione mulieris parturientis exornat, ortum et progressum peccati graphice depingens, et quid peccatum commissum sequatur his verbis:

Ut deus malis tentari non potest, ita nec ipse quenquam tentat. Imo unusquisque tentatur dum a propria concupiscentia abstrahitur et inescatur. Deinde concupiscentia posteaquam concepit, parit peccatum, peccatum vero perfectum progignit mortem. Ne erretis fratres mei dilecti.

Verba plana sunt. In fine adiicitur manifesta nota, quae ostendit impiorum hominum hic taxari errorem, qui culpam suam in deum reiiciebant. Et licet haec particula a quibusdam ad posteriora referatur, mihi tamen potius ad praecedentia epilogi vice annectenda videtur.

Add. In hoc lex a Deo nobis data est, ut sit regula, per quam cognoscitur peccatum quantum sit. Die Sünd wird nach ihrer Größe aus dem Geſetz ermeſſen. Wir müſſen unſere Werke bei der Begierde erwägen, welche ein Maß der Sünden iſt. Z. B. wenn du ein Almoſen gibſt, ſo miſſeſt du es nicht nach der Nothdurft oder Gottes Gebot, ſondern nach deiner Begierde ſo viel gibſt, als deine Begierde angibt. So nun allem Werke mit der Begierde oder Sünde gemeſſen wird, ſo iſt es alles Sünde, was wir thun; ſo könnten wir je nichts Gutes thun, das Belohnung verdiene, oder des Lohns werth ſei; ſo müſſen wir an die Gnade Gottes fallen und Verzeihung der Sünden begehren. Ex his omnibus sequitur, quod solum illud est peccatum, et nihil non habet peccati, nisi quod contra legem fit. Quod ergo Deus facit, peccatum non potest esse, cum ipsa nulla lege sit coercitus. Wann man ſpricht: Gott thut das Böſe; iſt alſo zu verſtehen: Gott thut das, das uns ſo wird nach dem Geſetz ermeſſen, Sünde genannt wird; bei Gott iſt's nicht Sünde. Z. B. ein Baum, der voll guter Früchte ſteht, und es kommt ein Wetter, das verderbt's, ſo iſt's nicht des Baums Schuld, ſondern des Wetters. Sic Deus arbor est et autor omnis boni fructus; affectus nostri occidunt et inficiunt opera. Begierde macht allein Sünde. Iudex potest infligere poenam ac occidere, modo absit concupiscentia, absque culpa. Nos sumus instrumenta et organa Dei, per quae Deus operatur omnia, tametsi sine illis operari possit; sanat per herbas, per medicum. Nemo sanae mentis contemnit hoc. Dem Geſchirr iſt ein Geſetz aufgelegt, hat es eine Schifer oder Scharten, ſo wirft er's hin, oder legt's in's Feuer, brennt es. Sic nobis legem dat Deus — verbietet zu morden; mordet jetzt einer, ſo will Gott, daß er in's Feuer geworfen und die Scharten ausgebrannt werde, daß er gerabbracht werde und vor der Welt geſchändet. Leidet er das duldiglich, ſo kann ihn Gott aber zu

Gutem brauchen. Sic Davidem sivit in tam atrox facinus incidere, ut eum humiliet et se sibi cognitum reddat. Alſo thut Gott nichts denn Gutes und wird das Morden des Mörders ein Beiſpiel der Barmherzigkeit Gottes, daß Gott der Welt zeige, daß keine Sünde ſo groß ſei, ſie finde Gnade bei Gott. Alſo iſt bei Gott gut, das bei uns böſe iſt. Was vom Himmel oder von Gott herab kommt, das iſt gut und muß gut ſein. Darum ſollt ihr die Schuld der Sünde nicht auf Gott legen.

Omnis donatio bona, et omne donum perfectum e supernis est, descendens a patre luminum.

Quum ostendisset malum omne a nobis esse, per antithesim deum bonorum omnium fontem esse ostendit. A deo nil nisi bonum est. Quod si in nobis mali quidpiam deprehendimus, deus omnis boni fons et origo nequaquam est incusandus, sed nobis omnis culpa adscribenda, qui natura peccatores sumus. Si rursus quid boni, dei hoc donum esse agnoscamus. Videtur autem haec oratio Hebraismum resipere et enallagen. Omne bonum a deo est, pro: quidquid a deo aut e supernis venit, bonum sit necesse est, tam abest ut mali quidpiam a deo sit, nihil ergo mali deo adscribendum. Deinde quum dicit a patre luminum, Hebraismus est, pro autore lucis, aut pro summa luce, a quo quidquid lucis est in coelo et in terra profluit.

Apud quem non est transmutatio aut conversionis obumbratio.

Et hic quoque enallagen esse puto, cum occulta quadam comparatione, aut si mavis dissimili; sic: Apud deum nulla est transmutatio aut conversio, qualis est in umbra et re umbratili, aut deumbrata, ubi fallacia quaedam rei simulacra adumbrantur, non res solidae exprimuntur. Ubi *ἀποσκίασμα* est, non *ἀποτέλεσμα*. Quid autem umbra est inanius? quid fugacius? quid denique inconstantius? Est ad haec in rebus creatis omnibus (quae verae istius lucis vestigia et umbrae quaedam sunt) nihil solidum, nihil constans, nihilque perfectum, multa est obscuritas adhuc, multae tenebrae, crebrae mutationes, et omnium rerum vicissitudines. Quae omnia in ista immutabili et aeterna luce locum nullum habent, nec habere unquam possunt. Solem aeternum nullae nubes obducunt, nullae tenebrae intercipiunt, nec obscurant.

Is destinata voluntate progenuit nos sermone veritatis, ut essemus primitiae quaedam suarum creaturarum.

Quum in mentionem divinae bonitatis incidisset, eiusdem quendam gustum nobis propinat, ubi primum ostendit praedestinatione, electione, et gratuita dei munificentia ac liberalitate omnia nobis donari. Quis enim prior dedit illi et retribuetur ei? aut cuius debitor est deus? Secundo, notandum est, sermonem aut verbum veritatis Hebraismum esse, pro sermone aut verbo veraci, imo pro ipsa veritate, ut Christus inquit ad patrem: Sermo tuus veritas est; et de se: Ego sum veritas et vita. Et ut alibi dicitur, verbum vitae, pro verbo vitali et vivificó. Est enim Christus filius dei verbum veritatis et vitae, id est, veritas et vita. Divinus sermo praegnans est et foecundus. Et licet non nisi unum, illumque simplicissimum et verissimum sensum pariat, ex humanae tamen mentis imbecillitate ac sterilitate fit, ut genuinus et proprius sensus

spiritus sancti, qui in divinis scripturis loquitur, vix aut raro deprehendatur, nisi ab his, quos in aditum et sacrarium suum admittit secretius. Hinc interpretamenta tam varia, tamque varii sensus eruuntur a sacrarum literarum tractatoribus, ubi quisque pro dono sibi divinitus dato, scripturam ad ecclesiae profectum explicare contendit. Neque erroris accusandi sunt, etiam si scopum minime attingunt, modo ad scopum omnes colliment, hoc unum spectantes quod in omnibus scripturis potissimum est, gloriam nempe dei, et proximi salutem. Etenim scriptura sacra pelagus est immensum et impermeabile, a nullo adhuc pro dignitate emensum, campus in quo omnia omnium saeculorum ingenia exercentur. Contemnendi ergo haudquaquam sunt, quicunque bona fide et pia sedulitate Christi ecclesiae operam suam locarunt, laudandi potius et fovendi qui suo studio nostram socordiam exstimulant, et cursum nostrum ὁδηγοὶ manu quasi viam monstrantes promovent. Et Paulus monet, ne prophetias spernamus, quin potius probemus omnia, quod bonum est teneamus. Sed ad institutum ut revertamur, locus hic duplicem recipere potest expositionem. Primo: Summus ille omnium rerum opifex, quum adhuc non essemus, aeterno suo consilio id deliberavit atque statuit, ut produceret nos de nihilo, ut bonitate sua frueremur. Neque tantum creavit nos ut essemus creatura eius, sed ut praecipua quaedam essemus creatura, imo omnium creaturarum praestantissima. Significat enim Graeca vox ἀπαρχὴ non solum primitias et decimas, quae deo ex primis et praecocibus fructibus fiebant, sed quadam metalepsi praecipua et praestantissima quaeque, quod pii soliti essent et optima et praestantissima deo offerre. Fecit ergo deus nos, ut essemus aliquid, nec vulgare quidpiam, sed omnium creaturarum praestantissimum. Secundo: Adam humani generis (quod ad carnalem nativitatem pertinet) primus parens, quum ipse esset mortuus, non potuit nisi mortuos gignere. Pater vero coelestis nos denuo condidit et quasi regenuit, non ex aliquo corruptibili semine, sed ex semine divini verbi per filium suum, verbum aeternum, per quod condita sunt omnia. Et quum sit optimus ad malum neminem tentat, ad peccandum neminem sollicitat; quin potius errantibus lucem praebet, qua se ex mundi erroribus expediant, et aegris ac tentatis conscientiis antidotum salutare, quo veneno laetifero antiqui serpentis medeantur, et se a morte aeterna vindicent. Regenerat inquam nos per praedicationem et fidem evangelii, ut simus nova creatura, imo inter omnes creaturas praecipua. Ut enim olim Iudaei סגלה erant dei; ita nunc ex gentibus et Iudaeis ecclesia gens est sancta, populus selectus et peculiaris, quem sanguine suo sibi Christus Iesus purificavit, idque non ex nobis (donum enim dei est, non ex operibus, ne quis glorietur.) Nam ipsius opus sumus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quae praeparavit deus ut in eis ambularemus. Posterior sensus videtur esse magis proprius, ut qui pertinet ad officium apostolicum, quorum est gratuitam bonitatem dei per Christum mundo exhibitam orbi universo annunciare. Ut sit sensus: Nihil est quod deum mali alicuius insimuletis, ab eo nil nisi bonum est. An vero hoc non magnum est bonum, quod seductos nos, perditos, et damnatos homines, per filium suum sic reparavit, ut essemus carissimi

filii et coelestium bonorum perpetui haeredes? Tam ergo abest deum ad malúm quenquam sollicitare, ut potius ex pessimis optimos fecerit, quos cognitione veritatis donatos veluti primitias quasdam esse voluerit.

Itaque fratres mei dilecti, sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, tardus ad iram.

Ostensa dignitate ad quam optimus pater nos evexit, cavere monet a vitiis quae hominem incautum a tanta sublimitate deiiciant. In primis autem linguae petulantiam taxat, qua laborabant suae aetatis homines, qui de fide magnifica quaedam intonabant, vita inculpata professioni tam sanctae parum respondentes. Huiusmodi hominibus hodie omnia sunt plena, qui linguae fiducia freti suaviter de deo, deque fide disserunt; pessimum genus hominum, qui quum maxima scelera designant, culpam in deum reiiciunt, impie de deo, de voluntate ac providentia eius sentientes. Epilogi autem vicem habere haec videntur. Ceterum iram praesentissimum caritatis venenum, mox ab initio revellit. Huiusmodi enim homines, quum de fide ubique garriunt, fide vera interim carentes ferre haudquaquam possunt, ut a ceteris erroris sui vel admoneantur; omnes docent, doceri a nemine volunt. Statim ergo contra admonentes insurgunt, et iram corde concipiunt, qua concepta odium nascitur. Ira et odio in consilium adhibitis, recte nihil geri potest. Monet ergo ut absit omnis vanitas, omnis garrulitas, et animus servetur ab omni affectu iracundiae incorruptus. Non enim deceat Christi discipulos linguae nimium indulgere, et vana garrulitate magnifica quaedam iactare, humilitate et modestia deus gaudeat; sed multo minus irae ut quae caritatem insigne Christianorum eripiat ac penitus exscindat. Nemo itaque perpetrato facinore culpam deo adscribat, sese et concupiscentiam suam quisque accuset, culpam suam humiliter agnoscat, ardentibus votis ac lachrymis coram deo deprecetur, poenam commeritam dum infligitur patienter ferat, imo se gravioribus poenis dignum ducat.

Nam ira viri iustitiam dei non efficit.

Dehortatio est cum epiphonemate, includit autem simul et prosapodosim. Iustitia dei dicitur, quae deo iudicante subsistit, quae deo probatur ac grata est. Hanc in hominibus non inveniri fides ipsa dictat, et sacrae literae abunde testantur. Christum autem talem esse iustitiam Paulus docet 1. Corinth. 1. et in Romanis. At sic, ut nostra quoque sit, donata nobis a deo. Dicitur autem iustitia Christus, non solum quod nostram iniustitiam sua innocentia diluit, sed quod hanc gratam deo iustitiam vita et doctrina expressit. Sic nos amat, ut pro hostibus vitam exponat, pro calumniantibus et interficientibus oret. Deinde docet et nos diligere inimicos, bene precari male precantibus, non vindicari de male merentibus, non irasci fratribus. Recte ergo dicit Iacobus, iram hominis hanc iustitiam non efficere.

Quapropter deposita omni immunditia et redundantia malitiae, cum mansuetudine recipite insitum sermonem, qui potest salvas reddere animas vestras.

Epilogus est superiorum, quae de gratuita dei bonitate per Christum coeperat. Habet autem metaphoram non invenustam, sumptam ab agricolatione. Qui semina terrae mandant, curant ut habeant arvum lapidibus et sentibus ceterisque sordibus repurgatum, quo felicius deinde quae seminata sunt proveniant. Animus hominis mundanis cupiditatibus infectus et obsitus, semen coelestis verbi, aut non recipit, aut receptum suffocat, ut ad iustam frugem non perveniat. Iubet ergo repurgare pectus ab omni sorde, ab omni superfluitate, ut semen divini verbi locum habeat et fructum ferat; ac si diceret: Scio quam imbecille, quam immundum et curiosum animal sit homo, quam habeat immundas cogitationes, quam multa loquatur superflue et inaniter, quam scire multa desideret, imo quam multa scire se putet, quamque sibi in his omnibus placeat, quam ceteros despiciat, et a nemine doceri velit, sed hae sunt sordes et excrementa quaedam carnis, quas deponere et eiicere oportet, ut mens evangelici sermonis capax fiat, qui si in penetralia et sulcos pectoris semel iactus et insitus fuerit, non solum fructum optimum edet, sed et potis est servare animas vestras. Divinus spiritus in corpore peccatis subdito non habitat, animum tranquillum, mansuetum, et serenum amat. Tempestatem ergo et turbam irae, et omnium cupiditatum ex animo propellite, et inserite semen divini verbi, quod insitum mentes vestras consolari, erigere, tranquillare, firmare, certas reddere, aeternumque beare potest. Si cui placet totum hoc quod hactenus dictum est ad murmuratores, ingratos, et impatientes homines referre, nihil ineptum fortasse committet. Erit enim sententia diversa, adversa minime. Quum deus hominem variis afflictionibus aggreditur, in igne adversitatis probaturus, mox indignatur, commovetur, et ira percellitur caro, resilit, iugum domini abiicit, et manum domini effugere conatur. Nec lingua interim cessat, sed laxis habenis in praeceps fertur, sententiae domini reclamat, consilium dei salutare spernit, murmurat, blasphemat, maledicit, et pectoris iram palam evomit, clamoribus omnia implet, quaerit consilium, praesidium, et consolationem non apud deum, sed apud creaturas; non convertitur ad percutientem se, non laudat nec gratias agit, non agnoscit beneficium dei, sed de domini voluntate et providentia temere, et curiosius disputat, contra eos qui ad patientiam ex divinis literis hortantur pugnat, et pertinaciter contendit. Haec dum aguntur, operanti domino resistitur, impeditur opus dei, quod hominis causa susceptum erat, violatur sabbatum, quo ab operibus suis homo cessare iubetur, fraudatur homo corona quae manet eos qui ex pugna victores evadunt, reiicitur culpa in deum omnis boni fontem et autorem, non admittitur, at obruitur semen dei salvificum, non agnoscitur donum dei quod perficit nos, nec voluntas eius bona et bene placens. Monet ergo, ut hac carnis contumacia et immunditia posita, aditum et locum faciamus verbo et consilio domini, quo nos salvare decrevit, agnoscamus optimi patris nostri voluntatem, qui per crucem nos ad filii imaginem reformat, fidem nostram probat et corroborat, a terrenis avocat ad coelestia, totosque nos in se trahit et sibi unit, ut ipse sit omnia in omnibus.

Sitis autem effectores sermonis, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos.

Status totius epistolae est: Eos qui de fide, de deo, deque virtutibus multa garriunt, fructu bonorum operum quum careant, vanos esse et hypocritas. Nam tametsi iustificatio et salus omnis electionis sit et fidei, opera tamen caritatis certissima esse electionis et fidei signa, adeo ut si illa absint (quod ad humanum iudicium attinet) certum sit et electionem et fidem non adesse, quum ex fructibus arbor cognoscatur. Multi sunt qui evangelium ita ediscunt, ut vel memoriter teneant, de Christo egregie disserunt, cantillant etiam suavissime, legunt quotidie, audiunt quotidie, docent etiam ceteros, sed vim et spiritum evangelii nunquam delibarunt. Christus nec hic, nec illic est; ad eos venit qui eum amant, in eis habitat qui praecepta eius servant. Regnum dei non est in sermone, sed in virtute. Regnum dei est iustitia, pax, et gaudium in spiritu sancto. Per antypophoram ergo (ut haec superioribus annectamus) his occurrit, qui vana legis scientia tument, a scopo legis longissime interim aberrant. Et quum iussi sint verbum cum mansuetudine recipere, satis esse putant, si auribus incircumcisis verbum externum hauriant, factis interim mundum et carnem referentes. Nisi quis sese abneget, Christum induat, et tota vita exprimat, nihil proderit audisse evangelium. Non enim qui audiunt legem iusti sunt apud deum, sed qui legem factis exprimunt. In proposito autem argumento perstat, fidem sine factis fidem haudquaquam esse, Christianos non esse vanae fidei iactatores, utcunque de Christo disserant, sed hypocritas et pseudochristianos. Omnino decet ut homo creatoris sui vocem audiat, ut discipulus Christi praeceptoris sui doctrinam excipiat, sed hoc satis non est, nisi ad dei praescriptum mores formet, imo totam vitam instituat. Nam qui auditores sunt tantum divinae legis, non factores, falsa supputatione sese non deum fallunt. Utitur enim metaphora a calculis et rationibus sumpta. Falluntur in rationibus et supputationibus, qui negligenter aut praecipitanter agunt, nec accurate omnia perspiciunt: sic in rebus divinis falluntur qui litera divinae legis vel negligenter lecta, vel obiter audita, summam fidei et religionis se assecutos existimant, scopum et finem legis non attendentes. Christi doctrina factis exprimenda est, moribus, vitae innocentia, simplicitate, veritate, mansuetudine, tolerantia, modestia, caritate. Haec qui nactus in evangelio fuerit, recte in legem introspexit, nec falli poterit. Qui loquentem deum foris audiunt, nec tamen intus accenduntur; qui verbum externum auribus hauriunt, nec corde percipiunt; qui voluntatem patris cognoscunt, nec amant; qui credere se dicunt, caritatem vero non habent, iudicio et morti sunt obnoxii. Habent enim sermonem dei qui eos in novissimo die accusat et condemnat.

Quoniam si quis audiat sermonem, nec eum factis exprimat, hic similis est viro consideranti faciem nativitatis suae in speculo. Consideravit enim se ipsum, et abiit, et continuo oblitus est qualis esset.

Commoda et venusta similitudine rem clarius exprimit. Quae in

speculo videmus minus haerent quam quae vere intuemur. Hinc fit ut facies nostrae minus sint notae nobis, quam alienae, quod nostras in speculo tantum, ceterorum facies vere intuemur. Si iam licet per anagogam altius ascendere, palam fit, quae causa sit, quod aliorum vitia tam acute videmus, nostra vel negligimus vel dissimulamus. In sese enim descendere nemo tentat, et mantica nostra a tergo pendet. Hoc vero ex philautia nasci certissimum est. Nemo cogitat quis ipse sit, qualisve esse debeat; sed qui sint alii, aut quales esse debeant. Quomodo vero corrigi morbus poterit qui non sentitur? qui non agnoscitur? Nota sunt et valde pulchra quae de Socratico speculo traduntur, sed sacrae literae non in speculo vitam, sed in lege dei iubent contemplari. Est enim lex dei speculum quoddam, quod peccatorum labes certissime indicat ac prodit. Neque tamen in literam tantum intendendum, quae occidit, sed introspiciendum penitius est, in legis medullam penetrandum, ubi fructus dulcissimus et sagina animae vera reperitur. Litera aurem ferit; spiritus cordibus insidet et vitam immutat ac renovat. Fortasse non inepte huc quadrant, quae Paulus in Corinthiis de litera et spiritu egregie disserit. Christus alia similitudine idem quod hic Iacobus eloquitur, Matth. 7.

Add. Das Wort Gottes iſt ein Spiegel, lehrt uns, wie unſer Leben ſollte geſtaltet ſein. Jetzt vergeſſen wir unſer eigenes Bildniß wie wir ſein ſollten, und trachten und ſchwatzen nun wie unſer Nächſter ſein ſollte.

At qui perspexerit in legem perfectam quae est libertatis, et permanserit, hic quum sit non auditor obliviosus, sed effector operis, beatus facto suo erit.

Alteram similitudinis partem reddit, quae et antithesim habet. Videtur autem lex generali vocabulo hic accipi, pro omni scilicet doctrina per quam deus hominem docet. תורה enim Hebraeis a docendo, dirigendo et instruendo nomen habet. In legem autem perfectae libertatis quum inquit, haud obscure colligitur, legem esse quae perfectae libertatis non est; hoc est: Legem quae in sese unica et simplicissima est, ab homine, bifariam considerari posse. Primo quatenus per legem peccatum indicatur, et praevaricatio quae contra legem fit proditur, immundicia carnis traducitur. Et hic effectus legis est. De qua re Paulus venustissimis enallagis et prosopopœiis in epistola ad Romanos sanctissime disputat, quum inquit: Per legem cognitionem esse peccati; quum nunc Peccatum geometriam facit ac mensorem, quum damnare, terrere et peccati reum facere lex dicitur. Et in Corinthiis, lex virtus peccati nominatur. Nam huiusmodi loquutiones: Lex damnat, et similes, non aliter verae sunt, quam si quis lumen in coetum deformium hominum inferat, atque illi dicant: Apage, lucernam istam tolle, ea enim nos omnes deformes reddet. Hic certe lux deformes eos facere nequit, sed spectabilem reddit deformitatem. Sic non magis damnat hic lex quam isthic lux. Sed proditur ad legem humana foeditas, ut ad speculum et lucem corporalis deformitas. Lex ergo (ut ad alteram partem veniamus) lux est, mens scilicet, intellectus, et voluntas dei constans

et perpetua, quae per se nec terret nec damnat, sed eius pronunciatione numinis et ingenium et voluntas nobis exponitur; cui quid comparari potest? Sed in coepta metaphora perstemus. Lex speculum quum sit, non modo peccatum nostrum, sed et dei voluntas ac amor eius erga nos, in eo refulget ac perspicitur. Quatenus peccati index est, aversatur eam caro ac odit. Terretur enim lege, idque propter imbecillitatem et improbitatem suam, legisque fulgorem et sanctitatem, ut quum solis splendorem aegri oculi non ferunt aut aversantur. Quatenus vero numinis ingenium voluntas ac natura est lex, mirum in modum reficit quidquid dei cognitionem habet (utcunque caro et quae dei notitiam nullam habent ex auditu ac contemplatione legis nihil voluptatis aut commodi capiant) claritate enim sua purgatas hominum mentes ad se trahit, afficit, et transformat. Quum rex aut imperator sententiam, consilium et ingenium suum decurioni aut tribuno aperit et communicat, an non ille prae laetitia exsilit et gestit? Et deus quum nobis legis pronunciatione voluntatem suam et ingenium aperit, quomodo non summo gaudio perfunderetur mens fidelis? Sed iam quomodo id fiat declarabimus. Diliges dominum deum tuum ex toto corde, anima, mente, ac viribus, lex est, qua primum homo discit numen deum ac dominum esse super omnia diligendum, id autem propter naturalem ac propriam bonitatem illius. Qua scientia quae nobilior et utilior humanae menti contingere potest? quod auspicacius nuncium? quam cum sese deus proponit hoc esse quod prae universis amplectendum et deamandum sit? Quum ergo sese amandum exposuit, certum est quod et ipse amat; nisi enim nos amaret, cuius tandem causa se nobis aperiret? Discimus ergo secundo in hac lege, non tantum quod deus is sit quem amare supra universa debeamus, verum etiam illum ipsum natura amare, non modo hominem, sed cunctas creaturas suas; nam nisi eas amaret, non crearet, non sustineret, non viveret et operaretur in eis. Amat autem nos tanquam parens liberos suos; nos illum tanquam autorem et parentem. Quum praecipitur: Ne occidas, primo discimus deum aequitatis esse amantem et a violentia abhorrentem, secundo discimus aequum esse ut nos ad illius exemplum a vi abstineamus. Nihil novi (ut puto) attulimus, praesertim si quis figuras quae olim praecesserunt in memoriam revocet, et quae Paulus in Corinthiis in hanc sententiam disputat. Non potuit Israel ferre loquentem dominum, Mosen potius audire voluit, cuius tamen fulgorem in facie ex divino colloquio resplendentem non tulit, nec absque velo loquentem audiit. Huc faciunt voces et tonitrua, sonus buccinae et mons fumans, quibus omnibus, terror, quem ex lege primo aspectu caro concipit, adumbratur. Qui ergo vel nudam legis literam legunt, vel corticem tantum lingunt, non solum libertatem nullam consequuntur, sed magis terrentur, et odio contra legem feruntur. Qui vero penitius introspicit, et purgata mente in autorem legis fertur, amorem dei erga se considerat et expendit, hic spiritum libertatis et filiorum concipit, quo fretus omnem metum excutit, et cum fiducia clamat, Abba pater. Qui voluntatem dei et perfectionem ac sanctitatem in lege contemplatur, ingenti gaudio perfunditur, quum scilicet divinam tum caritatem tum beneficentiam erga se perpendit, huius conscientia

libera fit et tranquilla. Qui enim hoc testimonium accipit, signavit, id est, firmum et obsignatum habet quod deus verax est (hunc enim consignavit pater deus.) Et is liber est, quoniam filius, qui est veritas, et lex spiritus vitae per Christum Iesum liberum eum reddidit. Sed a quo? A peccato. Nulla enim condemnatio his qui sunt in Christo Iesu. Ab ignorantia et tenebris. Christus enim lux est mundi. A mortis metu. Qui enim se scit et credit filium esse dei, etiamsi contra eum totus mundus conspirat non concidit; scit enim se curae esse deo, et vitam suam in manu esse dei, unde eam nemo potest eripere. Ab ignominia. Qui enim vere credunt, vitam suam ad formam Christi componunt, contemptis omnibus bonis huius mundi, certa et inconcussa spe ad aeterna anhelant. Spes autem non pudefacit. In summa, qui Christum in lege apprehendit, verum liberatorem habet; nam perfectio legis Christus est, ad iustificationem omni credenti, qui se ipsum in mortem pro nobis tradidit, ut redimeret nos ab omni iniquitate; factus est sub lege, ut nos a maledictione et iugo legis liberaret, spiritum caritatis impertiens, per quem non iam coacti, sed ultro et libere legem et voluntatem dei implemus. Ante cuius adventum legi obnoxii sumus, gravi servitutis iugo oppressi, sub potestatem principis huius mundi, et rectoris tenebrarum, sub peccatum et mortem aeternam venundati, a cuius iure manumissi, servi sumus iustitiae per Christum. Lex enim ligat conscientias nostras et gravitér premit, donec Christus per fidem nos inhabitans, cor donet docile et legis amans, cor novum et spiritum novum, per quem nos Christus regit et suaviter ducit; cor et spiritum filiorum, non servorum; spiritum coelestem, non huius mundi, per quem renati filii sumus dei, non degeneres, sed ingenium filii dei referentes, Christo filio dei conformes vivimus, imo non vivimus nos, sed Christus in nobis vivit. Sumus enim cum Christo mortui, et in mortem eius sepulti, vita vero nostra abscondita est cum Christo in deo. A lege igitur veteri marito liberi, novo sponso Christo in vitae novitate, et spiritus libertate serviamus, qui legem dei in corda nostra insculpsit, et nos in numerum filiorum dei adlegit. Tum autem vere liberi sumus, dum affectus nostri iuxta legem spiritus moderantur, dum abnegatis nobis Christo toti vivimus. Tum libertate hac recte utimur, quum in omnibus rebus praeter domini voluntatem, et proximi salutem nihil quaerimus. Haec fusius fortasse, quam pro annotationum modo, lectoribus dicta videbuntur, sed placuit tot testimonia scripturarum adducere, ut semel pessimorum hominum audacia reprimeretur, qui quum turpissimorum affectuum et scelerum servi sunt, libertatem interim filiorum dei impudenter et impie iactare, ac impietatis suae velum praetendere audent. Nam tametsi multa diximus, plura tamen omisimus, quae lucem praesentibus afferre poterant; nempe quaecunque de regno Christi et ecclesiae libertate prophetae pollicentur, in primis Esaias et Hieremias. Quicunque ergo ad hanc libertatem a domino vocati et admissi sunt, in ea permaneant, nihil respectantes, pro tam divino dono gratias agant, anxiis precibus orantes ne socordia sua amittant, quod divino beneficio collatum est.

Add. Veritas Dei liberat a peccato, errore, metu.

Si quis videtur religiosus esse inter vos, qui non frenat linguam suam, sed aberrare sinit cor suum, huius vana est religio.

In epilogo breviter et summatim vitium vanitatis et hypocriseos perstringit. Videtur autem sub uno vitio cetera omnia comprehendisse, qui mos Hebraeis familiaris est; quasi diceret: Quicunque metuens dei, et mandatorum eius observans esse velit, et unum aliquod vitium habet quo sibi indulgeat, et hoc sibi licere putet, is sese decipit et seducit. Nemo ergo sibi vel in minimo indulgeat. Qui enim minima negligit, in magna saepe prolabitur vitia; et qui sibi in parvis indulget, securitate noxia paulatim maxima quaeque obrepere sinit. Multa diligentia, multa vigilantia opus est iis, qui strenue et recta ad regnum coelorum contendunt. Iter lubricum est et periculis plenum, a latronibus et hostibus undique obsessum; multa sunt quae a recto tramite abducunt. Omnia plena sunt laqueis, plena insidiis, quae nemo certius effugiet quam is, qui in humilitate et timore dei cor suum firmaverit. Fides autem oculatissimus est custos, qui ne tantillum quidem admittit, quod carnis suggestione obrepit, aut satanae astu obiicitur. Fides sine deo nihil est, sine Christo, sine spiritu sancto. Ubi autem deus est in pectore, studium erit innocentiae, peccati pudor et odium. Fides falx est, qua noxii carnis stolones resecantur; nec id in uno vitio tantum, sed in omnibus quamlibet parvis. Lingua membrum est parvum quidem, at ingentia et nocentissima patrat, si non diligenti custodia coerceatur. Linguae petulantia, animum vanum et corruptum indicat. Non est ergo quod religiosum et pium quis se existimet, qui et linguam habet vanam, et cor turpibus cogitationibus infectum. In capite tertio de vitiis linguae latius disseret.

Add. Omnis homo iam mendax. Und Lügen ſtraft man darum nicht, daß es ſo gemein iſt, gleichwie die Ehebrecher im Rath. Und Zürichwein und Glarnerziger hebt man nicht auf (iſt nicht aufheblich gegeneinander [1]).

Religio pura et immaculata apud deum et patrem haec est, invisere orphanos et viduas in afflictione sua, et immaculatum se ipsum servare ab hoc mundo.

Falsa et vana religione, qua se apud homines venditant hypocritae, reiecta, ostendit quae sit vera, pura, immaculata religio, quae non mundo, sed patri coelesti probetur, quibus se filii dei patri suo approbare student. Et primum docet operibus caritatis diligenter inservire; deinde sese immunem servare ab hoc mundo. In quo discimus quaenam opera sint bona, ad quae urgeant apostoli et ministri novi testamenti, nempe caritatis, quibus de proximis bene meremur; non Papistica illa, qualia sunt aras erigere et idola, Missas celebrare, indulgentias a pontifice redimere, et cetera huiusmodi hominum commenta, neglectis interim pauperibus dei, fratribus nostris, quos tantopere commendavit nobis, in quibus se vel coli vel sperni asseverat. Nihil tam nobis commendat Christus nihil tam crebro inculcat, quam mutuam caritatem.

---

[1]) Der eine iſt ſauer, der andere räß.

Caritas autem otiosa non est, nusquam cessat, sed benigna est et sollicita quomodo se totam in usum proximi impendat ac consumat. Quemadmodum vero supra sub uno vitio cetera omnia, ita hic sub una specie bonorum operum generatim omnia caritatis opera comprehendit, quod prophetis valde est peculiare. Per orphanos quoque et viduas omnes afflictos, oppressos, desolatos, et pauperes intelligit; imbellem nempe turbam, quae divitum libidini et violentiae ubique patet, nec habet in hoc mundo (qui solos potentes, divites, et felices respicit) a quibus asseratur. Huiusmodi homines diligentissime commendat nobis deus, cum in lege, tum in prophetis omnibus, poenam minitans gravem, iis, qui eos vel oppresserint, vel ab oppressis vim non arcuerint. Deinde et hoc notandum: Visitandi verbum hic iuxta Hebraeorum morem in bonam partem accipi, nempe pro consulere, iuvare, asserere, ut est videre in Exod. cap. 3. Gen. 50. et Matthaei 25. In summa vere religiosus et pius non ab uno vitio sibi temperat duntaxat, sed se totum immunem et purum servat ab omni contaminatione huius mundi, totum se consecrat et offert deo, cui vivit, mundo mortuus; abnegat sese et omnibus quae hic mundus habet exuit, sublata in humeros cruce Christum nudus sequitur. Quid sit mundus, Ioannes docet in epistola sua cap. 2. et Ioan. 17. et prioribus.

CAPUT II.

Fratres mei ne cum respectu personarum habeatis fidem domini nostri Iesu Christi ex opinione.

Iterum in scopum quem sibi in hac epistola praefixit principalem intendit, mortuam esse fidem, imo fidem non esse quae caritate sit vacua. Connectitur autem principium huius capitis commode superioribus. Nam quum dixisset veram religionem esse, orphanos et viduas invisere, antithesi quadam hypocritas taxat, qui spretis pauperibus et neglecta caritate, divites, et huius mundi potentes in pretio habebant, a quibus vel lucelli, vel gloriae quidpiam sperare licuit. Et quemadmodum ipsi intus fide et caritate vacabant, ita et proximos non ex veris animi bonis, sed ex fucatis et fallacibus fortunae rebus aestimabant. Dicit ergo: Ne habeatis, id est, ne putetis vos habere fidem domini Iesu Christi gloriosam: fallimini opinione vestra, quum caritatem non habeatis. Hanc vos non habere id plane arguit, quod respectum habetis personarum, cum quo nec fides, nec caritas conveniunt. Paulus in Romanis 13. cap. honorem exhiberi iubet, cui honor debetur; cui doctrinae praesens locus haudquaquam adversatur. Aliud enim est honorem exhibere, aliud adulari, quod Iacobus vetat. Personas enim accipere aut respicere, loquutione Hebraica significat oculos et animum in externum hominis habitum defigere, eumque ex hoc vel aestimare, vel contemnere, ex hoc respectu ei deferre, metuere, in gratiam illius, quod fas non est, committere. Ab hoc nefando et pessimo vitio quoniam longissime abest dei natura, per spiritum sanctum in scripturis avocat et absterret eos, quos sibi in peculium quoddam selegerat. Et quoniam humilibus gaudet, ab omni fastu mundi abhorrens, huius rei vivum exemplar in

Christo Iesu filio suo proposuit; qui quum dives esset, pauper, et quum omnium rex atque dominus, servus pro nobis factus est, ut disceremus humiles esse et pauperes, nec mirari aut amare quae mundus miratur et amat. Sed nec prophetarum atroces minae, nec Christi exemplum et doctrina mansuetissima, nec apostolorum voces tantum apud nos valuerunt, quin grande hoc malum hodie passim in orbe regnet et omnia late occupet. Posteaquam ergo vera rerum vocabula iam pridem (ut Cato aiebat) amisimus, quod bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur, difficile est (in expertis maxime) in tam confuso et perturbato rerum omnium ordine, virtutes, non dico amare, sed ne nosse quidem et a vitiis discernere: partim, quod oculus hominis corruptus in externam rerum faciem duntaxat fertur, non in animum actionum omnium fontem penetrat; partim, quod vitia virtutum nomina induunt, et earum veste sese venditant, adeo ut vix tandem vel a spiritualissimis deprehendi possint, dum scilicet vel longo rerum usu edocti id sentiunt, vel hypocrisis (quae perpetua esse non potest) suo se iudicio prodit. Catilinae largitionem tum demum liberalitatem non fuisse deprehensum est, dum proditorio animo apertoque Marte in urbem et patriam suam conspirasset et arma movisset. Haec προσωπολημψία omnium vitiorum nobis, omnium malorum denique causa est, dum et virtutes, et virtutum nomina evanuerunt. Ex hac hydra tot nobis hypocritae, tot adulatores pullularunt. Nam dum virtuti nec locus est, nec honos, nec praemium, regina vero pecunia regnat, et quisque tantum fidei et existimationis, quantum in arca nummorum habet, fit, ut nemo solidae virtuti, nemo verae gloriae studeat.

Nam si ingrediatur in coetum vestrum vir aureum gestans annulum, veste indutus splendida; ingrediatur autem et pauper in sordida veste, et respexeritis ad illum qui vestem gestat splendidam, et dixeritis illi: Tu sede hic bene; et pauperi dicatis: Tu sta illic, aut sede hic subter scabellum meum; an non diiudicati estis in vobis ipsis et facti estis iudices cogitationum malarum?

Vir אִישׁ Hebraico more pro quisquam ponitur vel quispiam. Οὐ διακρίθητε passive exponendum esse annotavit Erasmus; ut sit sensus: An non in vobismetipsis iudicati, et vestris ipsorum conscientiis convicti estis? Potest et sic exponi: An non ab amicitia Christiana, et foedere quod vobiscum Christus iniit descivistis? Nam et hoc significat διακρίνομαι; et forte haec significatio ad propositum magis quadrat. Arguit enim et fidem et caritatem abesse ubi personarum sit acceptio; et foedus amicitiae, quod inter Christianos constare debet, irritum fieri, ubi ex affectu carnis dives pauperi praeferatur, et tenuis prae fastuoso contemnatur. Quam sententiam confirmare videntur verba superiora, ubi dixerat πίστιν τῆς δόξης, quae nimirum coniungenda sunt, ut sit fides gloriae, idiotismo Hebraico, pro fides gloriosa, et fides capiatur pro religione, ut saepe alias. Hoc sensu: Religio Christiana res est longe augustior et gloriosior, quam ut sese adulando tam turpiter demittat, et divitum favorem eblandiatur. Sed ad propositum. Doctrinam exemplo declarat ac probat, morem simul adulatorum indicans; et divitum vani-

tatem ac fastum. Olim ingenui homines et qui rebus bene gestis praeclari erant, annulis et huiusmodi virtutum insigniis ornabantur, ubi non ex splendore aut fortuna, sed solida virtute honores ac merita decernebantur. Nostra tempestate inani maiorum stemmate quidam se venditant, solis titulis gloriantes, quum ipsi interim ab avita virtute et probitate longissime degenerent. Quae res longe perniciosissima, omnium rerum publicarum statum, tranquillitatem, et salutem enervat ac subruit, quum scilicet non ex recte factis sed ex stultis titulis et opibus aestimati homines stulti ad rerum gubernacula admoventur. Quo igitur magis difficile est hypocritarum fucum cognoscere, virtutes a vitiis discernere, quo maior rebus publicis iactura metuenda est, si magistratus est pessimus; hoc plus enitendum Christianis omnibus, ut oculum simplicem et fide purgatum (quantum fieri potest) in virtutem solidam, non in externam personam, defigant. Spiritualis omnia diiudicat. Fide per caritatem efficaci coram deo et hominibus vivamus; fide omnia iudicemus; fide eligamus ad officia; fide omnia agamus et nusquam impingemus. Lux enim est, quam qui sequitur non errabit. Sine fide peccata sunt omnia.

Add. Wir ſollen, ſoviel wir vermögen, fleißig auffehen, was wahre Tugend ſei, was Gleichsnerey; ſollen nicht den äußerlichen Schein zenzlen und liebkoſen. Denn das Aduliren und Aufwerfen des falſchen Scheins und Hypocriſis macht, daß wir um die wahren Tugenden kommen, denn man ſieht, daß man nur den äußern Schein anſieht, annimmt und verwundert, ſo man dem ſo viel Ehr anthut und hoch achtet, ſo fleißt ſich niemand solidae virtutis. — Es iſt ein ehrlich Ding um die alten edlen Geſchlecht. Ja, wenn ſie der Tugend und Frommkeit ihrer Eltern nachſchlagen. Alioquin res perniciosissima. Vide Val. Max. de his qui summo loco sunt nati. Alle Zerrüttung und factio publicae tranquillitatis et salutis — daß ſich die Schälke ihrer Eltern überheben und wollen deſſen gefreyt ſeyn, und daneben ihrer Eltern frommen Thaten nicht nachfolgen. In dem wollen ſie ihrer Eltern genießen und finden daher Schirm, Ehre und Beiſtand. Daher wächst alle Bosheit; der üppige Adel, Gewalt, frevel thun was Unrecht iſt, ja impune. Pracht und Glanz geht für wahre Tugend, für Zucht und Frommkeit; das verderbt denn alle Regimente.

Audite fratres mei dilecti: Nonne deus elegit pauperes mundi huius, divites in fide et haeredes regni, quod promisit his a quibus dilectus fuerit? Vos autem contemptui habuistis pauperem. Nonne divites tyrannidem exercent in vos? Et iidem trahunt vos ad tribunalia? Et iidem male loquuntur de bono nomine, quod invocatum est super vos?

Latius argumentum institutum prosequitur, haud obscure indicans de quibus pauperibus et divitibus loquatur, utrorumque ingenium et mores graphice depingens. Neque enim divites et pauperes simpliciter dicit, sed notas certas adiicit per quas et allegoricus sermo resciatur, et sensus clarior fiat. Ut quum pauperes nominat (huius mundi) addit, pauperes scilicet spiritu. Mox fide divites inquit, et regni haeredes.

Per quos intelligit eos qui mundo huic sunt contempti, et qui prae Christo mundum, et omnia mundi contemnunt; quibus mundus crucifixus est, et ipsi mundo, qui omnia pro stercore ducunt ut Christum lucrifaciant. Et si divitiae affluunt, tamen cor non apponunt, nec serviunt divitiis, nec sperant in eas; et habentes sunt quasi non habeant; possidentes quasi non possideant; utuntur divitiis non ut domini, sed ut dispensatores. Quum vero de divitibus loquitur, eos nominat, qui tyrannidem in pauperes exercent, qui pauperes trahunt ad tribunalia, qui blasphemant nomen domini, avari, fastuosi, et qui mammonae serviunt, quos nunc maxime suspicimus, et ad publica officia admovemus.

Si legem quidem regiam perficitis iuxta scripturam: Diliges proximum tuum sicut te ipsum, bene facitis; sin vero personam respicitis, peccatum committitis, et redarguimini a lege, veluti transgressores.

Per gradus quosdam sese subinde clarius exponit, ab autoritate et dignitate praecepti argumentum ducens. Regiam vero legem, praeceptum de caritate vocat, quoniam summa est et praecipua, et reliquas omnes leges in se complectitur. Hinc Paulus omnia praecepta in caritate summatim comprehendit, et in uno omnia compleri ait. Quod si in uno omnia complentur, mirum non est quod Iacobus infra ait, eum omnium esse reum qui in uno offenderit; sed de hoc postea. Christus ipse mandatum de dilectione maximum et summum pronunciat, utpote in quo et leges et prophetae omnes pendeant, et quod sit omnium legum ac mandatorum colophon. Antithesi venusta manifestum facit, et divites ac potentes posse honorari, modo id fiat iuxta regulam caritatis; quod si persona respicitur, non fiet hoc absque peccato, quod hi qui id faciunt a lege ipsa rei agantur, et transgressores esse palam et irrefragabili iudicio convincuntur.

Quisquis enim totam legem servaverit, offenderit autem in uno, factus est omnium reus. Nam qui dixit: Ne mœcheris, dixit etiam: Ne occidas. Quod si non fueris mœchatus, occideris tamen, factus es transgressor legis. Ita loquamini, et ita faciatis, veluti per legem libertatis iudicandi. Siquidem iudicium absque misericordia erit ei, qui non praestiterit misericordiam. Et gloriatur misericordia adversus iudicium.

Locus iste obscurus est et difficilis, et multos hactenus torsit, verum ex contextu orationis (si diligenter consideretur) magis ac magis clarescet. Omnia autem sic cohaerent, ut videatur Iacobus, quemadmodum et Paulus, omnia in praecepto dilectionis conclusisse. Quae sententia si recipitur, planissimus erit sensus. Nam qui caritatem non habet, nec fidem habere potest ex qua caritas nascitur. Absque fide vero impossibile est ut deo quis placeat. Quidquid enim non fit ex fide, peccatum est. Et Paulus absque caritate irrita esse omnia in Corinthiis docet. Qui ergo in caritatem impingit, omnes leges violavit. Quemadmodum enim in praecepto caritatis, si servetur, omnia mandata servantur; sic in eodem, si violatur, omnia refiguntur. In eandem sententiam Ioannes arguit, quum ait: Qui non diligit fratrem suum quem

videt, deum quem non vidit quomodo potest diligere? Item: Si diligamus nos invicem, deus in nobis manet, et caritas eius perfecta est in nobis. In hoc sensu a legis natura, et a connexis argumentum texitur. Sed cogunt nos verba quaedam et aliam expositionem adiicere. Nam si omnia peccata, et omnes transgressiones legum similes essent, non discerneret deus in lege sua inter iram in corde, in ore, et manu; deinde non essent diversae scelerum poenae constitutae. Videtur ergo sic dicere: Qui in uno offendit, omnium factus est reus; id est, legislatorem aeque offendit ac si in alio peccasset, ut sit comparatio non aequiparatio. Nam qui irascitur, praevaricator est divinae legis, quemadmodum is qui manu trucidat. Et licet posterioris culpa sit gravior quam prioris, neuter tamen a peccato immunis est. Non dissimiliter a Stoicis disputatur, cum admirabilia quaedam et contra omnium opinionem placita ponunt. De connexione virtutum scilicet et paritate vitiorum; ut est videre apud Ciceronem in Paradoxis, quum inquit: Una virtus est consentiens cum omni ratione, et perpetua constantia. Paria item esse vitia. In quo peccat quis, id potest aliud alio maius esse aut minus, ipsum quidem peccare, quoque te verteris unum est. Peccare autem est transilire leges; quam longe progrediare quum semel transieris, ad augendum transeundi culpam nihil pertinet; peccare certe licet nemini. Auri navem evertat an paleae gubernator, in re aliquantum, in gubernatoris inscitia nihil interest. Peccata enim non rerum eventu, sed vitiis hominum metienda sunt; vitia autem pravitates sunt animi. Adulterium committat quis cum alterius uxore, alter id corde duntaxat perpetret, peccatum quidem prioris augetur, eoque poena maiori dignus erit. Sed nobis in vita, non quae cuique peccato poena sit, sed quantum cuique liceat spectandum. An tu temperantem eum dixeris, qui se in aliqua libidine continuerit, in aliqua effuderit? Haec Ciceronis verba in hunc usum adduxi, ut videamus et in Gentibus semina quaedam virtutum a deo insita esse; quae si quis excoluerit, et aurum e stercore colligens, ad decorem domus domini applicet, nihil peccaverit. Hanc philosophorum doctrinam Christus absolvit (in Christo enim, qui lux est mundi, quidquid boni retro saeculis divina sapientia per homines prodidit, illustratur et perficitur) quum contra δευτερώτας et pharisaeorum hypocrisim mentem divinae legis explicat. Fontes illic vitiorum et omnium scelerum scaturiginem expurgat et obturat, quo studio si semel fuerit homo recte occupatus, videbit quantam sentinam malorum (quam in sese deprehendet) exhaurire necesse sit. Durabit autem hoc studium, donec hoc corruptibili corpore sumus circumdati. Hinc sui ipsius odium, peccati horror, vitae huius taedium nascitur, quum viderit se homo nihil esse quam peccati massam et vitiorum omnium lernam, quum sentit se (etiam cum sanctissimus est) magnis peccatoribus nihilo esse meliorem; tum tandem vere humiliatus de se modestius sentire cogitur, imo sese infra omnes vel pessimos deiicere, sese maximum peccatorem agnoscere et confiteri. Esto enim adulterium opere non admisit, manu neminem trucidavit, sentit tamen concupiscentiae et irae scintillam, ex qua adulterii et homicidii ignis conflagravit, sibi non deesse; quod vero non eruperit, divinae beneficentiae esse

agnoscit, non virtutis propriae. Scintilla peccati inest omnibus, cui si sulphur adhibeas mox ardet. Nec quia latet ignis et parvus est, securius et ignavius agendum est, imo hoc vigilandum accuratius, dum minori negotio, minori etiam damno gravius periculum caveri potest. In hisce angustiis et periculis quum omnes pii versentur, docet Iacobus vir sanctus nihil remittendum, nihil indulgendum esse, ne minimum quidem, sed perpetuas iubet excubias agere, ne hostis locum vel tantillum inveniat, qui nunquam dormit, sed circuit veluti leo rugiens, quaerens quid devoret. Pure et sancte in conspectu dei ambulandum est piis; quotidie sanctae conversationis studia innovanda. Qui summa diligentia cavent, saepe tamen cadunt (Cadit enim septies in die iustus) et negligens ac sibi indulgens casum vitabit? Conemur ergo semper ad meliora, optima quaeque exempla proponamus, tantum absit ut nobis quidquam permittamus. Nam sic conantes successus saepe destituet; et multa deerunt sanctissime ac cautissime conversantibus. Quicunque ergo in uno aliquo peccato quamlibet parvo sibi indulserit, is aditum hosti facit ad maiora, certum argumentum sua securitate et oscitantia praebens, se divini numinis metu non magnopere teneri, et legislatorem spernere, qui omni peccato vel minimo offenditur. Nullus ergo sibi blandiatur, nullum peccatum leve existimetur; qui unum prohibuit non potest alterum probare. Qui legem aliqua parte violat, praevaricator totius legis esse convincitur. Est enim omnium legum veluti unum corpus, cuius membrum quisquis vel minimum laeserit, totum corpus laesisse iure accusabitur. In hanc ergo libertatis legem introspiciendum est, non in cortice haerendum, ut id quod in lege est potissimum apprehendamus, nempe caritatem, quae si nobis donata fuerit, omnium bonorum cumulum possidebimus. Tunc vere liberi erimus, nempe nihil cuiquam debentes quam dilectionem. Et legi per legem mortui, soli Christo vivemus, qui nos sua iustitia iustos, et suo spiritu vere liberos reddidit. Qui sic a lege sunt liberi, non peccant, a lege ergo sunt absoluti, per legem ergo nec iudicantur nec damnantur; quia caritas non potest peccare, et nihil condemnationis est his qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulant, iisque omnia in bonum cooperantur. Qui vero adhuc sub iugo sunt legis, captivi sunt, nempe totius legis debitores; quibus Christus otiosus est, per legem iudicantur et damnantur. Videtur enim enallage esse quod dixit: Veluti per legem libertatis iudicandi, hoc scilicet sensu: Per legem liberi iudicandi, id est: Sic loquimini, et sic omnem vitam vestram componite, ut quum tempus iudicii appetierit, lex nihil iuris in vos habeat, sed a lege sitis liberi, quod tum fiet, quum fide in Christum sincera et firma immoti, contra hostis impetum steteritis, ne digitum latum cedentes, nihil unquam vel tantillum contra legem admissuri. Quandoquidem vero de iudicio mentionem fecerat, simul indicat, qua via quis effugere iudicium possit, idque forti epicheremate, quo simul ad caritatem et misericordiam provocet duros et immisericordes. Iudicium absque misericordia, inquit, habebit, qui misericordiam non praestiterit. Hanc sententiam ante eum tulit Christus, quum inquit: Sic et pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis quisque fratri suo

de cordibus vestris delicta illorum, et alibi: Remittite et remittetur vobis. Qua enim mensura mensi fueritis, eadem remetietur et vobis. Qui ergo peccatorum remissionem a deo petit, ipse quoque fratribus remittat offensas. Remissio autem caritatis est opus, quam hic ἐλεημοσύνην appellat. Est autem ἐλεημοσύνη animi virtus, qua alienis malis indolescimus, dum famem et miseriam qua proximus torquetur in visceribus nostris sentimus. Capitur tamen nonnunquam pro beneficio quod ex hac commiseratione pauperibus exhibetur, quo necessitati eius subvenitur. Porro quod dicit: Misericordia gloriatur adversus iudicium, puto loquutionem esse Hebraicam, qui משפט pro eo utuntur quod recte fit, ut sit sensus: Misericordia recte facta superat ac excellit, Misericordia et caritas iustitiae praestat. In comparatione ergo loquitur: Sint duo, alter ad exactam regulam iustus, ut nihil mali designet, neminem laedat, nemini inferat iniuriam, deinde maleficos etiam puniat districto iudicio, at calamitate proximi nihil moveatur, ut vel consilio vel auxilio adsit; alter infirmitate aliqua carnis superatus, in aliquod crimen labatur, animum autem habeat misericordem et proximo inservire paratum, is priori longe praeferendus est. Et fere huius mundi divites iustitia sua et vitae innocentia freti, divitias suas nec vi, nec fraude partas (utinam vere) gloriantur ac iactitant, ceterum erga proximos quamlibet calamitosos vix unquam affectu misericordiae commoventur. Hi (etiamsi tales essent quales sibi videntur et aliis videri volunt) vere iusti non sunt. Alteram enim partem iustitiae non habent, de qua David dicit: Discede a malo et fac bonum. Habet enim iustitia adiunctam sibi beneficentiam, quae est benignitas et liberalitas in proximos. Deinde non solum non aufert aliis sua, sed insuper quod suum est cuique tribuit. Et philosophi docuerunt eos non esse iustos qui ab his quibus infertur (si possint) non propulsant iniuriam; quique non defendunt nec resistunt iniuriae (si possunt) tam esse in vitio, quam si parentes, aut amicos, aut patriam deserant. Hi nempe a benefaciendo avaritia et habendi cupiditate retrahuntur, quo studio impediti quos tueri debent deserunt. Quid autem refert (si ad rationem iniustitiae respicias) sua homini auferre, aut non reddere quum debeas? Hominem occidere gladio, aut fame necare quum alere possis, quid interest? Superat ergo (inquit Iacobus) misericordia iustitiam; non quod iustitia sine misericordia esse possit (Hinc summum ius summam iniuriam esse dixerunt) sed humano more iustitiae vocabulum usurpat, iustitiam appellans quam sibi tribuunt pharisaei; ut est Lucae decimo octavo cap. de pharisaeo et publicano. Solent enim iusti aliquando dici, qui sibi iusti esse videntur, ut quum Christus se non propter iustos sed peccatores venisse dicit, quum tamen iustus in orbe nullus sit, ne unus quidem.

Add. Setze, es ſei einer alſo fromm, daß er niemand Unrecht thue, thut aber niemand keine Hilfe, iſt nicht barmherzig. Dagegen iſt einer barmherzig und hat ſchon etwas Laſter an ihm, ſo iſt der Barmherzige beſſer und übertrifft den andern Frommen. Alſo vermeinen die Reichen dieſer Welt, ſie ſeien fromm, wenn ſie ihre Reichtage ehrlich gewinnen, ſie beſcheißen niemand, ſchaden niemand; dazwiſchen geben ſie niemand nichts, ſind nicht barmherzig, ſo ſind ſie wahrlich nicht fromm.

Quae utilitas fratres mei, si fidem dicat aliquis se habere, facta vero non habeat? Num potest fides salvum facere illum?

Hic locus, quoniam salutem operibus tribuere videtur, fecit, ut haec epistola Canonicis scripturis a quibusdam veteribus non sit connumerata. Sed si scopus totius epistolae diligentius consideretur, et sancti viri mens in deum ardentissima, nihil minus quam opera iustificare dixisse Iacobum palam fiet, maxime si a fide seiuncta fuerint. Atque hic a multis in utramque partem peccatur. Alii enim fidem ab operibus separant, ut Iudaei omnes, pharisaei, hypocritae, pontificii, iustitiarii, qui ex lege et operibus iustitiam quaerunt. Et hi ad dexteram aberrant, Christi gratiam spernentes, imo Christi meritum et iustitiam negantes, et abolentes ut suam statuant, hominum genus pessimum, et quibus cum prophetis, Christo, et apostolis negotium semper fuit, peiores iis de quibus mox dicemus, imo saepe peiores sceleratissimis et maximis peccatoribus, qui eos in regno dei antevertunt. Alii vero fidei caritatis opera adimunt, inani tantum fidei vocabulo gloriantes, quum interim non Christo sed sibi vivant et mundo, libertatem Christi velamentum scelerum suorum faciunt, rursus crucifigentes sibimetipsis Christum, et sanguinem eius pedibus conculcantes, ac ludibrio exponentes, sues scilicet ac porci rursum ad coeni volutabrum redeuntes postquam fuerint loti, et hi ad sinistram declinant. Porro inter hos electi filii dei, regia via inter metum et spem incedunt, morbum suum humiliter agnoscentes, unde in eis generatur peccati horror et pudor, salutis desiderium excitatur. Rursus quum caritatem illam pientissimi patris, qua eos ab aeterno complexus est, perpendunt, et quod illorum gratia filium unigenitum in hunc mundum misit, fiduciam certam et spem in deum concipiunt, in quem se totos coniiciunt. Summa illis cura est, ut patrem tam beneficum nusquam offendant, sed ut ad voluntatem illius se totos componant, mundo sint mortui et deo vivant. Haec vero fides quoniam ex deo est, per spiritum sanctum in corde credentium excitata, sine caritate esse non potest, quae se in usus proximorum totam effundit, et ita filios dei accendit, ut patrem suum in coelis beneficentia in omnes referant. Iacobus ergo quum fidem iustificare negat, non de vera illa, viva, et efficaci perque caritatem operante fide intelligit, cui in scripturis iustificatio et salus tribuitur, sed eam (quam iactant quidam) quae non fides (tametsi eam ita appellent) est, sed potius opinio, taxat et reprobat, quam et idcirco mortuam fidem appellat, quod caritate (quae vera vita est) careat. Per mimesim autem loquitur, eos imitatus qui de mortua fide, quae tamen fides non est, tanquam de viva et vera gloriabantur. Nam quum ipsi opinionem hanc vanam, fidem appellarent, eodem nomine et ipse utitur, sed mortuam adiicit, ne quis putaret eum veram fidem reiicere. Mortua autem fides dicitur, quod simulacrum fidei sit non fides viva, quemadmodum mortuum corpus hominis nomine appellatur. Hanc ob causam prudenter dicit: Si dicat se quis habere fidem, facta vero non habeat. Non dicit: Si quis habet fidem, non potest eum salvum facere. Fidei ergo verae, de qua Christus loquitur: Qui credit in me, habet vitam aeternam, et

quae tantam laudem obtinet in scripturis, nihil derogat, sed in simulatores, et sterilis fidei iactatores invehitur. Oratione autem per interrogationem formata, vehementius urget. De fide vera et viva vide Apostolum ad Hebr. 11. Illic disces fidem absque operibus esse non posse, non magis quam ignis sit absque calore, aut arbor bona fructum non ferat, ut non immerito Iacobus fidem absque operibus mortuam dixerit. De fide loqui et scribere quis potest; ostendere fidem absque operibus nemo potest, quod multis exemplis iam probat.

Quod si frater aut soror nudi fuerint et egentes quotidiano victu, dicat tamen aliquis vestrum illis: Abite cum pace, calescite et saturamini; non tamen dederitis illis quae sunt necessaria corpori, quae erit utilitas? Sic et fides, si facta non habuerit mortua est per se.

Qui de fide loquuntur, recte quidem faciunt, non minus quam hi qui fratri esurienti aut algenti dicunt: Vade, calesce, ede; sed hoc non satis est nisi factis exprimant, quod tum fiet, egenos si cibaverint aut calefecerint. Tunc enim palam fiet hypostasin fidei in corde esse, quum viscera fratris necessitate intus commoventur, quum non verbo tantum, sed opere et veritate diligimus. Qui enim habuerit substantiam mundi, et viderit fratrem suum egentem, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas dei manet in eo?

Sed dicet quispiam: Tu fidem habes, et ego facta habeo. Ostende mihi fidem tuam ex factis tuis, et ego ostendam tibi ex factis meis fidem meam.

Sed dicet aliquis: Non docet quod quis sic dicere debeat, aut separare fidem ab operibus, aut opera fide spoliare, sed exempli et disputationis gratia duos fingit, quorum alter dicat se fidem habere quam factis haudquaquam exprimat; alter qui fidem habeat operibus ornatam, qui priorem iis verbis compescat: Tu quidem fidem habes, ut tibi quidem videtur, ego vero non solam fidem, sed et opera fidei habeo, atque hanc meam fidem tibi ex operibus certo demonstrare possum; tu vero fidem tuam, si quam habes, et mihi ex operibus ostende, et crediderim te fidelem esse, quod si non potes, convincam te fidem (utcunque eam iactes) nequaquam habere. Et est argumentum a connexis. Impossibile enim est ut fides vera opera caritatis non proferat. Et fidei natura est ut per caritatem operetur, ut ignis natura est ut luceat et ardeat. Quicunque ergo, sive Christus, sive apostoli, fidei salutem et aeternam vitam tribuunt, de fide efficaci et per caritatem operante loquuntur. Qui vero fidem sufficere negant (ut Iacobus, ex posterioribus Chrysostomus et alii) de inani et mortua fide intelligunt, qua gloriantur hypocritae.

Tu credis quod deus unus est? Recte facis. Et daemonia credunt, ac contremiscunt.

Naturam verae fidei clarius explicat, ut manifestum fiat, fidem hypocritarum vanam esse. Fides efficax et salutaris duo complectitur, scientiam aut cognitionem dei, et fiduciam aut amorem in cognitum deum. Cognitio quidem natura praeit amorem, et sine amore esse

potest, utilis tamen esse non potest. Haec cognitio in daemonibus et impiis hominibus quandoque fides appellatur, ut quum simulacrum hominis hominem appellamus, quum frigida quaedam confessio sit duntaxat, formidinem et desperationem noxiam habens adiunctam. Agnitum enim deum non ut patrem amant, sed metuunt ut tyrannum, non delectantur, nec fidunt eo. Timorem quidem habent, sed servilem, non filialem et castum. In piis contra fit, lucis aeternae radiis non solum illustrantur, sed accenduntur, transformantur, ac novi quidam homines fiunt. Cognitum deum ut patrem amant, colunt, venerantur, tremunt ad sermones eius, metuunt, sed ne tantum benefactorem et patrem offendant, omnem fiduciam in eum collocant, ab ipso toti pendent, sese totos in hunc coniiciunt. Ad priorem partem servit evangelii externa praedicatio, quae scientiam illius summi boni omnibus offert, sed ut cor intus trahatur et accendatur in deum, solius spiritus opus est. Hinc Ioannes huic rei praeludens inquit: Ego baptizo vos aqua, post me autem qui veniet baptizabit vos spiritu sancto et igni. Et Paulus ait: Qui plantat et qui rigat nihil est, sed qui incrementum dat deus. Quemadmodum enim in baptismo aqua corpori aspersa corpus tantum afficit, animum immutare non potest, ita externum verbum aures ferit, sed in cor hominis non penetrat nisi spiritu duce.

Vis vero scire o homo inanis, quod fides absque factis mortua sit? Abraham pater noster, nonne ex factis iustificatus est, quum obtulisset Isaac filium suum super aram? Vides quod fides adiumento factis illius, et ex factis fides perfecta fuerit? Et impleta est scriptura quae dicit: Credidit Abraham deo, et imputatum est illi ad iustitiam, et amicus dei vocatus est. Videtis igitur, quod ex factis iustificetur homo, et non ex fide tantum? Similiter autem et Rachab meretrix, an non ex factis iustificata est, quum excepisset nuntios et alia via emisisset? Nam quemadmodum corpus absque spiritu mortuum est, ita fides absque factis mortua est.

Exemplis duobus arctissime stringit hypocritas, et vanam fidem explodit, quod in hoc notatur, quod dicit: Homo inanis, symbolica loquutione ostendens, fidem mortuam ac vanam esse qua quidam gloriantur. Vas vinarium sive vacuum sit, sive plenum, cantharum appellamus, sed ex ipso sermone et circumstantiis satis intelligimus, quum de cantharo quis, aut vino loquatur. Quum enim dicit: Praebe cantharum et infunde, facile capimus vinum, non cantharum vacuum, postulari, quum vero dicit: Ablue cantharum, de vacuo vase dici quis non intelligit? Sic fidem vocamus donum illud coeleste, quo iustificantur et salvantur electi, et quod per caritatem (dum tempus est) efficaciter operatur. Nihilominus et fidem appellamus opinionem istam vanam et mortuam, qua quidam tument, multa de fide, de deo, deque divinis rebus sonantes. Quemadmodum vasa quo sunt minus plena, hoc dum volvuntur et quassantur magis crepitant, et sonum edunt vehementiorem. Huiusmodi homines vanos ac fidei vacuos, inanes vocat. Qui deo pleni sunt, solidi sunt et constantes, deinde ope ac consilio in reliquos exundant.

Symbolicae loquutiones quae Germanis frequentes sunt, ut sunt urbaniores, ita rem graphice delineant. Quum quis cruorem in pisce coagulatum dicit, omnes intelligunt piscem iamdudum mortuum esse, et ab eo abstinent emptores, sermo tamen civilior est, quam si dixisset piscem esse mortuum. Quum praetereuntes domum fenestras pertusas conspicimus, et omnia telis aranearum plena, dicimus: Hic nemo habitat. Certissimo itaque argumento nititur Iacobus. Quasi diceret: Ubicunque non sunt opera caritatis et facta fide digna, illic fidem abesse certissimum est. Neque contra sequitur: Opera adsunt, ergo fides adest. Nam et hypocritae absque fide opera multa faciunt, eaque valde speciosa. Non ergo fidem veram impugnat Iacobus, sed ostendit fidem illic nullam esse, ubi desunt opera, rursus ubi fides sit, illic opera sequi certissime. Primum ergo exemplum ex libro Geneseos sumptum est, in quo Iacobus vivam et efficacem sanctissimi Abrahae fidem ex obedientia metitur, quasi contra vanos iactatores sic diceret: Num Abraham, quum deo credidisset vobis erat similis, otiosus, et ignavus? An non mox ad opus dei accingitur, et infracto pectore filium (ut iussus erat) occidere parat? Vos ignavi deum loquentem et praecipientem auditis: Estote misericordes; dilige proximum ut te ipsum; in hoc cognoscent omnes quod mei estis discipuli; diligite inimicos vestros etc. Vos vero pauperibus nihil datis, et interim odio ac invidia contabescitis. Quod autem dicit Abrahamum filium obtulisse, loquutio est: Dimidium enim facti, qui bene coepit, habet; et qui in opere coepto non cessat, facere aut perficere censetur. Etenim, quod ad voluntatem Abrahae pertinet, obtulit filium suum, ni factum eius angelus de coelo intercepisset. Sic facere aut perficere voluntatem dei pii dicuntur, quum divinae voluntati ex corde assentiunt et student, et ad hanc perficiendam gnaviter et impigre accinguntur, quantumvis carnem sentiant reclamantem, et legem membrorum spiritui repugnantem, utcunque voluntatem dei ad plenum nunquam perficiant. Studium ergo et opus fidem veram et efficacem arguit. Fidei nihil derogare Iacobum et hoc probat, quod dicit *ἡ πίστις συνήργει τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ἔργων ἡ πίστις ἐτελειώθη*: Fides adiumento fuit factis illius, et ex factis fides perfecta fuit. Quibus verbis manifestum fit, quod neque operibus seorsim aliquid tribuit, neque vult quod opera fidem faciant, sed energiam fidei ex operibus probat, et fidem operum effectorem et quasi autorem facit. Hoc enim *συνήργει* hic significare puto (quemadmodum et in Galatis, dum Paulus dicit *ἐνεργήσας πέτρῳ εἰς ἐνήργησε καὶ ἐμοὶ*: Qui efficax fuit et vim suam ostendit in Petro, idem et in me vim suam exeret. Sentit enim quidquid per Petrum effectum est, non ex ipsius viribus, sed deo autore perfectum) vim exerere, efficere, et operari aliquid ut autorem, sed per alium aut in alio. Rursus fides factis exprimitur, conspicua et illustris redditur. *Τέλειον* enim ut supra primo capite ostensum est, iustae magnitudinis et integrae aetatis dicitur. *ἐτελειώθη* ornatur, exprimitur, perficitur, et vera esse omnibus declaratur. Quasi diceret: Quis me certum reddidisset Abrahamum deo credidisse (quum fides intus in corde sit, nec ulli cognita) si quod iussus erat non fecisset? si fidem factis non declarasset? Declaravit autem insigne hoc facinus,

fiduciam eius nec mortuam esse, nec vulgarem, qui unicum filium ad iussum dei mactare non dubitat. Ad hunc morem et Angelus ibidem dicit: Nunc scio quod timeas deum etc. Ex obedientia ergo Abrahae et facto tam insigni, fides eius nobis declaratur, et vera esse ostenditur, et tam egregio documento fidei perfectum esse ostenditur quod dixit scriptura: Credidit Abraham deo etc. Quod autem dicit: Videtis igitur quod ex factis iustificetur homo et non ex fide tantum, constat Iacobum facta pro fide operante accepisse, et fidem per imitationem mortuam et vanam fidem intellexisse, quam suo tempore plerique iactitabant. Fidem ergo nudam reprobat, fidem factis comprobatam summis laudibus vehit, huic iustitiae et salutis laudem tribuit. Quod in posteriori exemplo videre est, quum fidem meretricis Rachab ex beneficentia et caritate in exploratores, non fuisse vanam arguit, quorum saluti non consuluisset, si vitam suam magis quam deum dilexisset. Sed facto insigni et arduo prorumpit fides: vitam contemnit propriam, ut proximorum tueatur; se in periculum dat, ut ceteros servet. An non evidens animi bene fidentis deo argumentum est, parentes, patriam, vitam denique suam contemnere ut deum lucrifacias? Et Paulus hoc exemplo ad Hebraeos utitur, idem probans quod hic Iacobus; fidem nempe commendans eorum, qui apud Iudaeos olim celebres fuerunt, atque hanc commendationem ex factis egregiis et insignibus nobilitat. Fides ergo vera et efficax factis declaratur, quae factis caret, nec se (quum offertur, occasio) profert, frigida est et absque caritate, nec meretur dici fides, sed mortua est et inutilis, quemadmodum corpus vita destitutum mortuum est et inutile.

CAPUT III.

Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes quod maius iudicium sumpturi simus. In multis enim labimur omnes.

Hoc capite eos praecipue taxat, qui ad magistratum aut docendi officium adspirant, ad docendum quam ad efficiendum magis cupidi. Interim per egressionem linguae malum (quod supra paulum delibarat) latius prosequitur. Postremo a contentione et zelo amaro ad spiritus mansuetudinem avocat. Solent nonnunquam vel in piis mentibus (in quae bonitatis suae semina insevit optimus ac pientissimus pater) vitia quaedam pullulascere, quae nisi mature revellantur, fructum ferunt longe nocentissimum, et reliqua bona facile vel opprimunt, vel penitus extinguunt. Atque prae ceteris ambitionis morbus pestilentissimus est, ex fiducia et amore sui prognatus, lernam vitiorum secum trahit, fastum, superbiam, mentis elationem, regnandi cupiditatem, proximorum contemptum. Gignit ex se philargyriam, scelerum (ut inquit Claudianus) matrem. Hinc enim perfidia, aemulatio, ira, invidia et contentio, quae omnia non solum Christiano, sed etiam homini ingenuo indigna sunt. Terret autem a docendi officio, primum, poenae gravitate, quae eos manet qui secus quam oportet docuerint, quum dicit: Gravius iudicium sumpturi sumus; nos scilicet, qui hoc officium non recte obierimus. Deinde ostendit hanc provinciam esse longe periculosissimam, idque propter humanae naturae imbecillitatem, qua fit ut labi et errare omnibus

in proclivi sit. Et quum error in ceteris omnibus turpis, in doctore turpissimus est, lapsusque eorum gravior ac periculosior qui ex edito aliquo loco labuntur. Nam qui ceteris praesunt, horum vita conspicua est omnibus, quo fit ut eorum vitia facile in alios manent, magistrorum autoritate non nihil commendata. Mobile mutatur semper cum principe vulgus. Probat autem hoc exemplo linguae, apto quidem et ad propositum valde accommodo. Sic autem verba habent.

Si quis in sermone non labitur, hic perfectus est vir, qui possit freno moderari totum corpus.

Quasi dicat: Si lingua tantopere peccamus, quae minimum membrum est in corpore, quantum igitur omnibus membris offendemus? Qui enim linguam suam domuerit, is nimirum iam se totum sic instituit ut sit perfectus, possitque sibi ipsi in aliis quoque imperare. Quum vero videamus neminem, aut certe paucissimos qui linguam suam domuerint, ne dicam in ceteris sibi imperarint, quae insania quod tam multi docendi officium affectant? An non hoc cupiditate fit pessima et loquendi et dominandi? Argumentum autem praecipuum sic habet. 1) In multis labimur omnes. 2) Labi doctori est turpissimum. 3) Docendi ergo munus nemo affectet. Maiorem propositionem a contrario probat. 1) Si quis lingua non labitur, hic perfectus est vir. (Nam lingua lubricum est membrum et in quo omnes peccant.) 2) Linguam nemo domare potest (incoercibile enim malum est.) 3) Ergo nemo se debet ingerere officio docendi. Linguam ingens malum esse, aptis iam et commodis similitudinibus probat.

Ecce equis frena in ora immittimus, ut obediant nobis, et totum corpus illorum circumagimus. Ecce naves quoque quum tantae sint, et a ventis saevis agantur, circumaguntur a minimo gubernaculo, quocunque impetus dirigentis voluerit. Ita et lingua pusillum membrum est, et magna iactat. Ecce exiguus ignis quantam materiam incendit. Et lingua ignis est, mundus iniquitatis. Sic lingua constituitur in membris nostris, quae maculat totum corpus, et inflammat rotam nativitatis, et inflammatur a gehenna. Omnis enim natura et ferarum et volucrum, serpentiumque, et marinorum domatur, et domita est a natura humana. Linguam autem nullus hominum domare potest, incoercibile malum, plena mortifero veneno.

Sensus verborum planus est et cuivis facile obvius; quod ad verba attinet quaedam explicabimus. *Μεγαλαυχεῖσθαι*, aut *μεγαλαυχεῖν* (utraque enim voce enunciatur) inepte gloriari significat, et magna quaedam iactare, quod quidem lingua in primis fit. Sed potest et hic pro eo capi, quod hinc sequitur. *Μεγαλαυχεῖ* Late miscet exitium, et ingentes excitat tumultus, magna quaedam molitur, sed noxia. *Καὶ ἡ γλῶσσα τὸ πῦρ*, explicatio est similitudinis. *Ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας* Apparatus, instrumentum iniquitatis; ut *κόσμος γυναικεῖος*, instrumentum est quo se comunt et ornant mulieres. *Ἡ σπιλοῦσα ὅλον τὸ σῶμα*, Quae maculat totum corpus. Iterum corpus pro ipso homine, aut pro tota concione

et ecclesia, quae unum corpus est, aut pro tota actione et vita hominis. Sic et sequentia videntur intelligi, quum dicit: Inflammat rotam nativitatis, ut capiatur τροχὸς pro tota revolutione vitae humanae ab incunabulis ad extremam usque aetatem. Fortasse fuit aliquando τρόχος, penultima acuta, quod cursum significat (facilis enim accentus mutatio est) Cursum nativitatis, id est, totius vitae. Vita enim humana quid aliud est quam perpetuus quidam ad mortem cursus?

Per ipsam benedicimus deum et patrem, et per ipsam maledicimus hominibus qui ad similitudinem dei conditi sunt. Ex eodem ore procedit benedictio et maledictio. Non oportet fratres mei haec ita fieri. Nunquid fons ex eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam? Nunquid potest fratres mei ficus oleas gignere? aut vitis ficus? Sic nullus fons falsam ac dulcem potest edere aquam.

Superius in genere ostendit de lingua et quid efficiat, iam speciatim noxiae linguae mala recenset. Est autem pulchra antithesis quae sarcasmum habet. Neque enim eos hic taxat qui lingua deum et homines blasphemant, quum ii sint plane impii, sed eos qui titulo Christianorum gloriabantur, interim proximos convitiis et maledictis turpissime proscindentes. Quasi dicat: Christianorum lingua organum esse debet spiritus sancti, quo deum laudent, glorificent, et gratias agant. Quid convenit igitur ut hac ad contumeliam creatoris abutamini? An vero haec creatoris contumelia non est, si in hominem ad imaginem dei creatum maledicentiae virus evomas? Iam absurditatem hanc similitudinibus aliquot explicat ac probat, simul ab hac duplicitate ad simplicitatem adhortatur. Una quaeque res, inquit, ad unum aliquod facta et destinata est, quem ordinem universa servant; solus homo ordinem dei pervertit, quum ex oris spelaeo et bonum et malum promanat. Idem docet Paulus Ephes. 4. Omnis sermo spurcus ex ore vestro non procedat. *Εὐλογία*, hic manifeste pro gratiarum actione capitur, ut in Epist. ad Corinth. quum dicit: Poculum benedictionis, id est, gratiarum actionis. Observandum etiam quod linguae creaturae irrationalis tribuitur, quod animi proprium est; quandoquidem lingua animi index est; et ubi lingua vana est, apparet animum quoque esse vanum. Tribuitur inquam quod animi est linguae, ut causae proximae et nobis magis cognitae; sic salus fidei, et operibus iustificatio, peccatorum remissio apostolis, quum haec omnia solius dei sint.

Quis sapiens et scientia praeditus inter vos? ostendat ex bona conversatione opera sua cum mansuetudine sapientiae.

Mihi videtur τὶς σόφος positum esse ἀντὶ ἐι τὶς σόφος absque interrogatione; cui sequens ἐι δὲ ζῆλον per antithesim respondeat, et textus sit ordinandus in hunc modum:

Si quis sapiens et scientia praeditus est inter vos, is ostendat ex bona conversatione opera sua mansueta sapientia. Si vero aemulationem amaram habetis et contentionem in corde vestro, an non iactatis et mentimini contra veritatem?

Quasi dicat: Si quis vera sapientia et scientia est praeditus (nam hic redit ad propositum: taxaverat eos qui magistri et doctores esse, et per hoc prudentes, scientes et sapientes videri volebant, inter quos tamen erat zelus et contentio; interim per egressionem declaravit quantum sit malae linguae incommodum) ut certe sapientem ac intelligentem esse decet episcopum, et forte tales plures sunt inter vos, is ostendat suam sapientiam operibus bonis, conversatione honesta, et sapientia mansueta; puto enim ἐν πραΰτητι σοφίας Hebraismum esse: In mansuetudine sapientiae, pro: Cum, vel in, mansueta sapientia. In vobis, pro: inter vos. Qui ergo talis est, praeditus scilicet scientia vitae honestae, et qui omnibus benefaciat, is demum aptus est ad officium episcopatus, ut ceteris praeficiatur, et doceat ceteros. Quod si zelum habetis amarum et contentionem in cordibus vestris, an non manifestum fit, vos vanos esse iactatores sapientiae et frustra gloriari, imo contra veritatem mendaces? Ad mansuetudinem hortatur Iacobus, quae quum in hominibus omnibus pulchra sit, in doctore est pulcherrima. Plus enim promovet qui lenitate et comitate verborum ac morum pellicit, quam qui austeritate et ferocia terret. Hinc Paulus episcopum vult esse ἄμαχον, sed placidum erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem malos cum mansuetudine etc. Sed hic cavendum, ne (ut solent plerique) socordiam et ignaviam mansuetudinis vocabulo amiciamus, et quum maxime velimus videri mansueti, negligentes, ne dicam crudeles simus. Praepostera haec mansuetudo mater fuit multorum criminum. Pietas est maxima scelera punire, et insontes tueri. Aut deus crudelis dicendus erit, qui poenam sceleribus decernit, et malum e medio tollendum praecipit? Heli an non mansueta in filios correptione peccavit et punitus est? Saul non mansuetudinis laudem, sed inobedientiae notam, parcendo Agag retulit. Samuel et Pinehas pietatis laudem et iustitiae in scripturis habent, utcunque ferrum in dei contemptores stringunt. Tunc mansuetudine utendum ubi afflictae sunt conscientiae et desperabundae, ubi infirmitas peccat, ignorantia ac simplicitas. Sed sunt morbi quidam graviores, quam ut malagmatis curari possint; hic adhibebit (modo servet) medicus prudens ferrum, et si quid est acerbius. Sed hic clavum moderetur caritas, et tuta erunt omnia. Haec enim gloriam dei et salutem proximi quaerit in omnibus, nec unquam errare potest. Observandum hic quoque piis, ut quemadmodum deum omnium bonorum autorem, omnium creatorem agnoscunt, credunt, et confitentur, ita proximum dei creaturam agnoscant, cuius contumelia ad conditorem quoque pertineat. Nam haec diligenter perpensa, a maledicentia, convitiis, et detractione linguam facile servabunt.

Non enim ista est sapientia e supernis descendens, sed terrena, animalis, daemoniaca. Ubi enim aemulatio et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. Quae autem e supernis est sapientia, primum quidem casta est, deinde pacifica, modesta, tractabilis, plena misericordia, et fructibus bonis, absque diiudicatione, sine simulatione.

Causam superiorum reddit. Vultis videri sapientes, et tamen estis

contentiosi, quod certissimum est argumentum vos vere sapientes non esse. Nam ista sapientia qua vos praediti estis, amarulenta, et aemulatione plena, non e supernis est a patre luminum etc. Per antithesin autem utramque sapientiam graphice describit. *Ψυχικὴ*, animalis. Deducitur autem non ab animali, sed ab anima, quemadmodum in priori epistola ad Corinthios Paulus *ψυχικὸν σῶμα* dicit, animale corpus, quod spirituali opponit. Hoc vero animale dicitur, quod affectibus et corruptioni obnoxium est. Spirituale vero, quod sub imperium spiritus concessit, ab affectibus impuris et corporeis repurgatum. Quare mox in altera parte antithesis de sapientia coelesti subiungit *ἁγνὴ ἔστιν*, casta, pudica, sancta, pura, simplex et impermixta est, omnique sorde ac contagione terrena repurgata. *Δαιμονιώδης*. *Δαίμονις* vocabulum meson est, et in utraque significatione reperitur. Unde et *εὐδαίμονες* et *κακοδαίμονες* dicti. Hic ergo significat sapientiam terrenam, spiritu quidem inspiratam, aut e spiritu profectam esse; sed spiritu mundi, non Christi; perverso, non sancto. *Ἀδιάκριτος*. *Διακρίνομαι* significat disceptare et diiudicare; sed ultra hoc significat discedere, desciscere, et dirimi, quae significatio (ut ego quidem iudico) huc magis quadrat, ut sit sensus: Sapientia coelestis *εὐπειθὴς* quidem est, hoc est, tractabilis, morigera, et cui facile persuadetur, quae prompto animo obtemperat et paret, ut etiam in alios fructus bonos quibus plena est, redundet: sed simul *ἀδιάκριτος* est, quae ne unguem latum se a veritate abduci, nec in veritate dubium sibi facere patiatur. Egregia sententia et quasi epiphonemate claudit, dicens: Fructus iustitiae pace seritur. Hoc est, ut iustitia plantetur, et promoveatur, ac fructum ferat, opus est hominibus qui paci studeant; nam a contentiosis nihil unquam efficietur.

CAPUT IV.

Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc? Nimirum ex voluptatibus vestris, quae militant in membris vestris.

Quum in fine superioris cap. iustitiam dixisset pace seri, unde bella et lites nascantur apte iam indicat, nempe ex cupiditatibus carnis, quibus si se negarent obnoxios, argumento a repugnantibus adducto et per interrogationem formato vehementer urget et convincit. Neque deum scelerum suorum autorem ut faciant patitur (quod superius cavit) neque Christus hominum pectoribus contentionem insevit, sed pacem potius, concordiam, et caritatem. Restat ergo ut contentionum et dissidiorum seminaria sint cupiditates mundanae. Etenim hoc lites et contentiones serit, quod quisque cupiditatibus suis studet et servit, nemo iustitiae, aequitati, et veritati. In membris vestris, id est, in vobis ipsis, more Hebraico. Sic Paulus Rom. 7. Invenio aliam legem in membris meis, id est, in me ipso. Est autem metaphora a re militari sumpta. In castris dux et imperator est, quem fortitudine et prudentia ceteris omnibus praestare convenit, quem si milites in omnibus audiunt, recte habent omnia; quod si contempto ducis imperio quisque affectui suo obsequitur, diffluit exercitus et hostibus facile patet. In castris ecclesiae imperator Christus est, cuius voci dum obtemperamus, pax

et tranquillitas summa erit: Si vero affectus (quos duces satan mittet) sequi collibitum fuerit nobis, qui sacramento militari nos summo imperatori adstrinximus, dispersi et variis cupiditatibus distracti praedae erimus hosti, et auctoramentum peccati aeternam mortem capiemus. Quam turpe autem est eum se mancipium peccati facere, qui a Christo imperatore aeternae libertati donatus est? et a tam potenti magnifico et liberali hero ad tam turpem hostem desciscere?

Concupiscitis et non habetis; invidetis et aemulamini, et non potestis adipisci; pugnatis et bellatis, non habetis, propterea quod non postulatis. Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis, ut in voluptatibus vestris insumatis.

Multa simul vitia aggreditur, et totam phalangem subito prosternit. Primum vitiorum omnium radicem concupiscentiam petit, quae posteaquam animum incenderit, ut petat quae adipisci non potest, invidentiam et aemulationem parit. Hinc contentionum ac dissidiorum tumultus. Nam dum animus impense petit quae non assequitur, variis curis cruciatur et distrahitur, ut neque secum neque cum proximo pacem habeat. Porro quae maxime cupiunt, a deo non postulant, quasi suo Marte haec adipisci possent. Quod si postulant aliquando, tamen male postulant, nempe res frivolas et noxias, easque in impium usum, nempe ad explendas voluptates. Quo vero affectu quisque petat, ipso usu rerum manifestum fit. Latet enim mens hominis donec factis palam erumpat: Aegrotus postulat sanitatem, qua accepta peior fit quam fuerit antea; egenus opes petit, quas dum assequitur, magnificas aedes exstruit, corpori indulget, luxu diffluit, fastu turget. An non re ipsa discitur quo animo ille salutem hic divitias postulaverit? At benignissimus pater non tribuit nobis quae iuxta affectus petimus, sed quae vel ipsum dare, vel nos accipere decet. Quae igitur male petimus non accipimus, sed bono nostro id negari nobis fides docet.

Adulteri et adulterae nescitis quod amicitia mundi inimicitia est cum deo? Quicunque ergo voluerit amicus esse mundi, inimicus dei constituitur.

Qui superius docuit mansuetudine esse utendum, gravi admodum et aspera increpatione eos iam compellat, qui nomine Christiani, vita mundani erant. Ubi videmus mansuetudinem esse posse in corde utcunque aspera sit oratio. Quis Christo mansuetior, qui exemplum est mansuetudinis? Sed ille contra pharisaeos et hypocritas severa utitur oratione, quum dicit: Generatio prava et adultera, item: Vae vobis scribae et pharisaei. Sic Moses mansuetissimus vir duriter increpat Iudaeos. Sic Ioannes baptista. Sic Stephanus. Et illi interim caritate et mansuetudine non vocant, dum vulnus duriter attrectant et curare conantur. Adulterium more Hebraico pro ingenti et turpi a deo defectione, proque magna perfidia ponitur, ut videre est in omnibus prophetis. Oratio tamen allegorica naturam et caritatem dei erga eos explicat, quos sibi fide desponsat. Hinc saepe marito zelotypo sese assimilat, qui rivalem non admittit, solus vult amari et coli, idque ex toto corde super omnia. Deinde ecclesiae sponsum Christum esse,

quam sanguine suo lavit, Paulus docet et Ioannes Baptista. Qui ergo se mundo partiuntur, adulteros vocat, id est, ingratos, perfidos, et tanto amori parum respondentes. Hoc vero cordi altius inscribendum, quod deo et mundo nihil convenit, et quod mundi amatores dei hostes fiunt. Non enim magis fert Christus animam sibi desponsam cum mundo habere amicitiam, quam maritus ut uxor sua cum hoste adultero se iungat. Hoc idem docet Christus Matth. 6. Paulus Rom. 8. 2. Cor. 6. et Ioan. 1. Ioan. 2.

An putatis quod inaniter scriptura dicat: Ad invidiam concupiscit spiritus qui habitavit in nobis? Maiorem autem dat gratiam.

Haec verba (quod ego sciam) in scripturis discrete non ponuntur, possunt tamen, quod ad sensum attinet, ex scriptura eruta dici. Atque, ni fallor, invidia (ut zelus et aemulatio saepe) hic in bonam partem capitur, hoc sensu: Audistis nihil petendum esse quam ea quae sunt deo digna, nam si secus petantur non accipiuntur; at spiritus fidelis (ut testatur scriptura) ad invidiam usque petit, id est, sine intermissione, etiamsi aliquando non acceperit quae petierat. Nunquam cessat, sed instat ad fastidium usque, donec pervincat. Et quum tam iugiter spiritus ad deum zelo quodam ac pia contentione recurrat, maiorem dat gratiam. Etenim spiritus zelo ferventi in ea fertur quae ad gloriam dei faciunt, neque aliud petit (utcunque caro sua spectet et deo indigna petat) quae spiritus pertinacia, paulatim gratia augetur. Exercetur enim interim in hac pugna fides, carnis stultitia traducitur et reprimitur. Haec docet Paulus Rom. 8. Et Christus ad hanc pertinaciam ac importunitatem orationis in Luca adhortatur. Hoc tamen observandum, spiritum illic apud Paulum et in praesenti loco non pro spiritu sancto capi, sed pro hominis pii et Christiani spiritu, qui spiritu dei renatus et illustratus est. Cruciat enim et male habet internum et novum hominem, quod vetus et carnalis tam stulta, frivola, et noxia petit, et carnalia tantum concupiscit; hinc se sequestrum interponit, et ardenti zelo carnis stultitiam deprecatur, sola ea concupiscens quae ad gloriam dei faciunt, et secundum deum intercedit pro sanctis. Haec pro nostra parvitate in re tam obscura dicta sint, et iudicio christiani lectoris subiecta. Posset fortasse dici: Donec negatur orat, dum impetrat spiritus, et maiori gratia abit. Neque enim ad primum assultum praestat deus, sed contentionem et ardorem spiritus amat et gaudet perseverantia. Hoc certum est, quod Iacobus his verbis conatur zelum amarum et mundanum expellere, et inserere zelum dei; hoc est, eum zelum qui anxie ea urgeat quae sunt dei, non quae carnis, ut abnegatis et mortificatis omnibus affectibus carnis homo se deo dedat; hinc subiicit ac infert:

Subditi ergo estote deo; resistite autem diabolo et fugiet a vobis; appropinquate deo et appropinquabit vobis.

Summa igitur fide marito vestro adhaerescite, repellite adulterum diabolum principem huius mundi. Utrunque simul habere non potestis; si consentitis satanae, repellitis deum; si satanam repuleritis, habebitis

propitium deum. Non consentiendo, non obsequendo, sed repellendo hostis fugatur. Pulchra est autem verborum contentio et antithesis, metaphora tracta ab ea obedientia quam debent subditi suis principibus. Examinet quisque diligenter affectus suos, et insidias veteratoris observet, vigilet, nec fidat induciis. Curramus igitur in odore unguentorum dei, quibus nos trahit sponsus noster. Avocemus mentem a corporeis rebus ad aeternum illud bonum, quod se inserit pectoribus nostris per fidem. Quo magis mundum deserimus et fugimus, quo longius e nobis exierimus, hoc propius deo accedemus.

Emundate manus o peccatores, et purificate corda duplices animo.

Manus symbola sunt actionum. Est autem haec loquutio ex prophetis desumpta, qui sanguine plenas dicunt manus quum omnium scelerum commaculationem significant. Lavare manus, quum ab omni genere malefactorum praecipiunt abstinere, a fraude, vi, rapina, furto etc. Hinc Paulus puras manus levare monet in oratione et sceleribus expiatas. Deinde corda quoque fontem actionum purgare iubet eos qui utroque genu claudicant, hoc est, inconstantes et vanos, qui nullo certo proposito nituntur.

Affligimini, lugete et plorate, risus vester in luctum convertatur, et gaudium in moerorem.

Ad humilitatem et crucis tolerantiam hortatur, ne rebus praesentibus capti aeterna amittant; multos enim rerum prosperitas fallit et seducit. Afflicti et accisi gaudete, haerete et insistite honesto tuendo cum tolerantia, et pro gaudio ducite (quod supra quoque admonuit) pro Christo affligi. Vel divites et huius mundi praepotentes monet, ne nimis felicitati huius mundi fidant, sed potius luctui et lachrymis indulgeant. Melius enim est (ut inquit ille) ire ad domum luctus quam ad domum convivii. Qui praesentibus et laetis rebus haerent, amarum finem consequuntur.

Humiliamini in conspectu domini, et eriget vos.

Omnis enim qui sese humiliat exaltabitur. Satis est potens dominus, ut suos utcunque humiliatos erigat et gloriosos reddat.

Nolite detrahere vobis invicem fratres. Qui detrahit fratri, quique iudicat fratrem suum, detrahit legi et iudicat legem.

Detractio ut est vulgatissimum iam vitium, ita et sceleratissimum et venenum praesentissimum Christianae concordiae. Dominus dicit: Mihi vindictam et ego retribuam. Cui sententiae niti videtur Iacobus, quasi dicat: Tu non es deus, quid ergo sumis tibi iudicium? Nec tamen his qui iudicis officio funguntur iudicio interdicit, sed temerarium illud iudicium quod ex invidia et affectu proficiscitur, quemadmodum et Christus: Bis enim peccat qui iudicat, semel in proximum et conservum, deinde in legem quae hoc vetat. Data autem est lex ut eam servemus, non ut eam iudicemus.

Quod si iudicas legem, non es observator legis sed iudex. Unus est legislator, qui potest servare et perdere. Tu quis es qui iudicas alium?

Vetat ne quilibet e plebe iudicet, quum solius domini sit iudicium, et eorum quibus id demandat. Qui vere pii et iusti sunt, proximorum errata non iudicant, sed ferunt et emendant.

Age nunc qui dicitis: Hodie et cras eamus in hanc civitatem, et faciamus ibi annum unum et mercemur et lucrum faciamus, qui ignoratis quid futurum sit postero die. Quae est enim vita vestra? Vapor enim erit, qui ad exiguum tempus apparet, et deinde evanescit; pro eo quod dicere debueritis: Si dominus voluerit, et si vixerimus, faciamus hoc aut illud. Nunc autem exultatis in superbiis vestris. Omnis exultatio talis mala est.

Zelum adhuc carnis taxat, qui maximus est in divitibus; hi enim oblito, imo contempto deo, divitiis student, quibus coacervandis per fas et nefas grassantur. Pulchre autem et proprie animum tumentem et fastuosa ac magnifica divitum verba exprimit. Sed huiusmodi verba et cogitatus adimunt timorem dei, quo sublato omne malum progerminat. Verba scripturae spiritus sunt et vita; non ergo verba sola urget quae divites vaniter iactant aut ignaviter negligunt. Ne quis putet, quum quidam ex more in rationariis Iesu nomen signant, aut *χρεῶν ἀποκοπαὶ* nomen dei in fronte habent, rem bene esse actam; potius ostendit abesse timorem dei et adesse fastum et animum tumidum. Quid enim amat si foenerator in numero trigesimo honorificam dei mentionem faciat, dum interim foenore proximum premit et fraudat, aut paralogizat? Contra hos maxime pugnat hac epistola, qui hypocritae quum sint, multam in omnibus dei mentionem faciunt, et ex solis verbis Christiani videri volunt. Hoc vero agit ut divites dei timorem in corde habeant, nec hunc negotiatione sua offendant, nihil sibi tribuant, non a se, sed a deo potius pendeant etc. Per parenthesim de brevitate et vanitate vitae humanae interiicit.

Igitur qui noverit recte facere, nec facit, hic peccato tenetur.

Sententia est gravissima commode serviens proposito apostoli. Nam huc tendit eius doctrina, ut veros non fictos habeat Christianos. Spiritus divinus optima quaeque exprimit, idque assidue; qui hoc sunt praediti naturam eius referunt, qui secus faciunt ostendunt ipso facto se esse pessimos, utcunque se bonos simulent. Qui vident quid sit liquido in causa, quid sit aequum et iustum, ipsi tamen contrarium faciunt, deplorati sunt homines, quorum (proh dolor) magnus nostra tempestate proventus est; perfidi in cives, proditores in patriam et rempublicam, aequum et iustum pessundantes. Et hoc (si recte sapimus) magis dolendum quam temporalia damna vel maxima.

CAPUT V.

Agite nunc divites, plorate, ululantes super miseriis vestris, quae advenient vobis. Divitiae vestrae putrefactae sunt; vestimenta vestra tineis obnoxia facta sunt. Aurum et argentum vestrum aerugine vitiatum est, et aerugo eorum in testimonium vobis erit,

et exedet carnes vestras sicut ignis. Thesaurum congessistis in extremis diebus.

Ad divites redit, quos superius nonnihil perstrinxerat, in quorum vitia acerrime et valde prophetice invehitur. Neque enim pestis est nocentior quam philargyria et pleonexia. Taxat autem in primis eorum securitatem quod deliciis et voluptatibus carnis immersi imminentem calamitatem minime praevideant; simulque istorum insanum gaudium, quod mox gravissimus luctus sit excepturus. Porro impietatem eorum ac crudelitatem erga pauperes miris verbis exaggerat, ut etiam aeruginem pecuniarum, et vestimentorum tineas contra eos testes et tortores producat. Nec interim tacet quae poena immodicum illud gaudium; et inhumanitatem hanc tam feram sequutura sit, nempe aeterna calamitas, ira ac ultio dei inevitabilis. Nam haec verba: Thesaurum congessistis vobis in extremis diebus, videntur intelligenda esse de ira dei, quae ventura est super eos in novissimis diebus, quam sibi suo iumento advexerunt, quemadmodum et Paulus in eandem sententiam loquitur in epistola ad Romanos. Caro pro toto homine more Hebraeorum accipitur, quod caro est et propter carnem divitias corradit.

Add. Wer ſich nun das Wort Gottes nicht laßt lehren, den lehrt Gott mit der That, als mit Armuth, Elend, Mangel ꝛc. Wenn du Armer dem Muthwillen des Reichen willſt nachfolgen, ſo wird dir zweifalt gelohnet: du haſt nicht, wie der Reiche, dem Muthwillen genug zu thun; und ſo du mangelſt, mußt du dann erſt an der muthwilligen Reichen Gnade kommen.

Ecce merces operariorum qui messuerunt regiones vestras, quae fraude non reddita est a vobis, clamat, et clamores eorum qui messuerant in aures domini Zebaoth introierunt. In deliciis vixistis super terram, et lascivistis, enutriistis corda vestra ut in die mactationis. Condemnastis, et occidistis iustum, et non resistit vobis.

Magnum scelus est operis mercedem negare, differre, aut etiam eas fraudare. Hoc enim odit deus, vetat, et gravissime punit. Sic enim in Deuteronomio praecipit: Non negabis mercedem indigentis et pauperis. Et Hier. 22. Clamor pauperum et oppressorum utcunque ab hominibus iudicibus non audiatur, tamen in aures domini pervenit. Proinde veteres peccata vocarunt clamantia in coelum. Insolentiam divitum taxat et luxum, quod non solum proximis egentibus nihil largiantur, sed etiam residuum quasi pedibus conculcent. Hoc enim in more quidam habent, ut plus prodigant et luxu perdant, quam ad iustam necessitatem utantur alii. Per diem autem mactationis, diem festum intelligit; nam in festis pecudes mactabant propter publicas epulas. Hinc etiam epulari veteres pro festum agere dixerunt; ut est 1. Corinth. 5. Quotidie splendide vivunt et convivantur, ut alii solent festis diebus, es iſt jnen alltag hochzyt, wie die armen ioch mangel habind, allzyt faßnacht vnd kilchwyhe. Sed veniet tempus, cum pro insanis gaudiis et temporariis deliciis, aeternis cruciatibus sint puniendi. Postremo taxat eorum iniuriam et violentiam, qua in pauperes, qui

viribus impares erant nec resistere poterant, grassabantur. Magna immanitas est sanguinem innoxium fundere, et praesertim pauperum; quod scelus acerrime insectantur prophetae, Gen. 9. 4. Reg. 21. Ezech. 33. Non solum autem divitum fastum et crudelitatem taxat, sed et pauperes subobscure ad vitae frugalitatem invitat, ad quam omnes tandem vel ditissimi, velint nolint, descendere coguntur, nisi mori quam vivere malint, et non solum hic sed aeternum miseri esse velint. Turpe est et insanum frivolis et caducis rebus haerere et coelestia negligere, et delicias huius mundi praeferre coelorum regno. Sed non minus turpe est et insanum quod pauperes suae sortis pertaesi divitum delicias et fastum aemulantur. Non ergo divites solum taxat, sed et pauperes et mediocres admonet, ut sua sorte sint contenti, et intra cuticulam suam se contineant. Quandoquidem vero inter pauperes ob divitum insolentiam et crudelitatem non raro quiritatio et tumultus oriri solet, prudenter et caute ad tolerantiam pauperes exhortatur. Nam hoc fere fit, ut dum potentes huius mundi ob iniquitatem suam arguuntur, hi qui ab eis opprimuntur et vim patiuntur, cristas erigant, et se de eis ulcisci, imo bona divitum sibi vendicare gestiant. Sed quia nemo sui ipsius iudex esse debet, et domini est ultio, caverunt hoc semper prophetae et apostoli, ne dum divites taxantur, tenues tumultuarentur. Subiungit ergo:

Patientes igitur estote fratres usque ad adventum domini.

Apostrophe est ad inopes et vim passos, ut cum tolerantia iudicium domini exspectent, et ei causam suam committant, qui iuste iudicat. Sic Petrus exemplo Christi docet. Adventus autem domini non ultimum illum duntaxat significat in scripturis, sed quandocunque dominus venit liberaturus suos, puniturus impios. De die et adventu domini satis diximus in Esaia et aliis locis. Longanimis est deus et non mox punit peccantes, sed spatium dat resipiscendi; quod infirmitati carnis grave nimis videtur, si non mox puniuntur qui se affligunt. Ad tolerantiam ergo monendi sunt infirmi, ne imbecillitate carnis victi concidant et frangantur. Sic in epistola ad Hebr. 10. ex propheta Abakuc: Patientia vobis necessaria est, ut ubi voluntatem dei peregeritis, reportetis promissionem. Adhuc enim perpusillum temporis qui venturus est veniet et non tardabit. A praemiis autem et fructu exhortationem nectit, quare exemplum agricolae subiicit.

Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terrae, patienter exspectans illum, donec accipiat pluviam tempestivam et serotinam. Patientes ergo estote et vos, et confirmate corda vestra, quoniam adventus domini appropinquat.

Exemplis propositum probat ac confirmat. Oportet animum durare ac confirmare, nec abiicere clavum, utcunque non succedat pro nostro voto, utcunque conatum successus destituat; perseverantia opus coronat.

Nolite ingemiscere fratres alius adversus alium, ne condemnemini. Ecce iudex ante ianuam assistit.

Ab impatientia et murmuratione, metu imminentis iudicii deterret. Emphasin autem habet hic στενάζεσθαι, ex amaritudine et impatientia

ingemiscere et querulari, dum mala quae nobis accidunt plus aequo exaggeramus, neque modum servamus. Hinc zelus amarus et odium in eos qui nos offendunt, quo iudicium domini in nos provocamus. Si enim non remittimus, nec ipse remittet; et qua mensura mensi fuerimus, eadem et nobis remetietur.

Exemplum accipite fratres mei afflictionis et patientiae prophetas, qui loquuti sunt in nomine domini.

Exemplum prophetarum adducit, qui quum essent a deo missi, cuius negotium agebant, nihilominus mundo exosi persequutionem et afflictionem passi sunt; quid ergo mirum si nos peccatores variis afflictionibus vexamur?

Ecce beatos ducimus eos qui sustinent.

Videtur proverbii vice iactatum esse inter eos, Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam.

Sufferentiam Iob audistis, et finem domini novistis, quod valde misericors sit dominus ac commiserans.

Aliud affert exemplum, Iobis scilicet, cui dominus post longos et graves labores tranquillum ac laetum finem dedit. Non sinit nos tentari supra vires nostras, ostendit cum tentatione exitum.

Ante omnia autem fratres mei nolite iurare, neque per coelum, neque per terram, neque aliud quodcunque iusiurandum.

Locus hic Matthaei 5. est declaratus, quare hunc breviter perstringemus. Sed quoniam Catabaptistae infesti sunt ovibus Christi, et simplices praedicatores verbi ac pastores non semper in promptu habent quod eis respondeant, ex Elencho contra Catabaptistarum strophas huc afferant, quibus se adversus lupos istos pii pastores tueantur. Tollunt illi omne iuramentum, utentes Christi et Iacobi verbis: Nolite omnino iurare. Ostendemus ergo, neque Christi, neque Iacobi verbis iusiurandum vetitum esse, sed deierationem vanam et temerariam. Non probabimus hic iusiurandum posse praestare Christianum, sed erroris causam, qui putat praestandum non esse, ostendemus. Omnis autem erroris occasio hinc (ut mea quidem fert opinio) serpit, quod Christi sententiam Matthaei quinto non vident, imo ipsa rerum vocabula ignorant. Ea enim vox Germanica, Schweeren, (cui putant Graecam ἐπιορκεῖν, Latinam autem Iurare, esse similem) aliam significationem habet atque ipsi considerent. Quum enim Germanice dicimus: Der ſchweert, hoc est, iurat; incertum est an iusiurandum rogetur an deieret; ita patet significatio illius verbi ut utrunque sit aeque proprium. Latinus iurandi verbo in bonam partem semper utitur, nempe, pro sacramento rogandi. Sed deierandi verbo utuntur pro ea iuratione quae vel vero vel falso fit extra sacramenti rogationem, quod Germanice nova voce possemus Zuſchweeren vocare; ad quam significationem etymon Graeci verbi probe quadrat ἐπιορκεῖν. Habent itaque Latini tres voces: iurare, deierare, et peierare. Prima significat sacramento rogare; secunda temere ad quamvis rem sive vero, sive falso adiurare; tertia significat falso iurare. Vult ergo Christus Matthaei quinto non vetare quo minus iuremus, sed ne unquam deieremus. Hoc dum isti non vident, aut

videre nolunt, volentes ac videntes labuntur. Quod autem hic sit verborum Christi sensus, volumus verba ipsa expendere. Inquit ergo: Audistis quia dictum sit priscis: Ne ἐπιορκήσεις, id est, ne deieres. Ubi nostra interpretatio habet: Non periurabis; non adeo pessime. Peierandi enim verbum ut nunquam in bonam partem accipitur, sic non semper accipitur pro iusiurandum violare, transgredi, aut simulate praestare, sed nonnunquam pro deierare, quum deierare in malam partem accipitur (accipitur enim deierare nonnunquam in bonam partem, ut aliquando observavimus.) Quum ergo sic habent verba Christi: Non periurabis, dictum esse priscis, nusquam invenies apud Hebraeos hoc periurii interdictum, sed neque apud Graecos. At sic invenis Exod. 20: Non sumes nomen domini dei tui temere; ubi noster interpres dixit: In vanum. Secundo invenis Levit. 19: Non iurabitis in nomine meo ad mendacium; ubi Graecus sic est interpretatus, *ὀυκ ὀμεῖσθαι τῷ ὀνόματί μϑ ἐπ' ἀδίκω*, id est: Non iurabitis nomine meo ad iniquum aut falsum. Ubi Latinus sic est interpretatus: Non periurabis in nomine meo. Vides ut hic divus Hieronymus eleganter est periurandi verbo usus, pro falso deierandi, non pro iusiurandum non violandi. Fuit ergo priscis interdictum, ne temere nomen dei adsumerent, hoc est, quemadmodum Levitici dicto loco exponitur, ne mendacium deierarent. Nata est enim Iudaeis ex hoc intellectu haec opinio, quod si nomen dei adsumeretur ad verum, nihil officeret, etiam in familiari ac quotidiano sermone, sed ad rem levem, vanam, falsam, fictam, aut ementitam non liceret adiurare vel deierare. Hanc itaque opinionem hic revellit Christus, nempe, quod neque ad verum, neque ad falsum in familiari sermone deierare sui debeant, sed sic omnia vere tum loqui, tum agere, ut si quis dicat *ναὶ* vel etiam, proximus iam sic sit de eo persuasus, ut sciat verum esse quod alius dixit, si dicat: Non, contra sciat non esse. At de iureiurando hic prorsus nulla fit mentio. Sic enim habet: Audistis quia dictum est priscis; non periurabis. Ubi hoc dictum est? Ibi scilicet, ubi non agitur de periurio, sed de deierando sive deiurio. Ibi enim permittebatur, ut ad rem veram nomen dei tui adiurando vel deierando adsumeres. Sequitur: Sed reddes domino iuramenta tua. Quorsum hoc attinet? Si de iureiurando loquitur nunc, ubi ergo prior locus: Non periurabis, habetur in hunc sensum: Non falles iusiurandum? Confit ergo ut de eis deierationibus loquatur, quibus se quisque temere recipit aliquid facturum; quasi dicat per parenthesim (sunt enim domino reddenda quae iuraveris, recte scilicet aut iure) ut hoc pacto a deierando vel adiurando deterreat, quasi periculum sit dominum imputaturum etiam si temere recipias. Sequitur: Ego autem dico vobis, ne iuretis omnino. Ecce de qua iuratione loquitur? De ea nimirum quae priscis erat per legem permissa, quum liceret ad rem veram atque dignam deierare per nomen dei, quod scilicet neque ad rem veram et quantumvis magnam debeamus nostra, id est, privata autoritate adiurare, deierare, aut polliceri. Ubi iterum nulla fit iurisiurandi (quod publica autoritate rogamur) mentio. Quam sententiam, quae sequuntur firmiorem faciunt, cum ait: Neque per coelum neque per terram etc. Per haec enim exempla fit manifestum,

quod nullam iurisiurandi mentionem hic Christus facit. Quis enim Hebraeorum unquam per coelum, terram, Hierosolyma iuravit? Contra vero quis non deierat per ista? Alius pollicetur per crucem dei, alius per coelum et terram deierat. Haec ergo vetat Christus. Ad idem facit ipse totius sermonis colophon: Sit autem sermo vester talis, ut si dicatis Etiam, etiam sit; si dicatis: Non est, non sit. De sermone ergo loquitur, non de iureiurando; nihil enim attulit aut de foro, aut tribunali, aut magistratu, sed de sermone quotidiano, quo inter nos familiariter utimur. Haec ex elencho, quae si recte perspectis fontibus expensa fuerint, puto non extra sententiam Christi dicta esse. Sed ecclesiae sit iudicium. Iam si nostra expositio in Matthaeum recipitur, plana erunt quae hic dicit Iacobus, quum iisdem ferme utatur verbis, nisi quod Iacobus dicit, *μήτε ἄλλον τινὰ ὅρκον.* Ubi interpres dixit: Neque aliud quodcunque iusiurandum. Ex contextu autem et sententia verborum liquet quod iusiurandum hic non tam exacte pro rogatione iuramenti, quae iudici fit aut magistratui, sed pro deieratione aut simplici iuratione capitur. Quasi dicat: Jaa gar keinen ſchwur ſöllend jr thun, wie noch der ſye oder gſchähen möcht. Alias verba Iacobi planiora sunt quam ea quae in Matthaeo ponuntur. De simplici autem et quotidiano sermone, quem inter se habent homines, id dici, quid opus est admonere, quum id vel caecis sit obvium?

Sit autem vestrum est, est: non, non, ne in simulationem incidatis.

Quoniam turpissimum vitium est hypocrisis, acerrime hoc insectatur Iacobus, quemadmodum et Iob, quem tolerantiae exemplum hic adduxit. Qui aliud loquitur, aliud corde gerit, vehementer hypocrita sit oportet. Aut enim non credit esse deum, aut si credit, existimat eum esse caecum et non omnia videntem; quod si crederet, statim a scelere fugeret, ut pueri ad adventum ludimagistri solent. Omnes fere aut errore, aut hypocrisi defendunt; qui error et ipse est hypocrisis. Quidam enim ex contentione caeci et ignorantes esse volunt, atque hi hypocritae sunt; alia enim praetexunt quam alant intus.

Affligitur quis in vobis? oret. Aequo animo est aliquis? psallat.

In epilogo epistolae paraeneses quasdam habet, et eas utilissimas, ut ad utramque fortunam aequo et constanti simus animo, ne adversa deprimant, aut laeta insolentes reddant.

Infirmatur quis in vobis? accersat presbyteros ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine domini. Et obsecratio fidei salvum reddet laborantem, et eriget eum dominus; et si in peccatis fuerit, remittentur ei.

Orationi fidei impetrationem et salutem adscribit, non unctioni nec oleo, ut oleum Pontificiorum hinc patrocinium habere non possit. Apud istas gentes mos fuit oleo corpus ungere, quod et Christus discipulis praecipit. Et oleum ad multas infirmitates salubre est pharmacum. Nos certe olei seu unctionis nomine omne officium caritatis intelligimus quod infirmis impendi potest. De presbyteris alias dictum est; hi sunt

in ecclesia qui et autoritate et prudentia ceteros antecellunt, vitae sanctitate ac morum innocentia ceteris praeficiuntur. Oratio fidei, Hebraismus est, pro fidelis oratio.

Confitemini alter alteri lapsus suos, et orate pro vobis invicem, ut salvi sitis.

Et hunc locum ad auricularem confessionem detorquent Pontificii, ut nihil intactum relinquant. Sed vult ut infirmus erga eos quos laesit, ignorantiam suam et erratum ingenue fateatur, ac veniam petat. Nam hic locus omnino videtur adhuc intelligendus esse de laborantibus et infirmis, qui ad hoc officiose sunt admonendi, ut aut his qui se laeserunt remittant, et cum eis in gratiam redeant, aut ut ab aliis quos ipsi iniuria affecerunt veniam reatus impetrent, deinde mutuis se precibus iuvent.

Multum enim valet deprecatio iusti efficax.

Ἐνεργουμένη, quod assidue operatur, Das wirbt vnd häfftig anlyt. Non enim frigida debet esse oratio aut segnis, sed ardens et assidua. Iusti, id est, innocentis et fidelis, nam alias nemo est iustus. Sed qui ex fide innocentiae studet, iustus in scripturis dicitur.

Helias homo erat similiter obnoxius affectionibus ut nos, et precatione precatus est ne plueret; et non pluit super terram annos tres, et menses sex. Et rursum oravit, et coelum dedit pluviam, et terra produxit fructum suum.

Exemplo superiora confirmat, quantum scilicet oratio fidelis hominis apud deum possit et impetret. *Ὁμοιοπαθὴς* dicitur, qui eisdem affectibus est obnoxius. Hac voce utebantur Paulus et Barnabas in Actis, quum turbae eis ut diis sacrificare volebant.

Fratres, si quis erraverit inter vos a veritate, et converterit quis eum, sciat, quod qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvam faciet animam suam a morte et operiet multitudinem peccatorum.

Insigni doctrina veluti colophone epistolam absolvit. Cuius utinam observantes essent Pontificii, Magistri nostri, et haereticae pravitatis (si diis placet) inquisitores, qui sibi dissidentes, ne audire quidem dignantur, utcunque fidei suae rationem offerant, sed mox (nisi a veritate desciscant) aqua, ferro, laqueo, et igne perdunt. Quin et novi Papistae hac in re non leviter peccant, qui quum se evangelii praedicatores, imo autores iactitent, non ferunt si quis vel digitum latum ab eorum opinione discedat, infirmas conscientias terrent, laqueis suis animas irretiunt, et veluti tyranni magna insolentia in sorte Iesu Christi dominantur, non pastores iam gregis, sed lupos agentes. Praescribunt ecclesiis non dogmata dei, sed sua praecepta, quibus qui non subscribit, mox patria et rebus exuitur. Non ministri sunt ecclesiarum, sed domini, non iudicandos se, sed iudices constituunt. Caveamus optimi fratres, ab hoc tam pessimo vitio, meminerimus nos esse ministros et legatos Iesu Christi, in timore dei et humilitate legatione nostra fungamur,

nihil vi aut minis tentemus, sed mansuetudine et lenitate errantes revocemus, et in viam reducamus. Patiamur nos ignorantiae et erroris admoneri. Errare, ignorare, et labi omnibus agnatum est, et in multis offendimus omnes. Ne terreamus afflictas et desperabundas conscientias, ne et nos tentemur. Qui firmiores sunt, praebita manu infirmiores ducant et ferant. Qui docti et rerum divinarum sunt gnari, errantibus viam praemonstrent. Alter alterius onus ferre satagat. Excusemus aliorum errata, quantum per gloriam dei licet, et mutua caritate sic nos mutuo complectamur, ut unum simus inter nos et cum capite nostro Iesu Christo, cui laus sit, honor et gloria in saeculum Amen.

IN EPISTOLAM BEATI PAULI AD HEBRAEOS EXPOSITIO BREVIS

HULDRYCHI ZUINGLII.

Per Megandrum ab ore eius excepta et edita.

MEGANDER AD LECTOREM.

Quando non solum Epistolae praesentis, quantum teneo, intellectum, sed et fidei ac religionis meae sanctae initia et fundamenta Huldrycho Zuinglio, viro eruditionis, pietatis, constantiae incomparabilis praeceptori meo, tanquam organo ac instrumento dei fideli et sancto acceptum referam oportet. Placuit ad quorundam preces, quae in epistolam hanc ab ore eius quoque excepi quam potui brevibus edere, aliisque communicare. Supervacuum enim videbatur fusius ista tractare, quum omnia non solum copiose, sed pie, erudite, docte, Bullingeri fratris et symistae mei carissimi, editis commentariis reperiantur. Quod vero per Leonem quondam, ut reliqua omnia, edita non sunt, in causa est, quod per me solum excepta, et quod Leo nunc aliis magis arduis, nempe Bibliis Latine vertendis, occupatus est. Vale, et boni consulas, obsecro, laborem nostrum.

ARGUMENTUM.

Quum praedicatione evangelii, ceremoniae, legisque Mosaicae observationes omnes paulatim undique antiquarentur, Iudaei qui legis Mosaicae tenaces, etiam qui ex Mose Christo initiati iam erant, non modo moleste illud ferebant, sed et controversiam, negotiumque illis peperit non modicum, aut vulgare. Quo ergo ista, ac ceremoniarum affectum nimium e nutantium animis refelleret, et eximeret, hanc scribit Paulus epistolam. Qua docet omnia ista figuram fuisse, et typum Christi, Christumque harum rerum finem et consummationem esse. Atque ita nos hodie aliud habere templum, coelum scilicet, alia purificantia, alium sacerdotem, et sacrificium, videlicet Christum; quem probat verum dei esse filium, et deum ipsum ab aeterno exstitisse. Ne quem aspernentur, sed recipiant, sollicite monet, quantoque malo et periculo contemnant, manifeste indicat. Omnia veteris testamenti, typum et figuram fuisse novi, ut supra dictum est, commonstrat. In quo Christus, unica oblatione suae mortis mundi peccata expiavit; fideque ad ipsum accedentes, perpetuo sanctificans, et perficiens, in coeleste deducit tabernaculum. Multus etiam est in fidei Christi, et patientiae adhortatione, et hoc multis et aptis facit exemplis. Postremo suo more, paraeneses morum, et admonitiones annectit validissimas.

CAPUT PRIMUM.

Capitis summa. Quorundam errorem parum recte et sincere de Christo sentientium, refutat, ostenditque Christum non prophetam, aut angelum, sed verum dei filium esse, omnibusque excellentiorem creaturis, idque argumentis validissimis.

Deus olim extremis hisce diebus.) A temporis, personaeque circumstantiis orditur, ostendens deum temporibus praeteritis suam voluntatem multifariam multisque modis generi humano revelasse, at postremis hisce diebus non amplius vel per prophetas, vel angelum, sed proprium filium suum hominibus locutum esse. Atque ita collatione a minore, dei erga nos bonitatem praedicat, commodeque ad institutum suum accedit.

Quem constituit haeredem.) Periphrasis esse videtur veri, naturalisque filii dei. Naturalis enim filius haeres est relictae tum sortis, tumque substantiae paternae. Similitudine non usquam adeo inepta ab haeredibus humanis desumpta, Christo a patre, tanquam naturali filio dei, omnia esse subdita; quae ad humanam eius naturam referenda esse censemus. Quanquam etiam nihil periculi fuerit, si ad divinam referas Christi naturam; non obstat aut impedit verbum Constituit, quo minus ab aeterno, deoque patri aequalis fuerit.

Per quem saecula condidit.) Ad divinam naturam ista referenda esse, manifestum est. Deus enim est, qui creavit ac condidit omnia, quemadmodum scriptum est. Primo itaque a rerum cunctarum creatione, atque adeo a causis argumento sumpto, Christum verum dei filium esse comprobat, aequalemque patri, allusione ad mores hominum pereleganti commonstrat.

Splendor gloriae.) Per incrementum idem dicere videtur: Splendorem appellans gloriae, hoc est, lumen illud inaccessibile, de quo apud prophetam. Et cum constat, deum esse gloriosum lumen, imo ipsissimam vitam, et gloriam, sequitur filium a patre ab aeterno genitum inseparabiliter gloriae splendorem, hoc est, deum ipsum et vere esse, et appellari.

Et expressa imago substantiae.) Per splendorem gloriae quid intelligat, hisce verbis latius explicat. Nempe, non imaginem et characterem repraesentativam illius dei, sed substantialem ac essentialem, atque ita aequalem patri. Neque ullam dissimilitudinem inter deum, et filium eius esse demonstrat, idque metaphora a solis radiis ac splendore sumpta. Quemadmodum enim splendor, ac radius non ex se, sed a sole est, nec a sole etiam separatur; ita Christus filius dei, non a se ipso sed a patre est, a quo nec etiam separatur.

Moderaturque omnia.) Quae hactenus de Christo filio dei dixit, apertiora iam facere videtur Paulus. Non solum, inquit, omnia condidit et creavit, sed et creata omnia regit, gubernat, et moderatur etiam. Atque ita quicquid rerum est in orbe, autoritate et potentia Christi regi, gubernari, administrari ac conservari dicit; quae de natura potiore intelligenda putamus.

Per semetipsum purgatione facta.) Contra, haec ad humanam

Christi naturam referenda esse censemus. Caro enim Christi a verbo assumpta, eique indissolubili societate unita, in cruce mortua est sola, sacrificataque pro peccatis nostris perlitavit, et divinae iustitiae satisfecit, quam in hoc assumpserat, ut sacrificium fieret suave olens pro totius mundi peccatis. Neque enim deitas mori, aut ullius, nisi verbi caro, peccatum expiare potuit. Christus ergo verus deus, et simul verus homo, hic a Paulo dicitur veram purgationem in sese perfecisse, hoc est, per carnem suam. Hisce verbis Christi naturas non separamus, sed proprietatem utriusque naturae in Christo ostendimus. Licet enim naturae in Christo sine blasphemia separari non possint, distingui tamen debet utriusque naturae proprietas et operatio. Hoc antidotum hic praemittere volui, ut in sequentibus quando utrique sua tribuero, nemo mihi calumniam struat, aut perperam me de Christo vero deo et homine sentire cavilletur.

Consedit in dextera.) Hoc est, peccatis mundi per mortem suam expiatis, ad coelos, et aethera sublatus, iam sedet in dextera maiestatis, hoc est, beatorum sede quieta, et gloriosa, non hinc, nisi extremo iudicii die, ad iudicandum mundum rediturus. Interim tamen nobiscum, divina sua virtute et potentia, qua (ut supra dictum est) regit, et conservat omnia. Nihil igitur substantiale aut carnale de praesentia eius in coena fidelium, somniandum et fingendum est.

Tanto praestantior angelis.) Argumentum a nomenclatura, hoc est, denominatione et appellatione sumpto, non modo angelis, imo omnibus creaturis eminentiorem et excellentiorem comprobat esse Christum, idque scripturae testimoniis, dicens:

Filius meus es tu, ego hodie genui te.) Quasi dicat: Ex hisce scripturae locis, sine labore colligi luceque clarius fidei cultoribus conspici poterit, Christus quis sit, et quo pacto non modo prophetis, sed et angelis excellentiorem. Nec aeternitati Christi quicquam derogat, quod dicitur: Hodie genitus. Deo enim summo et infinito bono praesentia omnia, et coram cum sint, nullum tempus adeo et convenit et quadrat, atque praesens. Quare cum de se ipse loquitur, non alio sed praesente utitur tempore. Quemadmodum Exodi cap. 3. videre est. Ego sum, inquit, qui sum. Ita et hoc loci, per verbum praesens de Christo, qui idem aeternus atque pater, loquitur Psalmista.

Virga regni tui.) A causa finali, atque adeo ab officio eius ratione sumpta, divinitatem, et aeternitatem demonstrat Christi, per hoc quod dicit:

Dilexisti iustitiam.) Per rectitudinis ac regni virgam, quid intelligat exponit. Nempe regnum eius iustum esse, sanctum, et aequum, ita ut non modo iustificet, ac sanctificet sibi credentes, sed iusti, sancti, aequi quoque studiosos reddit. Quotquot igitur de regno Christi sunt, iusti et sancti sint oportet.

Propterea unxit te deus.) Hoc est, regem constituit. Ungebantur olim reges in capite, quo significabatur caput esse populi. Brachiorum vero unctio, defensorem esse plebis designabat. Ita Christus dicitur unctus domini, quo caput, fulcimentum, et defensor esset omnium credentium. Hanc ob rem, et dominus noster dicitur.

Et tu ab initio domine.) Videtur a diuturnitate temporisque perpetuitate ratione sumpta idem probare. Nempe, Christum verum deum, deique filium; omnia enim praeteritura, ipse vero idem permansurus, 2. Pet. 3.

Nonne omnes sunt administratorii spiritus, qui.) Definiens officium angelorum, docet Christum longe praestantiorem esse angelis, atque adeo omnibus creaturis. Docebis hoc loco angelorum esse officium, consolari eos qui salutis haeredes futuri sunt, quemadmodum et Matth. quoque cap. 18. videre est.

CAPUT II.

Summa et status capitis huius secundi trifarius est. Primo ponit epilogum et collectionem superiorum. Deinde pluribus scripturae testimoniis diligenter citatis, Christum iuxta humanam naturam docet angelis et excellentiorem et inferiorem esse. Postremo causam reddit suae incarnationis et descensus e coelis ad nos, et cur hominis potius quam angeli naturam assumpserit.

Propterea oportet.) Ac si dicat: Quandoquidem deus tandem per filium suum nobis locutus est, oportet igitur attentius audire, quae per illum nobis dicta sunt.

Ne quando perfluamus.) Hoc est, ne excidant nobis, quae per illum pater nobis denunciavit. Ducta metaphora a vasis futilibus, rimosis ac perforatis, hac atque illac perfluentibus, quae nil infusi liquoris continent, sed omnia exstillant. Monet itaque auditores verbi dei ut intento sint animo, ne quae Christi sunt, tardo corde, ac ingenio oblivioso excipiant, receptaque proiiciant diffundantque.

Etenim si is.) Comparatione a minori ducta, quanto malo, quantoque periculo Christi praedicationem reiiciant, indicat. Ac si dicat: Si pondus et autoritatem habet, quicquid deus hactenus maioribus nostris, vel per prophetas, vel angelos denunciavit, contemptoresque verbi illius semper dignas dedisse poenas, supplicia quomodo nos effugiemus?

Si tantam salutem neglexerimus.) Bene addidit Salutem. Hanc enim habet emphasim, non terram nobis, et terrena solum Christi praedicationem promittere, sed salutem, hoc est, mortis interitum, peccati abolitionem, et a diaboli tyrannide manumissionem, vitamque aeternam. Nunc quibus praedicatio Christi vera reddatur, argumenta enumerat, dicens:

Quae cum initio quidem coepit enarrari per ipsum.) Primum argumentum, quod fidem facit, hoc est, quod verbum Christi et praedicationem eius veram esse docet, a Christi persona sumptum est. Per ipsum enim dominum nostrum Christum Iesum, qui non modo ecclesiastes et praeco fuit salutis aeternae, sed autor quoque, primum denunciatam esse dicit salutem.

Confirmatam in nos ab iis.) Hoc est, ab apostolis, qui ab initio omnia praesentes et viderunt et audierunt, quemadmodum scriptum est. Atque ita argumentum secundum, quod fidem facit et Christi verbis et praedicationi, a persona apostolorum accepisse constat.

Attestante deo.) Tertium ab ipso deo capitur. Docet enim deum quoque testatum esse Christi praedicationem veram, idque comprobasse signis, miraculis et prodigiis, iuxta quod unicuique spiritus sanctus partitus est. Divisiones enim operationum sunt, sed idem est deus, efficiens omnia in omnibus. Huc facit quod Marci ultimo ad finem scribitur. Perpaucis itaque usum ac finem signorum hoc loco indicat Paulus, nempe divinae virtutis et potentiae testimonia esse.

Non enim angelis.) Altera pars capitis haec esse videtur, qua scripturae testimoniis, veluti clypeo, munit Christi excellentiam, qua praestat angelis; cuius rei paulo superius cap. 1. meminisse coeperat; statimque subiicit qua parte inferior etiam habeatur. Quae autem hic disserit, de humana eius natura potissimum intelligenda sunt.

Quid est homo quod.) Haec tametsi de communi omnium mortalium humanitate, hoc est, omnibus hominibus dicta sint, proprie tamen apostolus aptat humanitati Christi. Plerique enim Psalmi Christo aptantur, idque per ἀναγωγήν, ut in primis hic 8. Per ἐρώτημαν autem, et acrem orationis vehementiam, spiritus sanctus urget Christi extenuationem, quem tamen actutum, sineque dilatione rursus amplificat, dum gloria et honore coronatum, omniaque sub pedibus eius subiecta esse asserit.

Nihil omisit illi non subiectum.) Nunc Christum ut diximus extollit, exponensque Psalmi versiculum, maiorem angelis probat. Ac si diceret: Si per omnium subiectionem deus nil omisit, quin Christo substraverit, et angelos quoque subiecisse illius pedibus constat, atque adeo manifestum est, eum angelis superiorem esse.

At nondum videmus.) Diceret quispiam: Qui fit, ut illi omnia subiecta esse dicantur, quando plures illi resistunt, et maxime impii, qui omni spurcitia vitae, cordeque obstinato Christi verbum proscribunt?

Eum vero qui pusillum.) Respondet iam prophetae vaticinium partim esse perfectum, partim vero in futuro saeculo esse perficiendum. Docetque praeterea quomodo inferior angelis, propter cruciatum mortis dicatur. Angeli enim neque morti neque dolori obnoxii sunt. Excellentiorem vero illis, quando explanat prophetae verba dicentis: Gloria et honore coronatum. Quod nemo non videt impletum, post resurrectionem enim a mortuis migrat in coelestia. Huc facit quod Ephes. cap. 1. dicitur: Et sedere fecit ad dexteram suam, in coelestibus, supra omnem principatum.

Ut per gratiam dei.) Tertia pars capitis nobis haec esse videtur, qua docet apostolus incarnationis Christi et descensus ad nos causam hanc esse, ut nos in fratres adoptans, a diaboli servitute, et omnium malorum iactura ac periculo liberaret. Quod autem dicit: Per gratiam, docet non delicto, suoque peccato, sed propter nos, nostraque peccata mortuum, idque ex gratia, quemadmodum ipse testatur Ioan. 3. Rom. 5. Ephes. 2. idem Paulus.

Principem perfectum redderet.) Hoc est, ut absolutam expiationem credentibus filiis (quos infra fratres appellat) per afflictionem Christique mortem ad plenum adornans perficeret. Huc facit quod

infra cap. 5. dicit: Perfectus redditus etc. quod praesentis loci explicatio est.

Qui sanctificat.) Causam nunc reddere videtur cur verbum caro factum sit. Ideo, inquit, humanum corpus assumpsit, quo homo homines purificaret. Est enim Christus homo, ex uno eodemque patre Adamo, sive homine (tametsi ratione diversa) natus, de quo et nos homines, pro quibus mortuus et perlitatus est. Quod vides hic attributum humanitati Christi, nempe sanctificare, nosque mundos reddere, non de sola ut pura humanitate eius intelligendum est, sed toto Christo, quemadmodum supra dictum.

Quam ob causam non erubescit fratres illos vocare, dicens.) Ac si dicat: Quod ex uno parente nobiscum esse constat, ac iuxta carnem participat, nosque sanctificat Christus, facit, quod fraternitate illi devincti sumus. Ostendit itaque fructum adventus ac incarnationis ad nos Christi. Nempe ideo homo factus ad nos venit, ut fratres nos constituens, in regnum paternum cohaeredes nos assereret. Hoc efficit ut nequeat oblivisci fratrum suorum, neque fratres suos appellare nos erubescit.

Commercium habent.) Id est, revera caro et sanguis, verique homines sunt. Est enim periphrasis, ac si dicat: Ipse quoque Christus, ut particeps eorundem fieret, homo factus est. Atque ita causam reddit, quare maluerit humanam assumere naturam, quam angelicam; ut (inquam) per omnia fratribus, id est nobis, similis esset, fiduciamque ac spem facilem faceret promissae veniae. Excutiant hunc obsecro locum, qui Christo hodie fingunt nescio quam carnem e coelo coelestem, spiritualem ac deificatam, et id genus vana et frivola alia de praesentia Christi substantiali et corporea in coena fidelium somniant et oggannuunt.

CAPUT III.

Summa vel status capitis huius tertii. Posteaquam docuit Christum humana quoque natura angelis excellentiorem esse, atque adeo novum testamentum praestare veteri, Christumque maiorem legali pontifice, nunc quanto eius pontificatus Mose ministerio praestantior, tanto magis doctrinam eius amplectendam, monet.

Unde fratres sancti.) Non inelegans benevolentiae captatio. Nam quo aures praebeant faciles, blande eos, verbisque plausibilibus alloquitur, appellans fratres sanctos, vocationis coelestis, id est, vitae aeternae participes.

Considerate apostolum et pontificem confessionis nostrae.) Id est, fidei et religionis; quam ut aguoscant et recipiant, illatione adhortatur. Quod vero hic confessionem dicit, sub finem capitis initium substantiae appellat, hoc est fidem, per quam subsistimus, ac salvi futuri sumus.

Tanto namque maiore gloria etc. Omnis enim domus.) Simile, aut potius allegoria ab aedificio et aedificatore sumpta. Christum quem supra maiorem angelis, solidis probavit scripturis, nunc quoque excellere Mosen, ac eius ministerium perinde Mosaico dignius esse convincit.

Subindicat enim non hominem solum, sed deum quoque esse, mundique creatorem. Atque hac ratione, Christum prae omnibus angelis ac hominibus, imo prae omnibus creaturis amplectendum esse asserit.

Et Moses quidem fidelis fuit in tota domo illius, velut minister in testimonium etc.) Argumentum ab umbra ad umbratum, vel efficiente ad effectum esse putamus. Omnia enim sub Mose facta, typus et figura erant rerum in Christo implendarum. Antithesi itaque dilucida exponit probatque, uter praestet inter Mosen et Christum, tametsi Moses fidelis exstiterit *οἰκόνομος*, solus tamen minister, qui variis testimoniis praeludens, in umbra futuram significavit veritatem. At Christus diu adumbratus, tandem adveniens, non modo minister, sed etiam ut filius, ut magister, ut dominus, quemadmodum inquit ipse: Vocatis me magistrum et dominum, et bene dicitis, sum etenim; imo etiam ut deus exhibuit gratiam et veritatem figuratam.

Cuius domus sumus nos etc. sicut dicit spiritus etc.) Quum hactenus Christi magnificentiam copiose declararit, nosque vivas domos dei, in quibus debeat fides et spes esse reposita, nunc ab autoritate scripturaeque confirmatione infert, idque longo vel hyperbato, vel emphasi, qua docet nihil prodesse doctrinam Christi audisse, nisi usque in finem constanter perseveremus.

Videte fratres ne quando sit in ullo etc.) Applicat scripturae testimonium suo instituto, atque ab incredulitate, peccatorum omnium radice, dehortans, ad quotidianam mutuamque exhortationem monet.

Nam quidam cum audissent, exacerbaverunt. At non omnes qui profecti etc.) Anthypophora est. Diceret forte quispiam: Num omnes qui duce Mose egressi sunt ex Aegypto terram hanc non ingressi sunt? Respondet Paulus dicitque: Non omnes, sed qui non obedierant. Huc facit, quod Christus Marci ultimo dicit: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur.

CAPUT IV.

Status. Post longum hyperbaton D. Paulus iam non solum docet in quem finem citato scripturae testimonio usus sit, imo typum et figuram terrae promissae (id quod David requiem dixerat) latius explicat, probatque firmissimis argumentis, terram sanctam typum fuisse illius requiei coelestis.

Metuamus igitur, ne quando derelicta promissione introeundi in requiem eius videatur aliquis ex vobis fuisse frustratus.) Illatio est. Ac si dicat: Quandoquidem nobis promissio facta est, tum etiam denunciatus longe felicioris requiei locus, nempe coelestis, spectandum ne increduli voci nobis haec promittenti ac denuncianti simus, atque frustrati (veluti priores illi patres) excludamur.

Etenim nobis annunciatum est quemadmodum et illis.) Occupatio est. Diceret aliquis: Quando nobis denunciata est haec requies? Respondet Paulus, et dicit: Nobis quoque annunciatam hanc requiem per alium, et multo certiorem legatum, atque illis, nempe Christum. Huc enim status priorum capitum attinet, quod deus videlicet

nobis locutus sit per Christum. Atque ideo ubivis monet, doctrinam eius in pretio habendam esse, et a nemine aspernandam.

At non profuit illis audisse sermonem quod is non esset cum fide coniunctus iis qui audierant.) Hoc est, ut incredulis patribus non profuit audisse sermonem, ita proderit nobis si crediderimus. Argumento itaque a contrario, credulos affirmat indubie ingressuros hanc requiem, id est, vitam aeternam.

Introimus enim in requiem nos qui credidimus, quemadmodum dixit: Sic iuravi in ira mea, si ingressuri sint in requiem meam, licet operibus a iactis fundamentis mundi perfectis.) Nunc probare certis argumentis terram hanc sanctam, et requiem promissam, typum figuramque exstitisse requiei illius spiritalis et coelestis videtur. Primum itaque argumentum sumptum est a longinquitate temporis. Nam a condito mundo coelestis illa requies (ad quam elegit nos antequam iacerentur fundamenta mundi, testante in Ephesiis Paulo) credentibus apparata fuit. Atque ita particula *καί τοι* Licet, hoc loco causalis esse dicitur, ita ut pro Sane, sive Equidem capiatur. Nam a perfectis mundi fundamentis, deus mentionem et memoriam huius requici fecit, idque primum illo dicto vetustissimo, quod Moses scripsit: Requievit deus die septimo ab omnibus operibus. Deinde rursus alio (quamvis viciniore) tempore per Davidem, qui inquit: Si introibunt in requiem meam.

Posteaquam igitur illud reliquum est, aliquos introire in eam, et quibus prius annunciatum fuit non introierunt propter incredulitatem.) Epilogus est iam dicti argumenti, quo pulchre concludit, certumque facit de quo die David locutus sit.

Rursum quendam praefinit diem Hodie in David dicens, post tantum temporis, quemadmodum prius dictum est.) Argumentum est a pronunciatis. Scripturae enim testimonio Davidico probat requiem, et sabbatismum populo dei, per terram promissam significatum, ac relictum esse. Huc enim facit confirmatio Pauli quam subiicit his verbis: Nam si eis Iosua etc.

Itaque relinquitur sabbatismus populo dei.) Epilogus esse videtur universalis totius confirmationis, quo infert, aliam esse requiem ab illa quae data est in Palaestina, nempe coelestem in regno coelorum.

Nam qui ingressus est in requiem illius, et ipse requievit ab operibus suis quemadmodum a suis deus.) Nunc docet quanto praestet ac superet illa coelestis requies eam quae terrena temporalisque fuerat. Quisquis enim coelestem hanc ingressus fuerit requiem, non modo depositis laboribus, sed etiam ab omni opere liber ac solutus conquiescet.

Siudeamus igitur ingredi in illam requiem, ne quis eodem concidat incredulitatis exemplo.) Vehemens adhortatio est, qua redit ad illationem, admonens ac adhortans ut non resistamus aut respectemus, patrum damno, exemplo, periculoque edocti, sed feliciter pergentes ad requiem hanc veram properemus.

Vivus est enim sermo dei, et efficax, et penetrantior quovis gladio utrinque incidente, et pertingens usque ad divisionem

animae etc. nec est ulla creatura etc.) Hac confirmatione probat, non leviorem poenam nos manere quam priscos patres illos, si increduli fuerimus. Estque hyperbaton, imo amplificatio divinae potentiae ultionisque a circumstantiis. Quasi dicat: Ut illis requies haec temporalis ob incredulitatem non contigit; ita nec nobis etiam quantumvis fidem in speciem simulantibus, aditus coelestis patriae concedetur. Nec enim ulla creaturarum est, quae deo imponat.

Habentes igitur pontificem magnum, qui penetravit coelos, Iesum filium dei, teneamus professionem.) Ad descriptionem redit summi pontificis, de quo ad finem capitis secundi, et sub initium capitis tertii, loqui coeperat, explicatque veteris pontificii umbras, et per epilogum docet magis amplectendam Christi doctrinam, propterea quod per eum certum aditum habeamus ad thronum gratiae; id quod probat collatione pontificatus veteris testamenti, comparationeque eminentiae.

Non enim habemus pontificem qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum per omnia iuxta similitudinem absque peccato.) Diceret quis: Pontifex noster coelos ascendit, illic iam delectatur atque fruitur gloria, nostri non recordatur, neque sensu imbecillitatis nostrae angitur. Ad tacitam huiusmodi obiectionem respondet Paulus, atque dicit: Mimime. Non enim habemus pontificem, qui non possit etc.

Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiae, ut consequamur misericordiam et gratiam inveniamus etc.) Ad thronum, inquit, quo securi simus, pontificem nostrum potentem esse, posseque praestare id propter quod supplicatum venimus. Solium vero gratiae appellat, ne a maiestate deterriti resiliamus, desperantes de auxilio. Et sic non ineleganter Christum opponit severitati legis in monte datae, quo ostendatur Christus ad iuvandum paratissimus, idque non semel, sed quoties res postularit.

CAPUT V.

Summa. Confirmat nunc ac probat hoc quod dixerat, Christum huiusmodi esse pontificem, qui compatiatur nostris infirmitatibus, ac per quem nobis aditus pateat ad thronum gratiae, idque comparatione eminentiae. Perelegans παρασκευὴ est ad sequentia, quae dicturus est.

Nam omnis pontifex qui ex hominibus assumitur, pro hominibus constituitur, in his quae apud deum aguntur, ut offerat etc.) Mirifice, argumento a definitione assumpto, docet omnes conditiones veri pontificis, idque tam breviter ut vix alias. Prima est, ut non ingerat se in pontificatum, nisi vocatus. Secunda, placabilis ac compatiens esse debet, quique tangatur sensu nostrae imbecillitatis. Tertia, ut offerat ac intercedat pro peccatis populi. Probat haec etiamnum esse omnia in Christo nostro pontifice summo.

Quandoquidem et ipse circumdatus est infirmitate.) Docet in quibus nobiscum communicet summus pontifex, in quibus vero excellat. Est enim comparatio ab eminentia, atque adeo similitudo in qua aliquid dissimile est. In hoc enim inaequalis fuit Christus pontificibus veteris

testamenti, quod expiatione opus non habuit, ut infra capite septimo sub finem latius explicat.

Ita et Christus non semetipsum glorificavit ut fieret pontifex, sed is qui dixerat: Filius meus etc. Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec.) Applicatio est similitudinis et comparationis primae conditionis. Docet enim Christum se non ultro ingessisse in pontificatum, sed a deo ad hoc esse electum, et hoc probat scripturae testimoniis.

Qui in diebus carnis suae, cum et precationes et supplicationes apud illum, qui poterat ipsum a morte servare, cum clamore valido et lachrymis etc.) Aptat conditioni secundae Christi pontificatum, probatque compatientem, hoc est nostri miserentem, ac aequo animo nostras infirmitates ferente, imo qui maxime sensu tangatur nostrae imbecillitatis. Omnes enim ignominias, tum labores ad mortem usque nostri causa subiit. Est autem non inelegans descriptio per hyperbaton omnium molestiarum quas pro nobis Christus perpessus est.

Ac perfectus redditus omnibus qui sibi obedierunt, fuit causa salutis etc.) Nunc conditioni tertiae respondet. Indicat enim Christum, tum pro nobis orasse, tum et obtulisse; sed aliter atque pontifices veteris testamenti, nimirum perfecta consummataque oblatione. Quod vero ipse perfectus dicitur factus, ne aestimemus Christo quippiam defuisse, quo sui ratione etiam quippiam litarit; sed quoniam ipse pro nobis oblatus, sacrificium nostrum factus est, quo nos perficit. Nos, inquam, qui fideles sumus. Quod exponens declarat hisce verbis, cum dicit: Omnibus qui sibi obediunt.

Cognominatus a deo pontifex etc.) Ideo, inquam, quemadmodum praedictum est olim, cognominatus, id est, factus est sacerdos secundum ordinem Melchisedec. Probat autem Christi pontificium multis saeculis antea provisum.

De quo nobis multa forent dicenda eaque difficilia explicatu, quandoquidem segnes etc.) Digressio est, qua increpat socordiam et segnitiem Hebraeorum.

CAPUT VI.

Summa. Docet Hebraeos hoc capite Paulus, ne perpetuo primordiali Catechismo rerum Christianarum veluti Isagogico immorentur, sed promoveant ad absolutiora. Et quam damnabile et exitiosum sit, a semel suscepto Christo desciscere, per agri similitudinem commonstrat. Et ne in se dictum hoc autumarent, correctione id demulcet, simul adhortans ad perseverantiam, propter certam et indubitatam spem vitae aeternae, quam deus praescito roboravit iuramento.

Quapropter omisso, qui in Christo rudes inchoat, sermone etc.) Redit a digressione, vel (ut quibusdam placet) perstat in digressione, quam amplificat per expolitionem, hoc est, idem aliis verbis dicit, docensque quae sint elementa initii eloquiorum dei, nempe, rursum.

Fundamentum iacientes poenitentiae.) Elegans et quam aptissima metaphora ab aedificio tracta. Cum damno etenim ac iactura

aedificat is, qui fundamento ingentis pretii posito, amplius nihil superstruit, aut qui domui erectae non fastigium imponit, nec tecti culmen. Quasi dicat: Fundamentum positum est apud vos, quod est Christus; tantum hoc restat, ut deinceps ad perfectionem perveniamus diversarum virtutum.

Ab operibus mortuis.) Id est, a sceleribus et peccatis, quae mortificant, idque per metalepsim.

Baptismatum.) Hoc est, ut doceamus quid sit baptismus, ac rursus disputemus contentiose cur baptizemur, num ne salutem praestet aquae baptismus nec ne? Plurimum enim Hebraei externis tribuebant, haud dubie etiam tincti baptismo. Non vetat autem apostolus (ut quidam intelligunt) haec vel scire, vel de his disputare, sed quod iam non sit sui instituti disserere, de peccatis, fide in deum, ac reliquis locis communibus, quae iam olim sciri oportuerit. Nam haec nescire ut impium est, ita de iis contendere, et in iis semper haerere, impiissimum sane fuerit. Est hoc hominum genus, de quibus alias, semper discentes, ait, nec unquam ad agnitionem veritatis venire valentes.

Nam fieri non potest, ut qui semel fuerint illuminati gustaverintque etc.) Causam reddit cur non velit reiterare principia Christianae doctrinae, quam iam verbotim annumerarat, qua et instituti erant in initio conversionis. Docet praeterea quam sit periculosum (ut in argumento praediximus) a cognito deficere Christo; non quod possibile sit fidelem, veraeque pietatis amantem a fide desciscere. Si enim exciderit, fucatam et hypocriticam fidem fuisse oportet. Quod vero dicit, tales denuo non posse renovari per poenitentiam, sole clarior est locus, et nonnisi apud impoenitentes obscurus. Veniam enim et remissionem peccatorum resipiscentibus minime denegat ac recusat, sed vel perditorum vel desperatorum hominum (imo eorum qui contra fas nefasque nihil non audent, ac quorum vita ita deplorata est, ut nec deum timeant, nec homines revereantur) difficilem vitae resipiscentiam ostendit. Quomodo enim is innocentiae studeat, qui innocentiae ducem et blasphemat et negat? Aliud est autem in scripturis mutare vitam, sive renovari per poenitentiam, aliud a deo condonationem peccatorum assequi, tametsi alterum sine altero nunquam aut raro constiterit. Quod autem addit:

Impossibile) (Quo verbo etiam Novatiani offensi) satis firmiter declaratur per id quod cohaeret.

Si exciderint. Rursumque crucifigentes filium dei sibimetipsis, et ludibrio exponentes.) Quasi dicat: Difficile est, ac vix possibile, ut si illi, qui semel Christi fide suscepta vixerunt vitam deo dignam, exciderint, adeo ut omnia fidei rudimenta abiicientes (ceu Iudas proditor, et quorum Paulus alibi mentionem facit) quantum ad se attinet faciles essent, imo et prompti ex integro, vel occidere, vel ludibrio afficere filium dei, resipiscant, ac in viam integritatis innocentiaeque restituantur etc. Videmus etiamnum talem loquendi modum nobis Germanis esse, qui de hominibus prorsum sceleratis, ac quorum vita admodum conclamata est, ut nec aliqua poenitudinis ac mutationis spes sit reliqua, dicere solemus: Es iſt chriſam vnd touff an jnen verloren. Et

quanquam impossibile esse dicamus, ut tales in viam redeant, nihilominus aliquando miramur redisse. Atque ita recte per hyperochin dicta esse putamus, quemadmodum et illa Matthaei 18. Christum de potestate ligandi solvendique ecclesiae tradita loquitur: ita ut hac amplificatione Paulus non solum a peccatis avocare, sed ne in pristinam aut caecitatem, aut malitiam recidant, deterrere velit. Hic docendum quid sit peccatum, et veritatem vel oppugnare vel deserere: ac quid intersit inter fidelem qui peccat, et impium peccantem.

Siquidem terra quae imbrem saepius in se venientem imbiberit etc.) Simile est ad superius dicta commodissimum. Per ἄνξησιν enim et incrementum, id quod dixerat, clarius reddit, applicationem Hebraeorum more obmittens. Ostendit finem gratitudinis et ingratitudinis.

Ceterum persuasimus nobis de vobis dilecti quae his sint meliora, et cum salute coniuncta etc.) Correctione indicat, hanc similitudinem non adversus eos se citasse, sed in genere. Ac si dicat: Tametsi dure, minusque suaviter amiceque nonnulla dixerim, minime tamen de vobis ista me locutum esse putetis, tantum abest, ut tales esse vos suspicer.

Non enim iniustus est deus ut obliviscatur operis vestri et laboris ex caritate etc.) Commonstrat agrum minime sterilem fuisse in labore et caritate sanctorum, deumque illud nequaquam oblivioni traditurum, sed mercedem ingentem, vitam aeternam redditurum. Commendat itaque fidelitatem, et pollicetur praemium, figura hysteron proteron.

Cupimus ut unusquisque vestrum idem praestet studium ad plenam spei certitudinem.) Extrema pars capitis esse videtur, qua hortatur ad perseverantiam, perfectionem, et fastigium Christianae vitae. Ceterum Spes hoc loco accipitur pro eo quod speratur, pro Christo inquam vitaque aeterna, per synecdochen.

Ne sitis imbecilles, sed imitatores eorum qui per fidem ac patientiam haereditatem accipiunt promissionis.) Exemplo patrum et aliorum hortatur, ne steriles reddantur, sed ut magis magisque caritate abundantes, imitentur eos, qui fide et patientia constantes fuerunt usque ad finem, hoc est, usque ad apparitionem Christi, de qua Colos. 3.

Deus enim pollicitus Abrahae cum non posset per quenquam maiorem iurare etc.) Nunc spem illam certam et indubitatam esse probat, idque autoritate scripturae, iureiurandoque dei praestito. Quasi dicat: Quod deus dixit, promisitque, certissimum est. Nam quo securum redderet Abrahamum, iusiurandum interposuit.

Nam homines quidem per eum iurant qui sit maior atque iisdem controversiae finis.) Definiendo iuramentum, officium eius docet, causamque finalem commonstrat, hoc est, in quem finem iuramentum detur, id quod Exodi 22. ab exemplo demonstratur.

Huius rei gratia per duas res immutabiles.) Hoc est per promissionem, et iuramentum. Quasi dicat: Ut constantes, minimeque

animo suspenso essent, promissioni annexuit iusiurandum. Atque ita per expolitionem idem dicit.

Qui huc confugimus ut proposita spe potiamur.) Id est, fine atque adeo vita aeterna. Ita ut Spes id loci, ut et supra, accipiatur pro fine, et pro eo quod speratur, hoc est vita aeterna.

Quam velut ancoram tenemus.) Metaphora ab ancora navigantium ducta docet spem nostram veluti curvum et ferreum dentem esse, qui comprehendens scopulos navem figit. Spes enim anchora est, ad quam in hoc saeculo et in hac rerum fluctuatione ac tempestate confugimus. In ipsis (inquam) tribulationibus spes, id est, fiducia in deum, nobis sacra ancora, et refugium nostrum est. Hoc est quod idem Paulus Rom. 8. dicit: Siquidem spe servati sumus.

Et introeuntem usque ad ea quae sunt intra velum.) Id est, quae ancora, quae spes nos intra velum et sancta sanctorum, hoc est, coelum inducat, quo praecursor noster Christus Iesus summus sacerdos ingressus est. Docet autem, quod si semel cum praecursore nostro ingressi fuerimus coelum, perpetuo nos illic consistere. Idem est quod Christus dicit: Ubi ego sum, inquit, illic et minister meus erit. Atque ita pulchre explicat typum summi sacerdotii veteris testamenti, et earum rerum quae erant intra velum etc.

Iuxta ordinem Melchisedec pontifex factus in aeternum.) Post longam digressionem vel hyperbaton, aggreditur quod initio cap. 6. huius dixerat.

CAPUT VII.

Summa. Redit a digressione sacerdotii Melchisedec, de quo supra cap. 5. dicere coeperat, explicaturus partes partibus Hebraico more, ut dicemus, conferendo: perque amplificationem commonstrat Christi sacerdotium Levitico praestantius esse, et hoc non solum similitudinis comparatione, sed argumentis quibusdam aliis quam efficacissimis.

Nam hic erat Melchisedec rex Salem etc.) Primo narrat historiam Melchisedec, similitudinem exponens, figuram et typum fuisse Christi commodissime commonstrat.

Qui primum quidem ex interpretatione dicitur rex iustitiae etc.) *Μυθολογία* esse videtur, et mystica explicatio omnium conditionum, hoc est, denominationis, nomenclaturae, officii et loci Melchisedec, de quibus non opus est multis hic dicere. Qui plura scire cupit, legat vel Chrysostomum, vel Bullingeri fratris in epistolam hanc commentarium editum eruditum et pium.

Sed assimilatus filio dei manet sacerdos in perpetuum.) Applicatio esse videtur et adaptatio similitudinis, ita ut *δὲ* pro *ἀλλὰ*, itaque, quare, similitudinisque nota ponatur. Quasi dicat Paulus: Quare, vel itaque, rex Melchisedec typus fuit et figura Christi, excusso eius rei negotio a nomenclatura, videlicet, genere et loco, officio ac omnibus conditionibus. Eius rei collationem vide vel apud supradictos, aut Theophylactum.

Considerate vero quantus hic fuerit. Primum argumentum, quo docet Melchisedec excellentiorem fuisse Abrahamo, atque adeo

praestantius sacerdotium eius Levitico, quod ab Abrahamo ortum et originem suum habet.

Cui etiam decimas dedit Abraham patriarcha de spoliis.) Prima ratio, quod Melchisedec Abrahamum excellat, illa est, quod Patriarcha Melchisedeco regi pacis et iustitiae solvit decimas. Altera, quia ab ipso Melchisedeco benedictionem Abraham accepit. Quae omnia indubie probant Abrahamum rege Melchisedeco inferiorem fuisse, et per consequens, etiam sacerdotium Mosaicum et Leviticum, quod ab Abrahamo suam originem traxit.

Atque ii quidem, qui quod sint de numero filiorum Levi, sacerdotii functionem sumunt, praeceptum habent ut decimas accipiant etc.) Tertia haec ratio est, qua Melchisedecum excellere docet Abrahamum. Observandum autem illud diligenter, Christum in Melchisedeco praefiguratum. Est autem haec ratio (ni magis arrideat argumentum proprium) a mortalitate ad immortalitatem. Maior est enim qui semper vivit, quam is qui moritur. Abraham mortuus est, Melchisedec vero dicitur adhuc (non quod e vivis non excesserit, sed quia scriptura Geneseos mortis eius nullibi mentionem facit) viverę.

Atque hic quidem homines qui moriuntur, decimas accipiunt, illic autem is de quo testatum est, quod vivat, et ut ita loquar in Abraham decimatus est etc.) Diceret quispiam: Quid refert, quod Abraham decimas solvit Melchisedec, quibus inferiorem se esse illo ostendit? Levi tamen hoc non fecit. Respondet ad hanc occultam obiectionem Paulus, atque dicit: Per ipsum Abrahamum etiam Levi decimatum. Atque ita certo constat, Levi, Leviticumque sacerdotium, decimas Melchisedeco soluisse, quando adhuc erat in lumbis patris sui Abrahae.

Proinde si consummatio per Leviticum sacerdotium erat etc. Praeterea erat opus alium exoriri sacerdotem.) Aliud argumentum eminentiae sacerdotii Christi, a ratione imperfecti sacerdotii, atque adeo mutati Levitici et legalis, hoc est, docet necessarium fuisse alium sacerdotem, ac sacerdotium exoriri, propterea quod Leviticum et Mosaicum hoc sacerdotium imperfectum fuerit. Siquidem nemini salutem conferebat, nec satis erat ad consummandum homines.

Qui secundum ordinem Melchisedec et non secundum ordinem Aaron diceretur.) Leviticum extenuans sacerdotium, Melchisedeci, id est Christi, extollit, ostendens Christi sacerdotium (ut in sequentibus clarius commonstrabitur) quod iuxta ritum Melchisedec institutum fuerat, maius Aaronico esse, quippe quod Christus non modo homo, sed et deus quoque fuerit.

Quandoquidem translato sacerdotio, necesse est et legis quoque translatio fiat.) Argumentum a necessaria ductum consequentia. Quasi dicat Paulus: Si sacerdotium erat mutandum, necessario sequebatur legem quoque, hoc est, testamentum, institutum, ritum Levitici praescriptum sacerdotii, reliquaque ad usum eius attinentia, propter imperfectionem abolenda esse. Nam si alium oportuit et esse et venire sacerdotem, magis aliud sacerdotium quoque, imo multo magis aliam legem testamentumque fieri oportuit. Non enim potest sacerdos esse

sine lege, sine testamento, sine instituto, quod Germanice dicimus: On ein gmächt, oder ordnung. Atque ita loquitur non de tota lege, sed de lege Levitica, ac ceremoniali sacerdotii externi. Per legem itaque hic, quemadmodum iam dictum est, testamentum constitutum ritumque Levitici sacerdotii nos intelligimus. Eodem modo et infra testamentum novum Christi accepimus, hoc est: Für ein gmächt oder ordnung.

Idque magis etiam liquet, siquidem ad similitudinem Melchisedech exoritur sacerdos alius.) Idem, tamen aliis verbis, dicit per expolitionem, argumentisque a contrariis. Quasi dicat: Haec quae diximus, subinde clarius se aperient, si ad invicem conferantur.

Qui non iuxta legem mandati carnalis factus sit.) Hoc est, qui non ordinatus est, secundum eam legem quae abroganda fuerat, neque iuxta sacerdotium quod mutabatur. Atque ita carnalis hoc loco accipitur pro mortali, temporario et defectuoso. Lex enim externa ceremonialis ac Levitica, carnales ac mortales constituerat. Opponitque haec ordini Melchisedech.

Sed iuxta potentiàm vitae indissolubilis.) Magnificentiam sacerdotii Christi commemorat. Is enim dei nutu, promissione, iureque iurando constitutus est sacerdos, atque talis qui esset potens, vitaeque indissolubilis, hoc est, perfectus, immortalis, ac sine fine. Ad finem capitis duobus haec verbis Paulus clarius exponit.

Testificatur enim ad hunc modum, Tu sacerdos etc) Citato scripturae testimonio, exponit quid intelligat per potentiam vitae indissolubilis. Nempe qui non, quemadmodum Levitici sacerdotes, mortalis, sed immortalis, atque adeo iuxta ordinem Melchisedech perfectus esset. Et est primum argumentum ἀντιθέσεως, hoc est a contrario.

Abrogatur enim quod praecessit praeceptum propter imbecillitatem et inutilitatem.) Ut supra multis dixit de sacerdotio, ita nunc latius de lege edisserit. Per legem vero atque praeceptum hoc loci quoque intelligit sacerdotem, causamque reddit cur haec abrogata sint. Operae pretium enim fuit, ut veniente Christo sacerdote vero, qui solus sanctificat, mundat et purgat omnia, unica oblatione mortis suae tollerentur prisci sacerdotii purificationes et ceremoniae, ad purificandum impotentes. Atque ita Synecdochicos hoc loco lex capitur; ex toto enim partem intelligit, nempe sacrificia Levitici sacerdotii, ad sanctificandum imperfecta.

Verum erat introductio ad spem potiorem.) Occupatio est, vel correctio. Diceret quis: Nihil profuit lex? Respondet, profuisse quidem, sed non ad perficiendum, imo introductio solum et paedagogus fuit.

Ad spem potiorem per quam appropinquamus deo.) Hoc est ad hunc sacerdotem Christum; ita ut Spes, quemadmodum supra etiam, pro eo capiatur in quem speramus, pro Christo scilicet. Is enim via, vita et veritas est, per quem deo appropinquamus; quod non fiebat per sacerdotes veteris testamenti.

Atque hoc potiorem, quod non absque iureiurando res acta sit.) Aliud argumentum est a contrario, quod scilicet iureiurando hoc

sacerdotium Christi sancitum est, quod tamen non factum Levitico sacerdotio. Ut enim mortales securi redderentur, iureiurando pollicitus est deus se pontificem daturum, qui immortalis, perpetuus ac perfectus esset. Quod ita se habere, citato scripturae loco confirmat.

Tanto potioris testamenti sponsor factus est.) Quod supra legem nunc testamentum dixit, hoc est sacerdotium, et ordinationem novi testamenti. Atque ita argumentum est a ratione testamenti mutabilis et immutabilis, vel a Levitici sacerdotii successionibus ac successoribus. Veteres enim erant mortales, hic vero noster sacerdos Christus perpetuus, non temporalis sed immortalis. Ponderanda hic est insignis et egregia novi testamenti dignitas, ac excellentia.

Perpetuum habet sacerdotium, unde et salvos facere ad plenum potest.) Haec opponuntur imbecillitati, ac impotentiae legis Leviticae, de qua supra. Quae omnia verbotim a piis ponderanda sunt, atque examinanda.

Talis enim decebat ut esset nobis pontifex etc.) Argumento vel a necessitate, vel sacerdotii dignitate Christiani sumpto, colligit omnes nunc priores ἀντίθεσις Paulus, docetque nos opus habuisse huiusmodi pontifice, summoque sacerdote, qui esset pius, innocens etc. quae omnia iam aberant a sacerdotibus veteris testamenti, quam praecellebat verus sacerdos Christus.

Sublimior coelis factus etc.) Nunc a loci etiam dignitate, imo excelsitate pontificem nostrum commendat. Quod vero dicit, segregatum a peccatoribus, exponit per hoc quod infert coelis sublimiorem factum. Nam quo segregatior, et remotior a peccatoribus noster pontifex fuit, hoc sublimior ac dignior aethere fuit. Per incrementum itaque non solum hominem sanctum, purum, aque peccatis alienum esse dicit Christum, sed et deum, deique filium verum, atque adeo coelis ipsis sublimiorem, ut qui coeli terraeque dominus, ubique omnium rerum potestatem habeat.

Siquidem lex homines constituit pontifices, habentes infirmitatem.) Probat nunc quod dixerat necesse pontificibus fuisse, primum pro suis, deinde pro aliorum peccatis offerre, quia Leviticum sacerdotium miseros, peccabiles, et infirmos creat pontifices.

Porro sermo iurisiurandi, qui supra legem fuit, filium constituit in aeternum consummatum.) Hinc manifestum est, quid intelligat per hoc quod dixerat: Secundum potentiam vitae indissolubilis, hoc est, qui eligitur potentia deique virtute immortalis, et perfectus.

CAPUT VIII.

Summa. Epilogus est, quo docet pontificatum Christi excellentiorem esse Mosaico, ratione personae, loci, hostiae, et testamenti. Atque ita, quemadmodum fieri solet in epilogo, priora quaeque argumenta repetit.

Ceterum eorum quae dicimus illud est caput, quod talem habemus pontificem, qui consedit ad dexteram etc.) Probat Christum plus esse quam hominem, imo dei filium, et deum ipsum. Filii hominis enim est, sedere ad dexteram dei patris, id est eiusdem

potentiae, eiusdemque potestatis esse cum patre, atque ita ratione personae pontificatum Christi excellentiorem esse probat Levitico.

Throni maiestatis in coelis.) Ratione idem confirmat loci, quia non in sancta sanctorum hoc terrenum, sed in tabernaculum verum, a deo conditum et perfectum, coelum scilicet, perrexit.

Omnis enim pontifex ad offerendum donaria et victimas constituitur, unde necesse est ut hic etiam aliquid habeat quod offeratur.) Hostiae quoque, et oblationis respectu, commonstrat sacrificium Christi praestantius esse Mosaico, quod scilicet non sanguinem hircorum, sed se ipsum obtulit, de quo cap. 9. longius et plenius.

Nam si esset in terra, ne sacerdos quidem esset, ubi sunt sacerdotes qui offerunt etc.) Quod dixit ratione hostiae maiorem et praestantiorem existere Christum, probat. Nam si in terra esset, non posset dici sacerdos, quod non veterum more obtulisset donaria, et victimas iuxta legem; verum quia semetipsum obtulit, hinc manifestum est longe excellentius veteribus eius sacrificium.

Nunc vero hoc excellentius sortitus est sacerdotium, quo praestantioris est testamenti intercessor.) Hoc est institutionis, ritus et praecepti; quid dicam? promissionis. Ita enim hoc loco testamentum accipi putamus, quemadmodum supra cap. 7. de lege abroganda quoque dictum est. Novo enim sacerdoti, nova lege opus erat. Non enim potuit sacerdos esse sine lege, quae illi praescriberet sacra, ritus, modosque offerendi. Hanc legem hic testamentum ein gmächt appellatum putamus a Paulo.

Quod in praestantioribus promissis sancitum est.) Hoc est, testamentum et haec lex sacerdotii Christi praestantior fuit lege Levitarum. Christi enim hostia et sacrificio salvi reddimur, quod non factum est sacrificiis Leviticis. Atque ita docet praestantiorem esse et praestantiora habere legem Christi. Locum itaque Hieremiae citans, ad suum accommodat institutum. Quasi dicat: Ex Hieremia etiam constat, deum praedixisse testamentum hoc vetus, id est sacrificandi hunc ritum Leviticum abolendum, locoque eius novum instituendum. Dabit enim deus filium suum, qui se ipso semel litato, iram patris coelestis placabit. Idque non solum pro Iudaeis, sed et cunctis gentibus.

Per hoc quod dicit novum antiquavit vetus.) In iam dictum sensum Hieremiam a Paulo citatum, per collationem docet, nempe quod vetus sacerdotium antiquari, ac abrogari debuerit, novumque institui.

CAPUT IX.

Summa. Paulus perstat in postrema collationis parte, nempe testamenti, quam fusius explicat utriusque testamenti ritus conferendo. Docetque ceremonias testamenti veteris non nisi typum fuisse novi. Atque ita rursum probat, novum testamentum, sacerdotium videlicet Christi, excellentius fuisse Levitico.

Igitur habebat quidem etiam prius illud, iustificationes, cultus.) Videntur nobis haec referenda esse ad mox praecedentia, cum dixit: Porro quod antiquatur; ita ut iam commonstrare velit, quomodo quae veteris testamenti erant, evanuerint.

Ac sanctum mundanum.) Quasi dicat: Prior testamenti cultus, suam etiam sanctimoniam habuit, sed externam, purificationemque carnis. Est autem totum hoc caput nihil aliud quam Antithesis pulchra et elegans.

Siquidem tabernaculum factum fuit primum, in quo erant lucernae etc.) Nunc narrat locum, vasa et sacrificia, templariamque suppellectilem; atque ut hoc generatim superius dixit, ita nunc specialiter singula per partes explicat. Ostendit enim Paulus testamentum vetus etiam sua habuisse loca designata, vasa, exemplaria, modosque praescriptos, tum etiam dispositionem, et ornatum singulorum.

Post secundum autem velum erat tabernaculum quod vocatur sanctum sanctorum etc.) Hoc est, post velum, alterum erat tabernaculum. Neque enim duo fuere vela, sed unum, ut unum tabernaculum, quod velo in duo dividebatur, atque inferior pars sanctum, superior vero post velum secundum dicebatur tabernaculum, hoc est, sanctum sanctorum, quod singulari quodam modo divinis (religionis Mosaicae) erat addictum. Et quae in illo fuerint, iam particulatim recenset. Conveniunt autem haec omnia domino nostro Iesu Christo, in verum sanctum sanctorum, quod coelum est, ascendenti.

His autem ad hunc modum ordinatis, in prius quidem tabernaculum etc.) Descriptis utensilibus vasis, ac reliquis tabernaculi rebus, sacerdotum distribuit officia, ostendens communes sacerdotes, quotidie in priore, pontificem vero annuatim in posteriore tabernaculo, vel hircino, vel vitulino litasse sanguine.

Illud significante spiritu sancto, nondum manifestatam esse sanctorum viam etc.) Nunc per expositionem aperit, non frustra tot tantasque observationes dei spiritum veteranis commendasse populis, sed hiisce quippiam prae se tulisse, vitam scilicet aeternam nondum esse manifestatam, verum tabernaculo concidente in publicum adferendam esse, idque alia via et conditione. Sanguine quidem, at non hircino, sed Christi, id est filii dei.

Quae erat similitudo pro tempore tum praesente.) Quod hic similitudinem, infra exemplaria appellat, haec omnia figuram fuisse declarans. Suo enim tempore, usum tantum suum habuere, atque iuxta legem mandati carnalis, ad emundationem carnis faciebant. Et ideo similitudo, vel, ut dicit Chrysostomus, comparatio fuere. Parabola enim Hebraeis est symbolum et aenigma.

In cibis duntaxat et potionibus et diversis ablutionibus etc.) Postquam tabernaculi vasorumque politiem, ornatum dispositionemque multis explicavit, nunc sacerdotum plebisque religionem in iis constitisse ait; in cibis videlicet, potibus ac variis lotionibus, quemadmodum Exodus liber et Leviticus haec in universum habet. Loquitur autem vel de ciborum delectu, vel partibus sacerdotum, deque lotionibus expiationibusque innumeris.

Usque ad tempus correctionis imposita.) A temporis brevitate, imo mutatione docet haec fuisse invalida. Nam haec a deo ita ordinata et constituta esse dicit, non ut perpetuo durarent, sed usque ad potioris testamenti constitutionem, donec veniret is, qui liberaturus esset genus humanum suo sanguine, nempe Christus.

At Christus accedens pontifex.) Applicatio est similitudinis, vel antithesis. Quasi dicat: Recensitis veteris testamenti ritibus, iam de nostro pontifice sermo habendus est. Plane non inelegans ut diximus, sed valida antithesis est, quam verbotim explanabimus.

Futurorum bonorum.) Opponit temporali primum pontificatui (quod in transitoriis ac corporiis rebus observabatur) aeternum. Christi enim pontificatu bona coelestia, vitamque assequimur aeternam.

Per maius et perfectius tabernaculum.) Haec omnia per comparationem collationis accuratius perpendenda sunt, cum adeo non inscita contrarietate sibi respondeant. Nempe, pontifex vetus, tabernaculum intravit manu factum, Christus vero non manibus exstructum. Is in sancta sanctorum, noster in coelum. Ille alieno, hic proprio sanguine. Mosaicus pontifex saepius, Christus semel litavit, alias oblatio eius quemadmodum pontificum veteris testamenti non fuisset perfecta ac consummata. Denique legalis externam purificationem, noster sacerdos Christus perpetuam invenit redemptionem.

Nam si sanguis taurorum et hircorum, et cinis iuvencae aspergens inquinatos etc.) Probat hoc quod iam dixerat, idque argumento vel comparatione a minori. Nam si taurinus ac reliquus sanguis pecualis externam impetravit emundationem, multo magis sanguis Christi pretiosus admodum peccata mundi diluit.

Ad carnis purificationem.) Hisce verbis methodicos omne lucrum, et commodum veterum sacrificiorum refert, apperit et exponit. Nempe externam et mundanam purificationem, de qua supra ab initio capitis.

A mortuariis operibus.) Hoc est, quae mortificant mortemque aeternam afferunt, idque per *μετάληψιν*. Indicat sanguinem Iesu Christi emundare nos ab omnibus peccatis nostris.

Per spiritum aeternum.) Oppositio est: opponit enim spiritum sanctum igni et incendio, quo sacrificia comburebantur brutarum pecudum; atque indicat non solum hominem, sed et deum quoque fuisse Christum.

Et ob id novi.) Quandoquidem testamentum ratum nullum est, nisi morte testatoris. Argumento ergo sumpto a communi mortalium consuetudine, probat Christi ratum esse testamentum, necessumque fuisse Christum mortem subire si novi testamenti reconciliator esse velit. Vide 1. Corinth. 11. Hoc poculum novum testamentum in meo sanguine, hoc est, per sanguinem meum, testamentum novum, id est, gratuita peccatorum remissio generi humano obveniet.

Unde ne prius quidem illud absque sanguine dedicatum fuit.) Probat etiam vetus hoc testamentum Leviticum non sine sanguine ac morte dedicatum, Morte, inquam, non testatoris, sed pecudum; idque confirmat exemplo Mosis. Atque ita ritum prioris testamenti docet, novum etiam sanguine Christi oportuisse stabiliri.

Et omnia fere secundum legem sanguine purificantur, et absque sanguinis effusione non fit remissio.) Verbum remissionis hic referendum est ad externam sanctimoniam, carnisque purificationem, de qua alibi, et supra copiosius.

Itaque necesse est ut exemplaria quidem eorum etc.) Id est, ea quae sunt exemplaria, typus et figura coelestium. Mosaica itaque indicat typica ea et mutabilia, at coelestia firma et vera.

Ceterum ipsa coelestia potioribus quam hae sint.) Hoc est, ii qui coelum possessuri ac intraturi sunt.

Victimis mundentur) Synecdoche est, numerique ἑτέρωσις, id est, victima mundentur. Intelligit enim salutarem et unicam Christi oblationem. Probat etiam Christi sacrificium inter potiora esse, dicens:

Non in manufacta sancta ingressus est Christus etc.) Atque ita per epilogum particularem fere praedicta omnia repetit. Ex quibus infert, victimam Christi tanto praestantiorem Iudaicis sacrificiis, quantum figuratum figura.

Nunc autem semel sub consummationem saeculorum etc.) Id est, tempore statuto, et a deo patre sibi definito; de quo alibi praesertim in Epist. ad Ephes. cap. 1. plura.

Et quatenus illud manet omnes homines, ut semel moriantur etc.) Nunc causam subiungit, et probationem, cur Christus semel oblatus, perfecta factus sit victima. Et quod non saepius offerri queat, quia hominum more semel mortuus, iudicium accepit suum. hoc est, quod Germanice dicimus: Er hat ſin böſcheid empfangen wie alle menſchen die da ſterbend. Iudicium enim hic non generale, sed particulare intelligimus, nempe aut vitam aut mortem. Non quod Christo examine opus fuerit a morte, delictorum cum immunis fuerit a culpa, et cui pater dederit omne iudicium. Atque princeps mundi huius in illo non habuit quicquam. Hoc itaque appellamus iudicium quod Christus a morte accepit, cum gloria resurrectionis dei dextera exaltatus, mundo fuerit declaratus esse filius dei etc.

Rursus absque peccato conspicietur.) Antithesis est. Dixit oblatum Christum, ut auferret peccata; nunc rursum quidem dicit venturum, idque novissimo iudicio, sed non ut offeratur aut mactetur pro peccatis. Hoc enim dicit Paulus: Absque peccato apparere. Argumenti status sensum hunc probat. Vult enim Christi semel oblationem factam esse perpetuam, id quod capite sequente latius et apertius docet.

CAPUT X.

Summa. Confirmatio vel potius expolitio est, aliis enim cum verbis tum argumentis Christi sacerdotium Levitico excellentius esse probat. Deinde ad soliditatem fidei, vitaeque innocentiam hortatur, idque per epilogum, argumentis quam validissimis.

Nam lex umbram obtinens.) Iam confirmat et probat quod dixerat Christum semel oblatum multorum auferendis peccatis. Atque ita commode a particulari epilogo regreditur ad institutum suum, quo probet Christi sacerdotium perfectum esse, oblationemque eius consummatam, et ideo non, quemadmodum pontificum Leviticorum reiterandam. In hac antithesi videtur nobis Paulus stare.

Futurorum bonorum.) Diceret quispiam: Quomodo tantum umbra huiusmodi sacrificia fuere, cum deus hisce oblationibus promissiones addiderit, nempe remissionem peccatorum, ut videre est a cap. 1.

Levitici ad octavum usque? Respondendum: Peccatum, hisce oblationibus factis, remissum quidem apud ecclesiam fuisse, sed non ita apud deum. Offerentem enim ecclesia mundum iudicabat, quando forte apud deum pollutus existebat, quod multis prophetarum testimoniis asseritur. Idem est quod Paulus capite nono supra dixit: Ad sanctimoniam mundanam et purificationem carnis, et quae non potuerat conscientiam mundam reddere. Et hoc idem nunc per expolitionem lucidius facit.

Alioqui nonne desiissent offerri.) Perstat ut diximus in collatione antitheses. Pontificatum siquidem Leviticum non fuisse perfectum hinc constat, quia reiteranda erant sacrificia. Et ideo argumentum sumptum est a reiteratione sacrificiorum.

Atque in istis commemoratio fit peccatorum.) Quasi dicat: Tantum abest ut haec peccata auferrent, quod magis arguebant, palamque peccatores esse convincebant. Sacrificiis enim veteres testabantur, ac confitebantur delicta sua. Non enim conscientiam mundare poterant externis.

Quapropter cum ingressurus esset mundum, dicit etc.) Pulchre hic Paulus causam incarnationis et descensus de coelis ad nos Christi refricat. Quasi Christus venturus in mundum haec Psalmi verba dixerit:

Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, holocautomata et pro peccato non comprobasti.) Est autem eminens et magnum exemplum dilectionis divinae erga nos, et gratiae dei.

Ecce adsum, in capite libri scriptum est.) Quasi dicat Christus, Summa totius scripturae haec est: Deum videlicet filium suum promissum, me inquam, daturum, qui divinam suam voluntatem perfecturus, imo ex animo deo, deique voluntati obsecuturus sim.

Prius tollit ut posterius statuat.) Nempe Leviticum pontificatum imperfectum, quo novum hoc testamentum, hoc est, gratuitam peccatorum remissionem merito Christi statuat. De quo plura cap. 8. Atque ita argumentum est secundum prius et posterius. Posterior enim lex priori derogat.

Testificatur autem nobis et ipse spiritus sanctus etc.) Scripturae citato testimonio, id quod saepius iam dictum est, probat, Christum scilicet consummatum sacrificium. Atque hoc ut diximus in collatione antithesis.

Cum ergo fratres habeamus libertatem adeundi etc.) Altera pars capitis haec est. Hortatur autem ad summam in Christum fiduciam, proximorumque dilectionem. Omnia quae hic adducit ἐμφατικῶς dicuntur, atque per saepe iam dictam collationem antithesis.

In sancta per sanguinem Iesu etc.) Non tabernaculum, sed coelum intelligit. Idem per velamentum facit, quo humanitatem Christi figuravit. Carne enim et humanitate Christus velatus erat, tanquam tegumento, ac veluti sanctum sanctorum velamento.

Aspersi cordibus.) Figuralis est locutio. Alludit enim ad multifariam abluendi consuetudinem Iudaeorum, et ad hunc etiam ritum, de quo supra cap. 9. ubi sanguine et cinere omnia aspergebant. Ac si diceret: Aspergite interiora sensus, ac spiritus vestri inconcussa fide, imo extergite labes conscientiae malae.

Et abluti corpore aqua pura.) Quasi dicat: Tunc vere mundi et abluti estis, cum non externa, sed spirituali, et pura aqua loti fueritis; non ut ceteri, id est carnales Iudaei fecerunt, qui neglecta conscientia corporalibus vacabant lavacris. In summa, alludit ad purificationem hanc externam et carnalem carnalis Israel, et hortatur ad conscientiae puritatem. Ni mavelis referenda esse ad puram et irreprehensibilem vitam.

Teneamus confessionem spei non vacillantem.) Id est, dei, qui est spes nostra, ut fide illi devincti simus omnes, idque per Christum dominum nostrum, qui oblatio pro peccatis nostris perpetua, et in quo plenam peccatorum remissionem habemus omnes fideles.

Et consideremus nos invicem.) Hoc est, alter alterum observet, ut beneficiis, et vitae integritate, ac officio caritatis nos mutuo iuvemus, ac provocemus. Per *κατανοῶμεν* enim Paulus intelligit summam illam observantiam, qua Christiani sentiunt se indissolubiliter iunctos, et quisque alium monentem, docentem, amice percipit saneque intelligit. Id quod Latinus diceret: Boni consulite mutuo.

Non deserentes aggregationem nostri mutuam, sicuti mos est nonnullis.) Constantiam docet ac perseverantiam ad finem usque tenendam. Quasi dicat: Nemo populo dei ac ecclesiae adiunctus (quae unum deum ac dominum nostrum Iesum Christum sincere confitetur) leviter se ab illa divellere sinat, et in aliam vel doctrinam vel synagogam satanae pertrahere patiatur. Quemadmodum solent quidam hodie a simplici veritate ac luce ad inanem philosophiam ac tenebras deficere, aliosque post se vel blanditiis vel minis etiam trahere.

Sed adhortantes invicem, idque hoc magis quod videtis appropinquantem diem.) Verbo exhortationis segnes et oscitantes sollicitare iubet, idque ratione venturi et vicini iudicii. Forte hic loquitur de die et iudicio generali, argumento ab incommodo sumpto.

Nam si volentes peccaverimus.) Non de quolibet hic loqui peccato, et mox praecedentia Epistolaeque status docet. Nullum enim est peccatum, quacunque voluntate et temeritate hoc factum fuerit, quod non gratiam et veniam apud deum inveniat, si modo delinquens resipiscat. Igitur de peccato in spiritum sanctum loquitur, quod haud aliud est, quam cognitam veritatem temere foedeque aspernari, contemnere, reiicere, ac oppugnare. Hic Paulus post acceptam veritatis cognitionem peccare intelligit, quod supra dixit: Confessionem spei non tenere, Christum aggregationemque eius deserere, Christo non fidere; iis non superesse inquit hostiam pro peccatis, et expiationem aliam. Christus enim semel oblatus, in perpetuum sanctificat credentes. Quisquis igitur oblationem hanc Christi unicam contemnit, aliamque satisfactionem ac sacrificium quaerit, nulla venia dignus est. Quomodo enim aliquis a Christo veniam consequeretur, quam ab illo vel non petit, vel non credit? Bone deus, quot myriadibus hominum imposuere Papisticae satisfactiones?

Qui aspernatus fuerit Mosis legem.) Argumento a maiori probat contemptum Christi, formidabilem iudicii exspectationem subsequi.

Quanto putatis peioribus afficietur suppliciis qui filium dei conculcarit, et sanguinem testamenti ceu rem prophanam habuerit.) Amplificatio est. Quasi dicat: Hoc inquam testamentum, quod nobis cum deo est, quodque testamentum deus Opt. Max. non hircorum, sed filii sui proprio sanguine dedicavit, ac confirmavit.

Novimus enim eum qui dixit: Meum est ulcisci.) Testimonio scripturae confirmat deum hunc qui volenter cognitam veritatem abiicit, strenue puniturum, nec minus severam vindictam de illo expetiturum. Monet ergo, constanter in suscepta veritate perstent. Hic commonstrandum est quam gravis vindicta dei maneat eos, qui extra Christum iustitiam quaerunt.

Redeant autem vobis in memoriam superiores dies, in quibus illuminati etc.) Nunc commendat eos a priori patientia in qua perstiterant, et ut in eadem perseverent ac proficiant plurimum hortatur. Laudat autem eos duplici nomine. Primo, quod persecutionem propter fidem Christi fortiter sint perpessi. Alterum, quod facultatum direptionem cum gaudio acceperint.

Scientes vos habere in vobis potiorem substantiam in coelis ac manentem.) Qua causa facultates tam hilariter amiserint docet, nempe, quod potiorem substantiam in coelis manentem certo norint. Hoc est quod Christus dicit Matth. 19. Qui reliquerit patrem et matrem etc. centuplum accipiet.

Ne abieceritis igitur fiduciam vestram.) Ut dixi ad patientiae perseverantiam exstimulat, argumento ab utili et commodo sumpto.

Adhuc enim perpusillum temporis, et qui venturus est veniet etc.) Hortatur a brevitate temporis. Ac si dicat: Etsi quid nomine Christi molestum vobis acciderit, ne desperetis obsecro, nam citato cursu affuturus est dominus, cui fisi estis, imo cui vos ipsos dedidistis.

Iustus autem ex fide victurus est.) Posteaquam multis disseruit de sacerdotio Christi, ipsum hostiam perfectam et consummatam commonstrans, nunc quo pacto aut medio Christi meriti et oblationis participes fiamus docet, idque vaticinio prophetae Abacuc, quo asserit iustum ex fide victurum esse. Locus contra eos pugnat qui carnem essentialem Christi sub pane pollicentur, edique in remissionem peccatorum praedicant, quique externis symbolis, non minus atque Iudaei, gratiae collationem tribuunt.

At nos non sumus, qui subducamus nos etc.) Correctio est. Quasi dicat: Non in hoc ista dico ut vos tales arbitrer, qui faciliter a domino desciscant. Imo persuasi mihi vos tales fore, qui in finem usque duraturi sitis. Ἔτέρωσις et ἐναλλαγὴ personae aptissima est.

CAPUT XI.

Summa. Cum in fine prioris capitis testimonio Abacuc probaverit iustitiam nobis ex fide contingere, nunc quam fidem intelligat definit, ac encomium effectumque fidei exemplis non paucis celebrat, idque argumento a minori.

Est autem fides earum rerum quae sperantur substantia etc.) Fidem hic Paulus ὑπόστασιν substantiam vel subsistentiam dicit, hoc est, vividam, certam, inconcussam, indubiam et minime trepidantem fiduciam earum rerum quae sperantur iugiter, ac minime videntur. Ea fides cum non nisi doctore spiritu discitur, ductoreque illo apprehenditur, non constat ex humano ingenio, quemadmodum Christus Petro respondit: Caro et sanguis non revelavit tibi. Est ergo fides hoc loci non opinio, arbitrium, vel humana quaedam et frigida suspicio, sed fiducia firma, certa, indubitata, cui innititur homo apud deum, divinitusque hominis menti indita.

Adoravit fastigium.) Hoc est, Christum qui ex ipsa gente sua nasciturus erat. Metaphora ab arbore consanguinitatis sumpta, Christum intelligit ex prosapia ac inferioribus suis exoriturum. Quem et adoravit, hoc est, fidit, illique innisus est, atque tanquam servatorem suum veneratus, tropo συνεκδοχῆς.

Operati sunt, assecuti promissiones.) Non coelestes, aut spirituales, sed terrenas promissiones intelligit, eas videlicet, quibus deus varias promiserat victorias, fertilitates, rerum copiam, generis propagationem; quae omnia deo fidentes sunt adepti.

Ora leonum occluserunt, exstinxerunt vim ignis etc.) Ut legimus de Samsone, Hieremia, Daniele, Sydraco ac Mysaco, reliquisque patribus.

Alii vero distenti sunt aspernati redemptionem.) Hoc est, deum, cui adeo constanter fidebant, negare nolebant, ut soluti a pressuris melius haberent, idque propter spem futurae resurrectionis, hoc est, potioris et melioris vitae, ubi non solum anima gloria fruetur aeterna, sed corpus quoque humilitatis nostrae tandem etiam configurabitur corpori claritatis Christi, ubi potiorem vitam hanc nanciscemur, quam hic resurrectionis nomine intelligit. Figura hysteron proteron.

Quibus indignus erat.) Commendat excellentem veterum fidem ab ingratitudine et vilitate mundi. Nam quanto firmiores, sanctioresque exstiterant, tanto minus dignabatur illos honore mundus. Ita agnoscimus ingratum exstitisse semper mundum, quod et Christus Matthaei vigesimotertio cap. Iudaeis exprobrat, dicens: Ecce mitto ad vos sapientes.

Non acceperant promissionem.) Id est, Christum in humanis exhibitum, atque adeo nec etiam vitam aeternam. Non enim ii omnes post mortem statim vitam ingressi sunt illam plenam et absolutam, aeternam, sed in sinu Abrahae Christum liberatorem praestolabantur. Nisi mavelis ad resurrectionem omnium mortalium communem referri, ubi hoc corpus nostrum Christo configurabitur.

Quod deus de nobis melius quiddam providerat.) Causam reddit cur hoc ita factum sit a deo. Nostro, inquit, bono, noluit enim illos ante gloria frui deus, quam per Christum suum ex utrisque unum fecisset populum, et in unam conglutinasset ecclesiam, Iudaeos et Gentes, quemadmodum in Ephesiis capite secundo videre est. Quod si ad corporis resurrectionem referas: Ideo, inquit Paulus, haec facta sunt, ne si resurrectionis gloria nos praevenissent, ac consummati, sortiti essent corporis incorruptionem, nos nostri exilii taederet, quod in corporum

corruptione ferimus. Et si nobis praelati essent, gloria resurrectionis iustorum non esset communis. Providit ergo deus, ne gloria resurrectionis iuxta nostrum meritum, sed iuxta providentiam divinam nobis tribueretur. Hoc est quod Christus significavit parabola patrisfamilias conducentis operarios in vineam suam, Matthaei vigesimo cap. Itaque communem diem, ac resurrectionem carnis generalem exspectabunt, ut communem sententiam filii hominis nobiscum audiant, Matth. 25. cap. Venite benedicti patris. Argumentum vero est a minori. Nam si veteres sancti, tanta omnes constantia, tantaque fiducia futuri Christi, speque resurrectionis promissae, perdurarunt, quas tamen (pro nomine et gloria veri dei trucidati) illico non acceperunt; quanto magis nos constantes in fide, firmi permanere debemus, quibus Christus iam exhibitus est, et cum gloria resurrectionis in gloria adest?

CAPUT XII.

Summa. Illatio est, qua docet afflictiones propter Christum, Christique verbum aequo animo ferendas esse, idque pulcherrimis, ut patebit, argumentis.

Proinde nos quoque cum tanta etc. respicientes ad fidei ducem et consummatorem Iesum.) Argumentum primum est ab exemplo Christi, quo ad tolerantiam hortatur. Quod et Petrus facit Epistola sua 2. cap. 1. Christus afflictus est pro nobis, inquit, relinquens nobis exemplum etc. Non enim est discipulus super magistrum, neque servus super dominum.

Nondum usque ad sanguinem restitistis.) Quasi dicat: Etsi direptionem facultatum vestrarum cum gaudio passi sitis, nondum tamen ad sanguinem usque Christi exemplo restitistis. Argumentum est ab extenuatione afflictionum hactenus perpessarum.

Fili mi, ne neglexeris correptionem domini.) Nunc scripturae autoritate monet afflictiones patienter ferendas, idque argumento sumpto a φιλοστοργία, ac veri patris affectu erga filios legitimos. Habet autem nimiam quandam in se vehementiam.

Itaque cum carnis nostrae patres habuerimus castigatores.) A minore, hoc est, carnali ad patrem coelestem comparatione facta, hortatur ad ferendam salutarem ac utilem dei castigationem correptionemque.

Atque illi quidem ad paucos dies etc.) Collatio est partium comparationis, atque ab utili persuadet domini correptionem non aegre, sed animo benevolo ferendam esse.

Omnis autem castigatio in praesens etc.) A causa finali, hoc est, a fine malorum patienter toleratis, sive fructu, sumpto argumento ad persecutionum tolerantiam suadet. Siquidem, inquit, persecutionem aequanimiter ob Christum perpessam, sequitur retributio aeterna, vitaeque coelestis praemium.

Quapropter manus remissas et genua soluta surrigite.) Illatio est ex prioribus, periphrasisque haud illepida pavitantium, ac consolatio eorum qui ob pusillanimitatem dominique correptionem deficiunt. Id quod nos Germanice dicimus: Sind mannlich vnnd vnerschrocken.

Pacem sectemini cum omnibus.) Redit ad morum paraeneses, officiaque pietatis describenda. Docendum hoc loco tam diu pacem habendam esse cum quibuslibet, quam diu veritas et religio dei Christique filii eius non gravatur et proscinditur.

Ne quis scortator aut prophanus velut Esau.) Absterret a contaminatis moribus exemplo Esau, qui erat ὁ βέβηλος, Ein vnflat, vnverſchampter, Labes, impurus, ac perfrictae frontis homo. Ac si dicat: Videte ne ventres sitis, crapulaeque dediti ut fuit Esau. Hic admonendi sunt iuxta dignitatem crapulosi, ventres, nostrique saeculi Epicuri atque Sardanapali, de quibus Esaiae 5. Vae vobis qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam.

Scitis enim quod et postea cum vellet haereditario iure benedictionem assequi etc.) Quam sit periculosa res ventri et gulae esse deditum, a causa finali hoc loco docet Paulus. Nempe quod nunquam non homines ob vitae intemperantiam, non tantum paterna benedictione ac terrestri spolientur, sed et spirituali, hoc est, vita aeterna quoque priventur.

Non enim reperit poenitentiae locum etc.) Consideratis circumstantiis, quemadmodum in scriptura sacra fieri debet, nihil difficultatis aut obscuritatis is locus habebit. Loquitur enim de benedictione primogeniturae, hanc non potuisse Esau vel poenitentia vel lachrymis reparare, et minime de peccatorum remissione, quemadmodum quidam disputant.

Non enim accessistis ad contactum montem etc.) Alio argumento monet, ne deficiamus a gratia dei, nempe comparatione legis praedicatae, ac doctrinae Christi. Constat enim Christi vocem longe gratiorem ac mitiorem exstitisse quam legis. Clamat enim lex suae disciplinae discipulis: Maledictus qui non permanserit in omnibus quae scripta sunt etc. At ecclesiastes Evangelii Christus benigniter invitat, ac monet, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, egoque reficiam vos. Et: Qui credit in me, inquit, vitam habet aeternam. Amplificatio satis longa est a circumstantiis collecta, quemadmodum e contextu apparet.

Sed accessistis ad montem Sion.) Haec altera pars antithesis est ac comparationis, ubi nos minori periculo atque veteres deo iunctos esse docet, imo maiore etiam populo Christi agglutinatos, nempe per novi testamenti conciliatorem Iesum Christum.

Videte ne aspernemini eum qui loquitur.) Epilogus est universalis, quo studiose hortatur, ne Christum illiusque verbum nobis oblatum negligamus, idque argumento a minori. Hic docebis atrocem vindictam eos manere, qui verbo dei ac evangelio Christi insultant; maiorem illos, qui blasphemant, ac ludibrio afficientes proscindunt.

Adhuc semel ego concutio terram etc.) Antiquari legalia docet. In legis enim latione terra concussa ac mota fuit, quemadmodum Exod. 19. videre est. Hic vero loquitur de Christi incarnatione, qui e sinu patris ad nos de coelis concedens, sua praedicatione toto orbe omnia concussit ac mutavit.

Quapropter regnum assumentes quod concuti non possit etc.) Forte alludit ad regnum et promissam terram, quae deus per legem pollicebatur. Ostendens aliter se habere Christi regnum, quod inconcussum ac immutabile fore asserit. Infert itaque ac monet, ut non modo Christum hunc recipiant, verumque redemptorem agnoscant, sed et patienter cuncta ferant, gratiasque deo habeant, illumque colant, et quemadmodum decet, venerentur.

Etenim deus noster ignis consumens est.) Ad superiora haec referuntur. Potens ἐπιφώνημα est, causaeque redditio, quare deus ille noster potissimum colendus, verbumque eius intente audiendum, quod nos non secus atque ignis absumere potest. Verba desumpta sunt ex lege et propheta Esaia. Haud dubie alludit ad legis lationem, ubi totus mons Sinai fumabat, eo quod deus in illum descenderit igne.

CAPUT XIII.

Summa. Per distributionem pergens officia pietatis describit. Primo monet ad fraternam caritatem. Inde ad alia officia pietatis se conferens. Postremo nonnulla superiorum de sacrificiis epilogo repetit.

Hospitalitatis ne sitis immemores.) Etiam apud Gentes laudabile fuit patere domos hominum opulentorum probis et illustribus hospitibus, quamvis aliam ob causam quam philosophia Christi assignat, quemadmodum hoc Cicero lib. 2. Offic. testatur de liberalitate loquens. Hic reprehendenda est tenacitas, et quorundam in egentes ac calamitosos illiberalitas et sordida parsimonia; e diverso etiam impostura mendicorum, nescio quas valetudines adversas ac morbos ementientium.

Memores estote vinctorum, tanquam una etc.) Paulina tempestas plane calamitosa fuit non secus ac nostra, maxime vero persequendis Christianis. Hanc ob rem ad facilitatem et compatientiam hortatur, monetque ut cogitent et idem eis evenire posse. Hoc est quod dicit: Veluti ipsi quoque versantes in corpore. Nam quod uni et alteri fidelium ab improbis irrogatur, ita movere debet quemlibet, ac si toti ecclesiae immineret.

Honorabile est inter omnes coniugium.) Coniugium ipsamque castimoniam commendat, incontinentiam vero damnat comparatione a minori. Dicit enim: Omnibus terrae populis honorabile esse, quanto magis Christi ac dei cultoribus. Non abs re item dicit: Cubile impollutum, ne quis meretritio more foedaque spurcitie abutatur sua uxore; de quo idem Paulus, Thess. cap. 4.

Memores estote eorum qui praesunt.) Ministros verbi commendat Hebraeis, eos nempe qui constanti perseverantia pro Christo deique gloria mortem oppetierunt, quique sinceram fidem suam egregiis, piisque facinoribus testati sunt. Hos sequi, non adorari, neque loco intercessorum haberi docet. Hinc liquet quos hic ministros commendarit, non quoslibet, sed integros ac probos, tum vivos tumque mortuos, ut dictum est.

Christus heri et hodie.) Duplex hic sensus esse poterit. Si ad superiora referenda putas, quibus monet imitari fidem illorum qui praesunt, tunc Christum immutatum perpetuo suis adesse atque olim

adfuit sibi fidentibus asserit. Sin vero ad sequentia referenda iudicas, quemadmodum et nobis videtur, tunc is sensus erit:

Doctrinis variis.) Quasi dicat: Quandoquidem Christus Iesus heri et hodie, hoc est perpetuo, verus indubitatusque filius dei est, eadem semper eius doctrina, apud fideles omnes eadem religio, consummatum perfectumque sacrificium, cavete ne alienis, vanis et peregrinis circumferamini doctrinis. Atque ita pulchre ministrorum imposturas, ac calumnias perfidorum cavere monet. Idem non semel etiam dominus noster Iesus Christus, nec sine causa fecit. Quemadmodum enim ecclesia dei huiusmodi hominibus nunquam caruit, ita nec hodie carere videmus, qui gregem Christi non secus atque tempore Christi et apostolorum in errores, opiniones varias, nasoque, ut dicitur, iam huc, iam illuc, hunc blanditiis, illum vero minis, trahunt ac seducunt.

Bonum est enim constabiliri cor gratia.) Quasi dicat: Salubre ac utile est gratiae ac fidei inniti, non observationibus Iudaicis rerum externarum, quae iis non profuerunt qui versati sunt in illis, quemadmodum supra cap. 10. demonstratum est. Atque ita non solum emundationem rerum externarum Iudaicarum taxat, sed et perfidiam quorundam, qui iustitiam aliunde quam merito Christi docebant. Non aliena fuit Papistica doctrina ab Iudaica illa; neque eorum etiam, qui hodie aut iustificationem rebus aliis quam fidei attribuunt. Non enim abs re dicit Paulus, non profuisse illis, qui his innitebantur. Nihil enim est quod hominis mentem expurgare ac saturare queat, quam fiducia Christi. Vanum ergo est, quod disputas de manducatione corporis Christi substantialis, Caro enim non prodest quicquam, dicit dominus.

Habemus aram de quo non est fas edere.) Et hic respondet obiicienti: Num omnia sunt abolita? Ubi sunt altaria? ubi arae? ubi sacrificia? Cumque supra prolixius haec omnia tractarit, hic per epilogum denuo repetit, docetque Christum esse aram, id est, oblationem, qua deus pater propitius nobis reddatur. Tropus est, Christus est ara, id est, oblatio super aram litatus.

Non est fas edere.) Hoc est, de hac ara atque sacrificio, de ipso Christo scilicet, nemo qui tabernaculo servit, id est, nemo nisi fidelis et spiritualis esurus est. Nec quicquam etiam hic carnale editur, sed spiritualia sunt omnia. Sumpta antithesis est ab edentibus de aris et oblationibus veteris testamenti, et manducatione carnis Christi in ara crucis oblati. Huc facit quod Christus dixit Ioannis sexto, de esu carnis suae spirituali, et quod mox supra dictum est.

Corpora cremantur extra.) Vide Num. 19. cap. Nunc docet ubi Christus, et cur extra civitatem litatus sit; nempe ut satis fieret figurae. In quo et nostrum sacrificium, a nobis omnibus, qui Christi esse volumus, offerendum admodum pulchre figuratum et significatum est. Nempe ut extra castra egredientes, nos ipsos offeramus, hoc est, affectus nostros malos iugiter suffocemus, ut ad Rom. cap. 12. spectare licet.

Opprobrium eius portantes.) Non sine re dicit: Opprobrium portantes. Docet enim patientiam in rebus adversis deo gratissimam

hostiam esse. Et huius rei rursum causam reddit, cum dicit: Non habemus etc.

Per ipsum igitur offerimus hostiam laudis.) Studiose ac emphaticos dicit Per ipsum; per, et propter Christum enim summum sacerdotem et sacrificium, imo per unigenitum filium dei, omnia nostra deo accepta sunt. Nunc Christianorum sacrificia et oblationes paucis comprehendit. Primo, ut intra nos ipsos fide sani, iugi confessione ac gratiarum actione deum prosequamur. Deinde in proximum caritate benefici simus.

Parete iis qui praesunt.) Videtur referendum esse ad magistratus obedientiam. Nam mox supra Hebraeis verbi ministros commendaverat.

Deus autem pacis.) Votum vel precatio est, ut fieri solet in epilogo; atque plane emphaticos haec omnia dicuntur. Optat autem Hebraeos perfici cum fide tum caritate, idque per Christum a mortuis excitatum. Cui sit gloria et gratiarum actio in saecula saeculorum, Amen.

IN EPISTOLAM IOANNIS CANONICAM EXPOSITIO

HULDRYCHI ZUINGLII.

Brevis et luculenta, per Megandrum ab ore eius excepta et edita.

AD LECTOREM MEGANDER.

Post longam quorundam flagitationem, in animum tandem induxi, ut quae in epistolam Ioannis priorem canonicam ab ore Zuinglii ad populum exponentis, nobis exceperamus, publica et communia faceremus. Accipe igitur tenui nostro stilo, quae ipse magna eruditione et eloquentia publicis pro concionibus tractavit, eaque in tuum usum collecta editaque aequi bonique consulito.

ARGUMENTUM.

Adeo promissum Iesum Christum filium dei exhibitum dicit, et in quem finem datus sit, ostendit. Ut nostra videlicet expiaret peccata apud deum, illique nos reconciliaret. Ad vitae sanctimoniam hortatur obnixe, quid summopere a suis requirat Christus, commonstrans. Nempe vitae puritatem, dilectionemque mutuam; illisque unice constare, qui fideles sint nec ne. Ut sibi caveant ab antichristis, veritatique sincerae indivulse haereant, sollicite monet.

CAPUT PRIMUM.

Capitis summa. Christi incarnationem, negotiumque totum paucis perstringit, fideles eius vitae puritate pellucere, sanctimoniaque ipsum exprimere, affirmat.

Quod erat ab initio.) In epistolae exordio haud aliud agit, quam quod in evangelio suo Evangelista Ioannes. Quemadmodum enim in evangelio, deum, quem olim generi humano vitam fore promisit, Iesum Christum praestitisse, illumque ab aeterno, hoc est, verum deum, deique filium in carne venisse, hominemque verum factum esse asserit; ita et hic quoque idem docet, sed aliis verbis. Quod enim in evangelio suo verbum in principio fuisse dicit, idem intelligens hic inquit: Quod erat ab initio. Ac si dicat: Consilium hoc Dei, de salvando genere humano, per filium suum qui fuit ab aeterno, in effectum abiisse, hoc est in carnem venisse, caroque factum esse testatur. Vidimus enim

ipsum, inquit, oculis nostris, loquentem audivimus auribus, manibusque contrectavimus. Longo itaque hyperbato aut incremento auditorem vel attentum vel benevolum reddit, cum se dicit nihil vel novi vel dubii, sed praeclara, magnifica, et quae ab aeterno fuere, allaturum. Nempe:

De sermone vitae.) Hoc est, de Christo filio dei. Hyperbaton itaque suum longum et obscurum aperiens, ostendit quodnam illud consilium et negotium sit, ac res quam ab initio, atque adeo ab aeterno fuisse, seque et vidisse et audivisse, manibusque contrectasse dicit; nempe vitae verbum, id est, Iesum Christum filium dei.

Et vita manifestata est.) Quo magis lucidiora reddat, quae obscurius dixerat, non modo repetens exponit, sed et in quem finem venerit ac datus sit Iesus Christus commonstrat, vitam dicens manifestatam esse, hoc est, quod erat ab initio, caro factum est. Christum itaque hisce verbis non modo in carnem venisse, sed vitam quoque generi humano esse dicit, figura *μετάληψις*, quod mundum mortuum, sibi fidentem, vivum reddit et facit.

Et vidimus et testamur.) Vitam manifestatam, hoc est, verbum caro factum esse, se vidisse repetit propter maiorem evidentiam. Et quia vidit, ideo etiam testari se dicit, nec solum testari, sed et denunciare quoque orbi universo vitam illam aeternam, hoc est, Iesum Christum filium dei. Quem supradicta figura Metalepseos vitam hic appellat, esse aeternam, quod humano generi per ipsum recuperata sit vita aeterna.

Quod vidimus et audivimus.) Quo suspicione, fraude, omnique falso et dolo careat, neque vana et frivola esse quis suspicetur quod dixit, repetit atque dicit: De Christo quicquid vobis annunciamus, verissima ac probatissima esse scimus; Vidimus enim, et audivimus ista omnia coram. Atque ita tandem longum suum hyperbaton de incarnatione Christi absolvit: Hoc ipsum (inquit) quod erat ab initio, hoc est filium dei hominem factum, inter mortales conversatum, vitamque restituisse generi humano.

Ut et societatem habeatis nobiscum.) Ad institutum accedens suum, in quem finem Iesum Christum filium hunc dei annuncient, commonstrat. Non aliam, inquit, ob causam, quam ut socios, collegas, et cohaeredes illius aeterni boni vos reddamus. Aptissima metaphora sumpta ab iis qui soli felices esse ac fortuna prospera frui nolunt, sed et alios quoque suae felicitatis participes sociosque faciunt, id quod verae caritatis indicium est.

Et societas nostra sit cum patre etc.) De qua loquatur societate, quodque intelligat consortium exponit; non qua homines hominibus solum pace, concordia et amicitia fraterna iunguntur, sed qua homines deo animo, mente, atque adeo fide hic uniuntur indissolubiliter, et post hanc cum eo aeternum viventes. Hoc est quod Christus orat patrem suum Ioan. 17.

Ut gaudium vestrum sit plenum.) Societatis et consortii nomine, quod diximus intelligere Ioannem, hisce verbis exponit. Haud alia, inquit, ratione hunc Iesum Christum vobis annunciamus, quam ut conscientia tranquillos, vitae aeternae participes faciamus. Quae evangelii

praedicatione nascuntur bona, hic paucis evangelista narrat. Non solum, inquit, homines unanimes, concordes, amici, fratres, et quemadmodum propheta dicit, pacifici, sed a conscientia pacati, felicitatis aeternae consortes redduntur; id quod doctrina nulla humana, aut philosophia ista Aristotelica et sophistica vana, quae hodie pulchre in perniciem veritatis recrudescere incipit, praestare poterit. Quemadmodum enim illa, Christiana inquam philosophia, veritati simplici, atque adeo deo innititur; ita haec rebus dubiis, persuasionibus humanis, vanis, et stultis. Et quemadmodum mundo hac semper impositum est, ita et hodie quoque imponitur. Haec omnia exordii vice esse posita, primaque epistolae pars esse videntur, per hoc quod dicit:

Et haec est annunciatio quam audivimus.) Secundam partem epistolae esse putamus, qua statum totius epistolae proponit. Nempe deum esse lucem, eumque verum Christianum deique filium, qui in luce vere ambulet, dicens: Et haec est annunciatio. Quasi dicat: Huc tendit, huc respicit, illud complectitur, ac in se habet praedicatio, quam ab ipso habemus Christo, vobisque annunciamus. Das iſt das vermögen, innhalt der predig, quam vobis annunciamus, nempe:

Deum esse lucem.) Atque ita a definitione dei (quem lucem appellat Metaphoricos) quae qualisque vita deceat Christianos, docere videtur. Quemadmodum enim, inquit, luce nihil purius, mundiusque est; ita et deo nihil praestantius, sanctius et excellentius.

Et tenebrae in eo non sunt ullae.) Tropus est in dictione Tenebrae. Indicat enim in Christo atque adeo in deo nihil omnino impurum, foedum, ac facinorosum esse, sed pura, munda, sincera et sancta omnia.

Si dixerimus quod societatem habemus.) Quae dixit ad institutum applicat, atque quid velit exponit; nempe definitione dei, facile constare qui consortio foedereque deo iuncti sint. Nam si quis dicat societate deo se nexum, hoc est, fidelem esse, mente animoque ipsi esse unitum.

Et versatur in tenebris.) Hoc est, impiam, ethnicam, et sceleratam vivit vitam, doctrinamque vanam, humanam, et erroneam sectatur, is plane mentitur et veritas in ipso non est. Quod perpendendum iis qui hodie deum ore quidem incessanter iactant, deque ipso gloriantur, factis vero diversum faciunt.

Quod si in luce ambulamus.) Hoc est, si vere fideles, deique filii fuerimus, factis illud comprobemus oportet, nempe societate mutua. Causam hisce itaque reddere videtur, quare mentiri dicat eum qui se deum nosse dicat, factis vero negat. Ita ut δὲ pro γὰρ, Nam, Etenim capiatur. Huc facit, quod Christus dicit Matth. 7. Arbor ex fructu dinoscitur. Et 2. Corinth. 6. Quod enim consortium, inquit Paulus, iustitiae cum iniustitia etc.

Et sanguis Iesu Christi.) Vel simpliciter indicat, quid sit esse socium, id est filium dei, nempe inniti expiationi per sanguinem Christi factae. Vel obiicienti occurrit, qui diceret: Si deus, quemadmodum dictum, lux est purissima et immaculata, nos vero non solum peccatores, sed et peccatum a natura ipsum, quomodo vel amicitia, foedere,

ac societate uniri illi iungique poterimus? Respondet illud non viribus nostris, merito, et iustitia fieri, sed sanguine Iesu Christi; hic expurgat nos a peccatis nostris, sanctificat nos, deoque societate et amicitia perpetua iungit. Hoc est quod Paulus alibi dicit, per ipsum aditum habere nos ad patrem. Notandum vero quod dicit: Sanguis Iesu Christi; passionem enim ac mortem Christi intelligit, et: Filii eius, ab omnique peccato. Morte itaque Christi semel peracta expurgantur omnia delicta et peccata nostra, non esu carnis eius substantialis, quemadmodum Papistici miseri ac caeci ogganniunt.

Et si dixerimus.) Et isto tempore fuisse qui a peccatis immunes esse volebant, ex his facile intelligitur. Quorum errorem refutans, omnes homines peccatores, et sub peccato esse convincit, neminemque esse mortalium qui Christi iustificatione etiam indies opus non habeat. Nunquam enim non peccat homo, semper igitur ut pedes lavet sanguine Christi, necesse est, quemadmodum Christus dicit. Si quis diversum dicat, mentitur, et veritas in ipso non est.

Si confiteamur.) Per antithesim, membroque contrario, non solum spem facit veniae et gratiae confitentibus delicta sua, sed et cui confitenda sint peccata indicat, nempe deo, quem fideliorem ac iustiorem esse inquit, quam ut promissam peccatorum remissionem, peccata sua confitenti, non praestet. Confiteri vero dicitur, qui vel a deo vel homine, utrimque enim peccando offendimus omnes, ob delicta sua commissa accusatus, ad defendendum se nihil fingit, aut obiicit, nec contendere conatur, sed cedit illique sese submittit, ac dedit veniam petens. Is inquam confiteri recte et vere dicitur, gratiamque et misericordiam invenire apud deum. Haec confessio est, quam tradit scriptura sacra, quae iuxta verbum Iacobi inter Christianos esse debet. Haec item absolutio, qua creditur evangelio, meritoque Christi innititur; non illa vana, ficta, et praepostera manuum impositio Papistica.

Si dixerimus peccatum non habemus.) Ob commendationem divinae gratiae, et misericordiae in Christo exhibitae, eandem rem iterum repetit; nempe neminem esse sine peccato, neminemque qui expiatione liberationeque Christi opus non habeat. Contrarium adserentem, per amplificationem non solum se ipsum seducere, sed et deum mendacii redarguere, veraque minime dicere asserit, qui dicit, omnem hominem esse mendacem etc. Hinc discitur, quam sit inexpiabile delictum, peccata sua dissimulare.

CAPUT II.

Summa Capitis. Urget quam Christus summopere a suis requirit dilectionem mutuam; hortaturque ad vigilantiam propter antichristos.

Filioli mei, haec scribo vobis ne peccetis.) Ne videatur innocentiae studium prodere, licentiamque praebere peccandi commendatione divinae gratiae in Christo, indicat se ista non ideo dicere ut peccet homo, sed in hoc potius scribere ut a peccando retrahat. Nemo enim pius, qui post poenitentiam, remissis peccatis, gratiam dei sensit, peccabo inquit, quod gratis omnia condonantur per Christum; sed omni studio cavet, ne qua fiat ut in pristina aut similia mala recidat.

Si quis peccaverit, advocatum habemus etc.) Et hic praeoccupat obiectionem Ioannes, ob peccata scilicet non desperandum esse. Habere enim nos, inquit, advocatum apud deum, nempe Iesum Christum, deumque neminem reiicere, neminemque a se pellere, qui praesidio intercessoris Christi venerit. Quo loco fideles ab infidelibus facile discernuntur. Quemadmodum enim fideles ab uno pendent deo, intercessore et advocato Christo; ita infideles a Christo intercessore, et advocato unico, ad creaturas convertuntur, cum scripturae doceant omnia petenda esse a deo; nomine non Mosis, Abrahae, Petri, Iacobi, sed Iesu Christi. Is unus enim et solus mediator est dei et hominum, et

Propitiatio pro peccatis nostris etc.) Advocatum esse Christum, quid sit, explicare videtur. Nam sua inquit perlitatione deum placatum, et propitium reddidit. Ita ut καὶ, id loci capiatur pro γὰρ, nam, etenim. Nec pro unius et alterius, aut uno atque altero, sed totius mundi, omnibusque peccatis propitiationem esse tradit Christum, eumque in perpetuum. Indicat itaque Christum esse in quo patri complacitum est, reconciliari cuncta erga se per sanguinem eius, Coloss. 1.

Et per hoc scimus quod cognovimus eum etc.) Redit ad institutum, nempe ad exhortationem vitae, innocentiae, ac sanctimoniae. Certissimamque hanc evangelii inquit esse notam, qua qui eius sunt deprehendantur, nempe iussa eius factis exprimere. Christum enim cognoscere, est re ipsa Christianum esse; quod supra enim societatem habere dicit, hic cognoscendi verbo exprimit, quod addit:

Qui dicit novi eum, et praecepta eius non etc.) Hoc et iis perpendendum relinquimus, qui Christum crebro iactant, interim tamen verbum eius contemnunt, negligunt, parvi faciunt, vitamque impuram vivunt. Illud inquam perpendendum illis, et quod dicit nullam in eis esse veritatem, nullumque deum.

Qui autem servat sermonem eius, vere in hoc etc.) Repetit superius dicta, non tautologiae vitio, sed ob maiorem claritatem et vehementiam quoque. Quasi dicat: Quemadmodum is mendax est qui de cognitione dei gloriatur, at iussa eius non servat; ita contra qui praecepta eius servat, vere eum novit, societate, amicitia, et foedere iunctus est. Caritas itaque id loci capiatur pro amicitia et coniunctione. Nisi mavelis pro fide accipi, et sensus erit: Et quisquis sermonem eius servat, ille vere fidelis et perfectus est. Figura hysteron proteron.

Per hoc scimus quod in ipso sumus, qui dicit se in eo manere etc.) Per interpretationem aut expolitionem quod dixit repetit, et quod obscurius dixisse videtur clarius effert: nempe per hoc constare nos esse Christianos, si ad eius exemplum vitam nostram instituerimus, et quemadmodum ipse ambulavit, ambulaverimus. Hoc est quod Christus dicit: Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis. Vult enim Christus ut se sui intrepide et fideliter et vita et moribus, hoc est fide, caritate, et innocentia vitae imitentur.

Carissimi, non praeceptum novum scribo vobis, sed praeceptum vetus, quod habuistis ab initio etc.) Praeoccupat obiectionem de suspicione doctrinae novae, adhortatione enim hac sua ad vitae

innocentiam, ac integritatem exemplo Christi, se nihil novi afferre dicit: sed quod fuit ab initio, hoc est, et in lege et prophetis. Tota enim scriptura sacra fidem in unum deum per Christum Iesum tradit, innocentiam et caritatem docet; in duobus enim his praeceptis (inquit Christus) universa lex et prophetae pendent, nempe dilectione dei, et proximi. Non itaque evangelii praedicatio nova et rara profert, quemadmodum a quibusdam hodie invisa redditur, sed ea quae ab aeterno fuerunt.

Rursum praeceptum novum scribo vobis, quod verum est in ipso etc.) Correctione praedicationem Christi doctrinam novam appellat, non ratione lationis, quod noviter sit data, fuit enim ab aeterno, sed respectu Christi exhibiti. Per hunc enim umbrae, et typi qui fuere sub lege et prophetis discussi et antiquati sunt, et veritas atque adeo res ipsa exhibita est. Hunc esse sensum quae sequitur causae redditio comprobat.

Quia tenebrae praetereunt, et verum lumen iam lucet.) Tenebrae inquit praeteriere, et lux vera lucet. Veteres sub lege et prophetis umbras habuisse, nos vero rem et lucem ipsam inquit, nempe Christum exhibitum. Proinde Christi praedicationem novam appellat.

Qui dicit se in luce esse.) Pro umbris dixit exhibitam esse rem umbratam, hoc est, Christum ipsum. Per occasionem itaque argumento a luce sumpto, iterum ad institutum rediens, docet Christianam religionem non solum sinceritate vitae, sed mutua quoque constare dilectione; quam obiter hic perstringit, dicens: Qui in luce, hoc est, Christo esse dixerit, et

Fratrem suum odit.) Hoc est, parvipendit, nihilifacit, rationem eius non habet, illi non succurrit, manum auxiliarem non praebet. Per Miosin enim haec dici putamus.

In tenebris est.) Hoc est, extra Christum est. Quemadmodum enim per lucem Christum, Christique cognitionem intelligit; ita per tenebras caecitatem, perstans in metaphora lucis et tenebrarum.

Scribo vobis filioli etc.) Catastropha esse videtur, qua cuiuslibet homines aetatis commendat, ob doctrinam vetustam susceptam. Nisi mavelis per digressionem, quae supra obiter ad diluendam suspicionem novae doctrinae attulit, hic repetere atque latius et apertius ostendere, novi se nihil proferre, sed vetusta et sacrosancta, atque adeo doctrinae Christi potissima colligere capita, omnibus aetatibus apta et congrua. Et quia per alios omnia ista sunt luce clariora reddita, data opera praetereo, ad eorum explanationem te relegans.

Ne diligatis mundum, neque ea quae in mundo sunt.) A digressione ad institutum redit, per collationem subnectens in quem finem ista dixerit, illativa particula desiderata Hebraico more. Quasi dicat: Quandoquidem deum hunc patrem et filium eius Iesum Christum, qui ab initio cum ipso fuit, cognovistis, mundum et malum hunc vicistis; cavete obsecro ne posthac diligatis mundum. Statim per mundum quid intelligat exponit, dicens: Hoc est, ea quae in mundo sunt, scilicet res mundanas, mundanas quoque concupiscentias, idque virtute synecdoches.

Si quis diligit mundum, non est caritas patris in eo.) Hoc est, si quis sectatur mundana, fidelis et pius non est. Repugnant enim inter se mundus et fides, quam hic per vocem caritatis intelligit; id quod saepius hac Epistola deprehenditur, ut caritas pro fide, fides pro deo accipiatur.

Quoniam omne quod est in mundo etc.) Quod dixit probat, amantem et sectantem mundum fidelem et pium non esse, atque quid per mundum intelligat apertius exponit; nempe impuram vitam, et consceleratam. Tribus enim voculis omnia scelera comprehendit, cum dicit:

Non est ex patre, sed ex mundo.) Vel ad personas vel res referenda esse censeo. Quod si ad personas referas, tunc sensus est, quod qui huiusmodi immerguntur malis, ex deo non sint. At si ad res, hoc est, delicta et scelera referas, haec inquit mala, divina et coelestia non esse, sed mundana; et propterea dicit:

Mundus transit et concupiscentia eius etc.) Argumento ab incommodo sumpto, a concupiscentiis desideriisque carnalibus ac mundanis ad vitae puritatem hortatur. Mundus, inquit, transit et quae eius sunt. Est enim testante Iacobo, Vapori, qui ad exiguum tempus apparet et mox evanescit similis mundus, similis item aquae praetereunti, et id genus rebus aliis vanis.

Qui autem facit voluntatem dei etc.) Contrario membro more suo docet perpetuo victuros qui voluntatem dei sectati fuerint. Voluntatem autem dei facere dicuntur, qui per fidem Iesu Christi illi nituntur, puram item sanctamque vitam ad exemplum Christi vivunt.

Filioli novissimum tempus est.) A terrore iudicii instantis extremi epicheremate sumpto, mundum dissuadet, vitae vero sanctimoniam ac puritatem persuadet ad eamque hortatur. Quasi dicat: Mementote obsecro nos omnes apud tribunal Christi sistendos esse, illiusque voce vel damnandos, vel absolvendos, qui perspicit omnia, etiam intimos et retrusissimos animorum secessus ac cogitationes.

Et sicut audistis quod Antichristus etc.) Obiectionem praeoccupat. Diceret enim quis: Antea non venturum diem hunc credebam extremum, quam venerit Antichristus. Imo Antichristum praeventurum illum hunc diem praedicatione et Christi et apostolorum intelligimus. Verum esse respondit, quemadmodum audistis, Antichristum praeventurum diem hunc dei. At quid, si nunc Antichristum adesse dixero, et si nondum insignem illum, tamen praeambulones eius? Nunc Antichristi enim multi esse coeperunt. Unde colligitur novissimum esse tempus, nec longe hunc dei diem abesse. Per Antichristos omnes dei hostes, doctrinae sanctae obscuratores, salutis tenebriones ac impostores intelliguntur.

E nobis profecti sunt.) In Antichristi tractatione perstat, et quos hic intelligat, de quibusque loquatur vel notatione, vel circumstantia quadam indicat, dicens: E nobis profecti sunt, hoc est, semel in Christi castro versati, sed transfugae facti sunt. Quod vero subdit:

Sed non erant ex nobis.) Per *μετάνοιαν* quod dixit aptissime corrigit; nempe, versatos quidem inter eos esse, nomine duntaxat et

titulo Christianos exstitisse, sed ex eis, hoc est, vere fideles non fuisse.

Nam si fuissent ex nobis, permansissent etc.) Non fuisse ex eis, hoc est, de numero et albo vere credentium, probat natura ingenioque fidei. Tanta enim res fides est, quae, etsi a peccati contagione plane aliena non sit, nonnunquam etiam per infirmitatem labascat, in Christo tamen manet, hunc non deserit, nec ab illo discedit, quanto minus veritatem agnitam abiurat. Quos enim mihi dedisti pater, non perdam ex eis quenquam, dicit alibi Christus. Dormire sane potest sponsa Christi, at cor eius semper vigilat, dicit Salomon Cant. 5.

Sed ut manifesti fierent.) Cur exciderint causam subdit. Huc facit quod in Corinth. Paulus dicit: Oportet esse haereses et sectas inter vos. Ceterum de quibus hic loquatur, quosve perstringat Antichristos Evangelista Ioannes, vel e solo Eusebio videre est.

Sed vos unctionem habetis.) Hisce iam dictis se eos docere non velle, sed admonere potius indicat. Non etiam opus habere se doctore, quando omnia eis alias nota esse inquit, idque doctore spiritu illo sancto, quem promisit dominus noster Iesus Christus, quemque unctio quae fiebat veteri testamento figuravit. Synecdoche est in voce Omnia. Nam ea modo quae scitu sunt necessaria ad salutem consequendam intelligit.

Et quoniam omne mendacium ex veritate non est.) Antichristorum institutum repetit, atque qui sint illi Antichristi praeteritione latius et apertius exponit, idque perpulchra ratiocinatione et syllogismo. Qui mendax est, inquit, ex veritate non est. At qui negat Iesum esse Christum, ille mendax est. Igitur quisquis negat Iesum esse Christum, ex veritate non est. Observandum vero est tropum esse in voce Mendacii et Veritatis. Res enim utrinque pro persona capitur, mendacium pro mendace; veritas pro verace, vero, intégro, solido, deique filio.

Hic est Antichristus.) Nunc se aperit, atque quos mendaces et Antichristos ex veritateque non esse intelligat, exponit. Illos, inquit, qui patrem et filium unum esse negant deum, cum dicit:

Quisquis negat filium, is ne patrem quidem habet.) Amplificatione quod dixit confirmare videtur. Nam quisquis, inquit, negat Christum filium esse dei, is ne patrem quidem habet, qui unus cum filio deus est. Ita quisquis filium habet, et patrem quoque habebit. E contra vero, qui filium non habet, is nec patrem habere dicitur. Quemadmodum faciunt qui hodie vel divinitatem vel humanitatem in Christo negant, utpote, qui non omnem in eo plenitudinem, consummationem et perfectionem, sed aliunde vitam et salutem aeternam quaerunt.

Vos igitur quod audistis ab initio etc.) Post longam Antichristi demonstrationem epilogo particulari adhortationem subdit, qua monet ut in posterum nugis posthabitis, in sana doctrina simplicique veritate, quam apostolorum praedicatione ab initio didicerunt, constanter perseverent, factiosos illos haeresiàrchas non audiant nec admittant. Et hoc facit suo more reiteratione crebra.

Si in vobis permanserit etc.) Quae, qualisque fuerit praedicatio

apostolorum, quam audiverant ab initio, hic Ioannes aperte ostendit, nempe de cognitione dei patris et filii eius Iesu Christi. Nam inquit: Si in iis, quae ab initio ab apostolis audivistis perstiteritis, et in patre et filio eius permanebitis. Persuasio est ab honesto.

Et haec est repromissio quam etc.) Argumento ab utili, quid praemii perseverantes in veritatis doctrina pura et simplici recepturi sint, non opes videlicet et voluptates huius mundi, sed vitam aeternam, commonstrat.

Haec scripsi vobis.) Quare tam sollicitus tamque pluribus ista agat refricet et inculcet, suo more repetendo indicat. Nempe, ut caveat, ne quem illorum simplicem et imprudentem, seductores et impostores illi impii (quos iam pullulare et prodire spectabat) praestigiis suis seducant. Id quod officii episcopi et speculatoris Christi fidelis est, nempe gladium venientem indicare, quemadmodum dicit propheta.

Et unctio quam vos accepistis ab eo manet in vobis.) Ab impostoribus dehortatur monetque ut unctionem sectentur acceptam, hoc est, spiritum sanctum audiant, illi auscultent auremque praebeant, quem acceperint a Christo promisso. Quod si factum fuerit, iam non opus esse ut alios sibi doctores asciscant, ille enim edocturus sit eos omnem veritatem. Atque ita occulta antithesi a doctoribus pseudapostolis solum dehortatur, non a praedicatione et prophetia sancta, hanc enim ut sectentur et monet et hortatur. Proinde quum dicit: Spiritum hunc esse veracem, neque mendacium in eo esse ullum, facile patere puto hoc non de quolibet fanatico aut melancholico, sed de spiritu illo sancto verace, et infallibili intelligi posse, quem Christus dicit nobis vera et infallibilia traditurum, qui etiam semper nobiscum permansurus sit.

Et nunc filioli manete in eo, ut cum apparuerit etc.) A iudicii extremi horrore et metu, quemadmodum solet fieri in epilogo, epicheremate sumpto, hortari videtur ut perseverent in doctrina ac religione illa vera, sancta et simplici. Nisi post digressionem tu mavelis esse reditum ad institutum, nempe ad adhortationem morum vitaeque innocentiam.

Si scitis quod iustus est, scitote, quod omnis qui facit iustitiam, ex ipso natus est.) Redire videtur ad institutum et quam pulcherrima inductione docere, eos demum Christianos qui innocentiae studeant atque factis illud comprobent; contra vero fucatos esse eos qui ore quidem Christum confitentur, factis vero negant. Vel a consequentia argumentum sumptum est. Nam si deus iustus est, necessario sequitur ex deo natum, hoc est, fidelem quoque iustum esse. Quod diligenter perpendendum nobis est hodie, qui multa quidem garrimus de deo, iustitia et cognitione eius, interim tamen impie et sceleratissime vivimus.

CAPUT III.

Summa capitis. Hortatur ad vitae sanctimoniam et caritatem fraternam mutuam.

Videte qualem caritatem dedit nobis pater etc.) Argumento

a commendatione dilectionis dei sumpto atque adeo epiphonemate quodam vitae puritatem, studium proximorum, mutuamque caritatem statuere ac plantare conatur. Quasi dicat: O deus, quanta haec dilectio est, quanta beneficentia, quamque excellens beneficium, quod deus voluit nos multis modis miseros, maledictos, damnatos, suos appellari filios. Quod si filii eius, ergo ipse nobis pater est, nosque haeredes illius sumus.

Propter hoc mundus non novit nos etc.) Ad tacitam obiectionem respondere videtur, obiiceret enim ad mox dicta aliquis: Appellamur quidem nos qui credimus filii dei, interim tamen acerrimo odio persequutionem patimur, multisque afficimur malis a mundo. Verum, inquit Ioannes, esse scio quod dicis, non enim non potest odio prosequi vos mundus si puram vitam sanctamque vivere perrexeritis. Nam quae eius sunt novit ac adamat, deum vero et quae dei sunt odit et fastidit. Huc facit quod Christus dominus noster dicit Ioan. 15. et 16. et illud Pauli: Omnes qui pie vivere volunt, oportet persequutionem patiantur.

Carissimi, nunc filii dei sumus, et nondum apparuit quod futuri sumus.) Ne mundi contemptus quenquam offendat, subdit fortissimam consolationem, qua ad malorum tolerantiam spe futurae gloriae hortatur. Comparatione a minore ducta, afflictiones inquit praesentis temporis impares esse, si conferas ad gloriam futuram credentibus olim revelandam.

Scimus autem quoniam si apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.) Quae vero sit ista gloria, qui qualesque futuri simus exponit. Morientes, inquit, ei similes erimus, hoc est, malis omnibus exuti et liberati, eadem felicitate et gloria fruemur cum Christo nostro, id quod liquet vel ex Christi dicto, dicentis: Volo pater, ut ubi ego sum, illic sit et minister meus.

Et omnis qui habet hanc spem in eo, purificat se, sicut et ille purus est.) Ad institutum rediens, quomodo quibusque indiciis homines huiusmodi spe et fiducia praediti deprehendantur indicat. Quotquot inquit, illius gloriae consortes sese sperant, ab omnibus huius mundi inquinamentis sese purificant, ad exemplumque dei ab omnibus malis abstinent. Non enim ignorant neminem illi nisi purum cohabitare posse. Quod diligenter perpendendum est nobis qui Christianos nos praedicamus, omni tamen impuritate indies inquinamur et polluimur.

Omnis qui committit peccatum, idem et iniquitatem committit, et peccatum est iniquitas.) Non satis purum esse dicit eum qui ab iniquitate, hoc est, sceleribus et flagitiis enormibus alienus est, ita ut neque lege Mosis, neque civili in eum animadverti queat, sed quamlibet etiam immunditiam detestari deum, animique vitium, concupiscentiamque omnem malam, peccatum esse ait apud eum. Quare Christianus, et qui vitam credit aeternam, non solum studiosus est, ut flagitia quaeque et scelera caveat; sed ut animi vitia quoque vitet. Atque ita vel respondere videtur iis, qui quum flagitia et scelera omnis generis non patrant, iustos se et puros esse praedicant; aut confutare eos qui sceleribus suis blandientes, seque sanctimoniae titulo venditantes

omnia crimina, delicta et peccata, vel infirmitatem, vel errorem, aut vitium appellitant. Ad quem sensum quae sequuntur faciunt.

Et peccatum est iniquitas.) Quod dixit probare videtur, nempe impuritatis vitae perseverantiam, meram iniquitatem esse, et nequaquam pro errore et infirmitate accipi posse.

Et scitis quod ille apparuit ut peccata nostra tolleret etc.) A causa incarnationis Christi argumento sumpto, institutum ac propositum suum urget, hoc est, ad vitae puritatem adhortatur. Non solum in hoc inquit Christum venisse, ut morte sua auferret peccata nostra, quo licentius per omnem vitam peccemus, sed ut sanctificati, hostiaque corporis eius expiati ei similes simus, doctrinae puritate, fidei virtute et efficacia indies a peccatis nos expurgemus.

Omnis enim qui in eo manet, non peccat) Natura et ingenium credentium probat vere pios et fideles non peccare, id est, nullo peccato, nulla impuritate et immunditia haerere ac perseverare, sed quam primum ac impegerint, protinus retrahere pedem.

Omnis qui peccat non vidit eum, nec cognovit eum.) Hoc est, qui in sceleribus, delictis, vitae impuritate perseverat, deum non vidit, hoc est, in illum non credit, nec novit etiam. Metaphora ab externo ad internum.

Filioli mei nemo vos seducat.) Ne seduci se et ab hac regia abstrahi patiantur, docentemque diversa ne admittant, hisce verbis monet. Hoc semel esse verum dicit, quod:

Qui exercet iustitiam, iustus est, sicut et ille iustus est.) Perelegante antithesi qui simus, effectu constare docet. Nam qui iustus est, inquit, imitatur vita sua deum iustum. Contra, qui peccat, hoc est, perseverat, perstatque in sua malitia, utcunque magnifice de deo loquatur, tamen ex deo non est, sed ex diabolo. Non enim in sermone esse regnum dei, sed in virtute inquit Paulus.

Quoniam ab initio diabolus peccat.) Quare ex diabolo esse dicatur, probat. Quemadmodum enim, inquit, deus iustus est, iustitiae et sanctimoniae pater, ita diabolus omnis iniquitatis autor in scriptura dicitur.

Ad hoc apparuit filius dei, ut dissolvat opera diaboli.) Christi incarnationis causam repetit, planiusque exponit. Non solum inquit apparuit Christus, ut peccata auferret, quemadmodum supra dictum est, sed ut dissolvat opera etiam diaboli, hoc est, ut diabolus huius mundi princeps foras e castris et consortio fidelium propellatur ac eiiciatur. Opera diaboli quid aliud sunt, quam omne quod pugnat cum veritate? Quorum nihil committit is qui filius dei est. Nam

Omnis qui natus est ex deo, peccatum non committit.) Repetit ac refricat clariusque exponit quod iam saepius dixit, nempe, in deo manentem non peccare, causamque reddit, dicens:

Quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare.) Argumento a natura seminis, id est regni dei sumpto, impossibile esse inquit, ut ex deo natus peccet. Quemadmodum enim quodlibet natum, naturam sui seminis refert de quo natum est (urtica enim non rosae, sed urticae de qua nata est naturam refert) ita homo ex deo et verbo

eius qui natus est, non potest non referre naturam dei et verbi eius ex quo natus est. Proinde deus iustus et purus est, natus igitur ex eo purus sit, consequens est.

In hoc manifesti sunt filii dei et filii diaboli.) Per epilogum de puritate vitae, quae hactenus dixit, iam colligit, atque factis constare dicit dei ne an diaboli filii simus. Quemadmodum enim filii diaboli iniustitia et iniquitate patrem suum referunt; ita filii dei deum patrem suum sanctimonia vitae exprimunt.

Qui non diligit fratrem.) Nunc ad alteram Epistolae suae partem, videlicet caritatem, dilectionemque mutuam aptissime et mira arte transit. Unica enim sententia utrumque membrum complectitur, alterum ut seponat, alterum vero ut explicandum resumat. Eum quem Christus in Evangelio Lucae per vocem Proximi intelligit, hunc Ioannes hic appellat fratrem.

Quoniam haec est annunciatio quam audistis ab initio, ut diligatis vos invicem.) Quod dixit probat vetustate doctrinae legis, prophetarum et Christi; nempe, non solum vitae puritatem notam esse veri Christiani hominis filiique dei, sed et caritatem mutuam. Ita enim dicit dominus: Magis placere sibi misericordiam et iudicium quam victimas. Et huc facit quod Christus dicit Ioan. 13. In hoc cognoscent quod discipuli mei sitis, si caritatem habueritis inter vos mutuam.

Non sicut Cain ex illo malo erat et occidit fratrem.) Uno exemplo utriusque et dei et diaboli filios complectitur, illosque ab effectu commonstrat. Ceterum non caret emphasi, quod dicit: Cain ex illo malo natum; diaboli enim indicat esse filium, id quod factis comprobavit, occidit enim fratrem suum.

Et propter quid occidit eum? quia opera eius etc.) Ne quis iusta causa occisum esse Abel suspicetur, non solum caedis causam reddit, sed et innocentiam Abelis filii dei commonstrat. Propterea, inquit, quod opera eius, id est, ipse (ut res pro persona accipiatur) malus erat, frater vero iustus.

Ne miremini fratres mei si odit vos mundus.) Argumento a temporis circumstantia sumpto, afflictos ob pietatem et iustitiam animos relevare videtur. Ne miremini, inquit, si hodie impietas contra pietatem insurgit, cum statim ab initio mundi idem et in fratribus factum esse constet.

Nos scimus quod translati sumus de morte ad vitam.) Comparatione a minore atque adeo spe gloriae vitaeque aeternae consolatur eos. Mundum, inquit, vitam non nisi praesentem, aeternam nequaquam adimere nobis posse, de hac enim certi sumus.

Quia diligimus fratres.) Hoc est, vere credimus, uni et soli deo fidimus, in quem unice omnem nostram fiduciam ac spem merito Christi ponimus. Cuius signum et indicium certum est caritas mutua erga fratres et proximos. Figura itaque hysteron proteron, vel tropo synecdoches, dilectionem pro fide accipit, et hoc propter continuationem disputationis de caritate. Per hoc enim quod subdit:

Qui non diligit fratrem manet in morte.) Antithesi membroque contrario, quorum res et negotium magis deploratum et periculosum

sit, indicat. Horum, inquit, qui non fidem suam signo fidei, caritate videlicet, comprobant.

Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.) Enthymemate non inelegante quod dixit probat, nempe manere in morte eum qui odio premat fratrem suum. Atque ita non solum Cain homicidam, illiusque mali, hoc est diaboli filium esse docet, sed et omnem eum qui odio gravat fratrem suum, hoc est, negligit, reiicit, contemnit, spernit, et hostili quodam, et amaro animo affectus est erga eum. Hinc tropo auxesi homicidam esse dicit Evangelista Ioannes hoc loci, quemadmodum et Christus proximi uxorem cupientem adulterum, neque habere etiam

Vitam aeternam in se manentem.) Odire fratrem, hominis impii mentisque incredulae ac parum fidelis signa et indicia esse affirmat. Nam si quis odit fratrem, illumque vel caedit, vel contumelia, molestia, iniuriaque afficit, animo qualis et qui sit prodit, prophanus videlicet et impius.

Per hoc cognovimus caritatem etc.) Quaerenti quomodo diligendus sit proximus, hic per occupationem respondet Evangelista, dicitque ad exemplum Christi, quem imitandum hic nobis proponit per omnia exemplar absolutissimum.

Qui vero habuerit substantiam mundi, et viderit fratrem etc.) A comparatis argumento sumpto caritatem dei in illo non esse atque adeo non etiam Christianum convincit, qui opes, divitias terrenas proximo suo egeno denegat. Quum enim homo, inquit, Christi exemplo pro fratre vitam exponere debet, multo magis huius mundi substantias. Si quis igitur substantiam huius mundi habet, sed nulla commiseratione afficitur erga proximum, non in illo caritas dei, nulla etiam fides est.

Filioli mei, ne diligamus verbo etc.) Epiphonemate monet et adhortatur, ne verbo, sed facto, non lingua, sed re ipsa dilectionem mutuam exhibeant.

Per hoc cognoscimus quod ex veritate sumus.) Argumento ab utili et honesto sumpto, dilectionis ac caritatis Christianae enumerat bona, atque quid utilitatis, vere et recte diligentes percipiant, exponit. Fructum et utilitatem primam esse inquit, quod diligendo proximum nos vere credere deique filios esse comprobamus.

Et in conspectu eius suadebimus cordibus nostris.) Utilitas et fructus quem vere diligentes assequentur secundus is est, quod iudicio extremo conspectu dei non exhorrescent, neque haesitabunt, quod tranquillam, bene pacatam ac securam habituri sint conscientiam, cui nihil voluptuosius ac iucundius homini in hoc saeculo esse potest.

Quoniam si condemnet nos cor nostrum etc.) Aetiologia sive probatio eius esse videtur quod dixit. Nam si quis sibi male conscius, conscientiaque si quem mali redarguit ipsum, hominem quidem illud celare potest, sed non deum, qui corde maior est omniaque novit. Atque ita antithesi cordium cognitorem scrutatoremque deum facit, quem nihil lateat, quemque nemo quicquam celare possit. Et quemadmodum bene sibi conscii non solum hic in pace vivunt, sed et securi tribunal Christi exspectant; ita et conscientiam multorum scelerum mole

depressam habentes, pace hic carent, stuporeque magno diem hunc domini exspectant. Quod attendendum hypocritis et fucatis hominibus.

Carissimi, si cor nostrum non condemnet nos etc. Et quidquid petierimus, accipimus ab eo.) Hoc est, si conscientiae nostrae bene convenit cum deo, ut quae omnia recte et absque fuco et simulatione peregit, hanc certitudinem habemus, quod nullam petitionem nobis denegaturus est. Qui sane caritatis verae fructus tertius est.

Quoniam praecepta eius custodimus etc.) Cur omnia a deo petita vere diligentes accipere affirmet, causam reddit: Quod praecepta, iussa et beneplacita eius servent, custodiant et perficiant.

Et hoc est praeceptum eius, ut credamus etc.) Ne quis desideret, et de quo praecepto loquatur ambiat, statim subdit, atque illud praeceptum dei esse de quo loquatur, inquit: Ut credamus nomini filii eius Iesu, nosque mutuo diligamus exemplo Christi. Universam itaque legem in capita duo contraxit, in fidem, qua agimus cum deo; et caritatem, qua inservimus proximo.

Et qui servat praecepta eius in illo manet, et ipse in eo.) Duobus notis nos filios dei atque adeo vere Christianos esse constare inquit, nempe praeceptorum eius custodia, et spiritu sancto contestante in conscientia nostra. Quod perpendendum iis relinquimus, qui hodie inventis et institutis suis humanis deo servire et placere cupiunt.

CAPUT IV.

Summa. Post probationem spirituum ad institutum redit, hoc est, ad intermissam caritatis stimulationem, pseudoprophetarum admonitione inserta.

Carissimi, ne cuivis spiritui credatis, sed probate spiritus an ex deo sint.) Occasione ex fine cap. 3. sumpta, ad probationem spirituum digreditur, monetque ne cuivis spiritui credant, esse enim spiritum malum et mendacem. Per spiritum dogma et doctrinam intelligens.

Quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum.) Cur sibi caveant, neve omni spiritui credant, omneque citra delectum dogma recipiant, causam reddit, inquiens: Multi enim causa esse coeperunt, de quibus cap. 2. et infra plura. Quod vero dicit:

Per hoc cognoscite.) Quomodo probandi sint spiritus, hoc est, dogmata et doctrinae an ex deo an hominibus sint, ne quis obiiciat aut quaerat, modum inquirendi ac regulam praescribit, dicens:

Omnis spiritus qui confitetur.) Hoc est, quisquis profitetur Iesum Christum verum filium dei hominem factum, suaque morte nos ab aeterna morte redemisse, deo patri reconciliasse, atque adeo redemptorem nostrum unicum et perpetuum esse affirmat, probe et sancte is profitetur et praedicat, doctrinaque huius sincera, sana et ex deo est.

Et omnis spiritus qui non confitetur etc.) Contra dogma quod contrarium et diversum asserit, utpote quod Christum et deum et hominem verum esse negat, et quod salutem merito, iustitiae humanae, humanisque institutionibus tradit, ex deo non est, sed doctrina spiritus impostoris.

Et hic est ille spiritus.) Quae superius cap. 2. de Antichristo dixit, repetit, exemplique vice ponens, dilucidius exponit. Cum Apostolo et Evangelista Ioanne et Eusebius testatur, Antichristi, et pseudoprophetae quando prodierint, esse coeperint ac viguerint. Per hoc quod dicit:

Vos ex deo estis filioli, et vicistis eos.) Commendare videtur eos a constantia et perseverantia in veritate doctrinaque spiritus sancti simplici. Ac si dicat: Sunt quidem, ut dixi, in mundo Antichristi multi, sed nihil apud vos poterunt, imo vicistis eos.

Quoniam maior est qui in vobis est, quam qui in mundo.) Ne suis illud adscribant viribus, sed donum dei esse cognoscant, sollicite monet. Quod vicistis inquit, non vobis vestroque robori sed deo deique auxilio acceptum referatis. Ille enim vobis adfuit, et iuxta suam promissionem vos custodivit, et minime mundana et carnalia docentibus aurem praeberetis praecavit.

Ipsi e mundo sunt, ideo e mundo loquuntur, et mundus eos audit. Nos ex deo sumus. Qui novit deum, audit nos; qui non est ex deo, non audit nos.) Praeoccupat obiicientem multitudinem sectantium doctrinam pseudapostolorum, paucitatem vero Christianorum, aptissimaque antithesi causam utriusque reddit, dicens: Ipsi e mundo sunt inquit, hoc est, mundana, terrena, carnalia, carnique plausibilia, hominumque inventa docent: Mundus igitur qui huiusmodi delectatur, amplexatur eos. At doctrina Christi et apostolorum quae ex deo est, divina et coelestia tradit, neminem nisi divinum et coelestem habet auditorem. Nam qui ex deo est, inquit Christus, verbum dei audit.

Per hoc cognoscimus spiritum veritatis, et spiritum erroris.) Per epilogum negotium probandorum spirituum concludere videtur. Quasi dicat: Haec de modo, rationeque cognoscendi spiritum erroris et veritatis dixerim.

Carissimi, diligamus nos invicem, quia caritas ex deo est.) Redit unde digressus est, ad caritatis videlicet continuationem; illumque cognoscere deum, hoc est, vere fidelem esse docet, qui eundem amorem proximo suo exhibet, quo ipse a deo dilectus est. Quod caritatem ex deo esse ait, argumento a causa efficiente facit; quod vero deum appellat caritatem, figura auxesi fit.

In hoc apparuit caritas dei, quod filium suum unigenitum misit deus in mundum, ut vivamus per eum.) Quod dixit ab effectu probat, nempe deum non solum esse causam efficientem caritatis, sed caritatem ipsam. Id quod per hoc comprobavit, quod filium in mundum nobis misit, ut per ipsum vivamus.

In hoc est caritas, non quod nos dilexerimus deum, sed quod ipse dilexit nos, et misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.) Amplificatione ab effectu probat dei erga nos caritatem, atque adeo caritatem ipsam esse deum. Nam quod dedit filium suum, inquit, nulla alia ratione factum est, quam quod dilexit nos. Nemo enim mortalium apud deum illud promeruerat, sed mera sua dilectione filium hunc suum misit et dedit. Quod Papistica audacia de merito arbitrioque humano oggannit, quam sint frivola, vana, et mera mendacia

ex praesenti loco conspicitur. Deus enim sua gratia filium suum misit, qui gratia nobis quoque apud deum factus est. Nam quod dicit:

Propitiationem pro peccatis factum.) In mundum missum et datum esse quid sit exponit. Nempe vitam, salutem, ac redemptorem unicum nostrum esse apud deum perpetuum.

Carissimi, si sic deus dilexit nos, et nos debemus nos mutuo diligere.) Epilogi vice ista poni videntur, ad institutum enim quod dixit summatim hic colligit et aptat. Nempe, ut exemplo dei nos mutuo diligamus, non modo substantiam impartiendo huius mundi, sed et mortem quoque obeundo.

Deum nemo vidit unquam. Si diligamus nos invicem, deus in nobis manet, et caritas eius perfecta in nobis est.) Quod dixit deum esse caritatem caritateque illum imitandum, mutuoque sese diligentes in deo, et deum in ipsis esse, ne quis hinc corporeum aut visibile quippiam in deo statuat aut esse cogitet, dicit se istis omnibus non velle ut quisquam intelligat deum vel visibilem vel corporeum, imo verum esse quod scriptum est: Deum a nemine mortalium unquam conspectum esse. Quod prophetis deus visus dicitur, forma et specie assumpta illud factum esse nemo dubitat. Sed illud se velle: Quod

Si dilexerimus nos invicem, deum in nobis manere.) Hoc est, per caritatem deum invisibilem et incorporeum nobis uniri, mutuoque sese diligentes foedere et societate illi iunctos et nexos esse. Nec fieri posse ut ii non se mutuo diligant. Nam:

Caritas perfecta est in eis.) Hoc est, ad operandum, efficiendumque instructa et apparata est, ita ut non possit non operari, vimque suam exerere, Germanice: Zu oder angrüſt zeſchaffen vnd zewürcken. Est itaque quemadmodum saepius iam dictum, certissimum amicitiae, foederis et coniunctionis dei signum, dilectio et caritas Christiana mutua.

Et hoc cognoscimus quod in eo manemus et ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis.) Nos in deo manere deumque in nobis, quemadmodum dixit, et quomodo illud fiat, aperte exponit atque dicit. Non corporali, aut carnali, sed spirituali modo, illamque coniunctionem, et unionem solum piis notam esse, idque per spiritum quem acceperunt a deo sanctum.

Et nos vidimus et testamur, quod pater misit filium servatorem mundi.) Quod de incarnatione Christi dixit, hic repetit, et hoc propter pseudapostolos, qui Christum in carnem venisse, id est verum filium dei et hominis esse negabant. Neque obstare quo minus sit dei filius Christus, quod scriptum esse dicit, deum a nemine unquam conspectum esse mortalium; humanitatem enim et carnem Christi, nequaquam divinitatem eius esse visam inquit.

Quisquis confessus fuerit, quod Iesus est filius dei, deus in illo manet et ipse in deo.) Hoc est, qui firmiter et certo crediderit Iesum esse Christum, atque adeo filium dei, in illo manet deus, et ipse in deo, hoc est, vere fidelis est, deumque sibi praesentem semper, propitium, beneficum, et benignum habet. Nec satis esse indicat homini fideli et vere religioso, ut deum solum confiteatur, sed necesse esse

quoque confiteri Iesum esse Christum, hoc est, firmiter et certo credere filium esse dei, iustitiam, salutem, redemptorem unicum nostrum, quemadmodum superius dictum est. Id quod perpendendum damus iustitiariis nostris, qui extra Christum hodie salutem quaerunt.

Et cognovimus et credimus caritatem, quam habet deus in nobis.) Nec solum de fide in Iesum Christum manifesta et comperta se docere inquit, sed et certa, et veracissima etiam esse ait, quae de caritate tradit. Nempe, quod deus caritas sit, et qui in caritate manet, in deo quoque maneat. Nam:

Deus caritas est, et qui manet in caritate, in deo manet, et deus in ipso.) Quod dixit probat, deum appellans esse caritatem. Omnis igitur qui manet in caritate, hoc est impense et flagrantissime amat, in deo esse atque manere, hoc est, vere fidelem esse oportet.

In hoc perfecta est nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicii, quod sicut ille est etc.) Caritatis nomine totam religionem, tropo Synecdocha complectitur, atque ad quid conducat commonstrat, nempe ad consequendam vitam aeternam. Argumento ab utili sumpto, regnum dei hic incipere testatur; pios enim dum hic sunt, deo frui dicit, id quod solum illis notum est, quorum mens amore dei flagrat.

Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras eiicit timorem.) Timorem accipi pro desperatione, caritatem vero pro fide certaque fiducia dei, ex contextus circumstantiis manifeste liquet. Ait enim pios et fideles de salute vitaque aeterna non diffidere, neque desperare, sed certos esse. Atque ita quod supra de fiducia perfectae caritatis dixit, hic probat.

Qui autem timet non est perfectus in caritate.) Membro contrario indicat eum caritate perfectum, hoc est pium, vere fidelem non esse, qui de vita aeterna dubitat.

Nos diligimus, quoniam ipse prior dilexit nos.) A comparatis colligit atque dicit nihil magni nos praestare, si deum dilexerimus, quod prior nos non etiam simpliciter, sed ardentissime dilexit. Nisi argumentationem ab efficiente mavelis esse, ut caritatem non a nobis, sed ex deo habere nos affirmet, vimque dilectionis esse spiritum sanctum.

Si quis dixerit, diligo deum, et fratrem suum oderit, mendax est.) Per occupationem hic iis qui summam dei cognitionem, eiusque ardentissimam dilectionem multis iactitant, proximum tamen odiunt, negligunt, rationemque eius nullam habent, respondet atque dicit, nec esse veram dei cognitionem nec dilectionem, si proximus oditur. Dilectionem enim dei et proximi ita unitam, adeoque inter se cognata esse inquit, ut neutra sine altera esse queat.

Qui enim non diligit fratrem suum quem vidit, deum quem non vidit, quomodo potest diligere?) Per comparationem quod dixit probat, illum scilicet deum non diligere, cuius caritas erga proximum non spectatur.

Et hoc habemus praeceptum ab eo, ut qui diligit deum diligat et fratrem suum.) A pronunciatis idem confirmat. Est enim haec summa legis, et prophetarum inquit, ut deum et proximum diligamus, et qui deum diligat, proximi dilectione illud comprobet necesse est.

CAPUT V.

Summa. De fide disserit in Iesum Christum, quem probat verum esse Christum atque adeo filium dei, fideique vim et effectum ostendit.

Omnis qui credit Iesum esse Christum, ex deo natus est.) Fidei summam et caput esse dicit, ut credamus Iesum esse Christum, hoc est Moschiam hunc dei promissum, pro peccatis nostris hostiam et expiationem, atque adeo redemptorem nostrum perpetuum factum. Quisquis ex animo illud confitetur, a deo doctus, fidelis, atque adeo filius dei a Ioanne esse dicitur.

Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit et eum qui natus est ex eo.) Similitudine ab humano more sumpta, non posse fieri inducit, ut fidelis a deoque natus, et deum deique filium, id est, proximum suum non amet. Inter homines enim hoc, inquit, fieri videmus, quod si quis patrem diligit, filium quoque eius amet. Quod si homo erga hominem hoc facit, multo magis fidelis erga deum et filios eius. Vim itaque, et effectum verae fidei exprimit. Non esse vanam opinionem sed virtutem efficacem.

In hoc cognoscimus quod diligamus filios dei, cum deum diligimus et praecepta eius servamus.) Dilectionem dei notam ponit, qua vere cognoscitur utrum filios dei diligamus nec ne. Si, inquit, deum diligimus, et filium eius diligamus necesse est. Et ne quis ambigat, dilectionis quoque dei notam ponit, nempe praeceptorum eius custodiam. *Καὶ*, et, hoc loco enim expositivum. Per hoc quod sequitur.

Haec est enim caritas dei, ut praecepta eius seruemus.) Confirmationis loco subiicit. Quasi dicat: Is modus est, et ratio qua diligitur et amatur deus: Si praecepta eius servantur. Cultum itaque dei verum paucis perstringens hunc esse inquit, nempe praeceptorum eius custodiam.

Et praecepta eius gravia non sunt. Quoniam omne quod natum est ex deo, vincit mundum.) Praeceptorum difficultatem obiicienti respondet, atque dicit gravia non esse, sed facillima. Cui vero facilia sint, per redditionem causae, quam subdit, exponit dicens:

Omne enim quod natum est ex deo, vincit mundum.) Non cuilibet, sed ex deo nato, hoc est fideli (is enim ex deo natus esse dicitur) difficilia et gravia non esse dicit praecepta dei, eo quod mundum vincat.

Et haec est victoria quae vicit mundum, fides vestra.) Qua virtute et efficacia fidelis mundum vincere dicatur, commonstrat. Nempe per fidem, fides enim vis, virtus, et potentia illa est, qua mundus, hoc est studium malarum rerum, et concupiscentia vincitur, et supprimitur. Verae ergo fidei virtus et effectus manifestissime hic exprimitur. Non otiosam esse iudicatur, sed mundo et quae eius sunt sese opponere.

Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quod Iesus est filius dei.) Quem vere fidelem mundique victorem esse cognoscat, exponit cum inquit: Qui credit Iesum esse Christum filiumque dei.

Aptissime itaque fidei virtute absoluta, et quam non sit vana opinio fides, sed virtus viva et efficax demonstrata, per occasionem ad institutum transit, nempe Iesum esse Christum comprobaturus, dicens:

Hic est qui venit per aquam et sanguinem, Iesus Christus.) Iesum esse Christum, hoc est promissum Moschiam, atque adeo mundi redemptorem ac servatorem, testimoniis tribus validissimis comprobat. Quod primo loco ponit testimonium, aquam esse dicit, qua nos baptismum Christi, atque omnia quae Christo baptizato iuxta Iordanem contigere, virtute Synecdochae intelligimus. Eadem ratione per sanguinem, non eum solum qui e latere Christi mortui in cruce lancea perfosso effluxit, sed quicquid circa crucem Christi miraculosum evenit, interpretamur. Ceterum spiritus sancti nomine, nec modo apparitionem illam, qua specie columbae e coelo veniens, super caput Christi baptizati consedit, sed et miraculum, quo Pentecostes die apostoli spiritu sancto accepto, variis loquebantur linguis, comprehendimus, et virtutem illam omnem quae se postea exeruit in ecclesia. Haec inquam testimonia esse dicit certa vera et indubitata, quibus Iesum esse Christum ostendit ac comprobat.

Quoniam spiritus est veritas.) Testimonium spiritus sancti non sine causa urget. Manifestius enim erat, quam ut a quoquam negari posset. Omnibus enim linguarum miraculum constabat, et operabatur indies magis, magisque.

Quoniam tres sunt qui testimonium dant, spiritus, et aqua, et sanguis.) Alludens ad morem non modo legis divinae, sed et gentium cunctarum, quo firmum esse creditur negotium omne ad contestationem duorum aut trium, rem dubiam se testimoniis certis tribus, aqua videlicet, sanguine, et spiritu sancto, adprobasse asserit et affirmat.

Et hi tres unum sunt.) Nec diversa aut contraria, sed idem testatos esse, omniumque testimonia consentire, et in idem recidere, dicit.

Si testimonium hominum accipimus, testimonium dei maius est, quoniam hoc est testimonium dei quo testificatus est de filio suo.) Per comparationem a minore subductam, quod dixit confirmat. Quod si inquit humano testimonio fides habetur, multo magis divino credendum est. Atqui deus manifeste testatur hoc quod volumus ac dicimus, nempe Iesum esse Christum, atque adeo filium dei: Filius meus enim inquit, es tu, in quo mihi complacitum est, Matth. 3.

Qui credit in filium dei, habet testimonium in se ipso. Qui non credit deo, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est deus de filio suo.) Qui testimonio dei fidem habere, illique credere, et qui minus Antithesi (more suo) aptissima commonstrat. Qui credit in filium dei, inquit, ille testimonium dei approbat, deumque veracem credit. Contra vero, qui non credit Iesum esse vitam et salutem nostram, deum mendacii redarguit; quemadmodum faciunt omnes, qui aliunde quam morte Christi semel peracta, salutem quaerunt.

Et hoc est testimonium, quod vitam aeternam dedit nobis deus.) A commodo causaque finali docet atque exponit, quid nam

testimonium hoc de filio dei nobis conferat, et ad quid conducat. Illud, inquit, commodi habet, quod pollicetur nobis vitam aeternam.

Et haec in filio eius est.) Notanter dicit: In filio eius. Unicum enim medium est Iesus Christus filius dei, quo generi humano coelestis pater placatur, ac reconciliatur, quemadmodum vox patris coelitus testatur, Matth. 3.

Qui habet filium, habet vitam; qui non habet filium dei, vitam non habet.) Hoc est, quisquis illi unice credit, et tanquam unico mediatori innititur, vitam habet aeternam; qui vero illi non fidit, vita carebit aeterna. Brevia sunt haec, sed luce clariora, testantia unicum esse medium inter deum et hominem Iesum Christum, illumque nostrum fore, non manducatione aut esu carnis eius substantiali, carnali, ac reali, sed per fidem.

Haec scripsi vobis, qui creditis etc.) Epilogus epistolae esse videtur universalis, quo non solum omnia quae per totam epistolam disputavit, ordine repetit, sed et causam scriptae epistolae quoque reddit. Nempe, ut credentes in Iesum Christum confirmet, certosque de salute reddat. Et hoc propter impios impostores antichristos, qui praedicationem Christi puram et simplicem iam iam obscurare coeperant. Ne illos audiant, seque a vero abducere patiantur fideliter monet, sed ut credere pergant in nomen Iesu Christi filii dei, adhortatur.

Et haec est fiducia quam habemus apud eum.) Quod supra de intercessore et advocato Christo apud deum unico disseruit, hic repetit; certosque esse ait de divina voluntate, et quod venientium ad se neminem reiiciat deus, sed petentes omnes exaudiat. Modo

Secundum voluntatem eius petierimus.) Hoc est, saluti aeternae non adversa, et omnia per Iesum Christum. Non enim nisi sancta et bona suis dat deus, nec illa etiam nisi propter Christum filium eius. Quicquid enim petieritis patrem meum, inquit Christus, dabit vobis. Secundum itaque commodum in Christo nobis collatum, Evangelista hic exponit, nempe patrem petentes in nomine eius exauditurum.

Et si scimus quod audit nos quicquid petierimus, scimus etc.) Non solum exaudire, sed et petita quoque praestare dicit. Quae si non praestat, indicium esse certum, secundum voluntatem eius non esse petita. Atque ita anapodoton, hoc est, sententia inabsoluta resarcita est.

Si quis viderit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem etc. Est peccatum ad mortem etc.) Ab exemplo demonstrare videtur quid secundum voluntatem dei, aut secus petere dicatur. Peccata numero triplicia sunt: Originale dicitur, malum omnibus hominibus a natura innatum, propter quod homo nec deum aestimat, nec proximum amat, sed sui solius studiosus est. Actuale vero dicitur in quod homo per infirmitatem carnis victus labascit; interim tamen deum non reiicit, aut veritatem eius contemnit, nec illi reclamat. Pro huiusmodi homine inquit, orans, vitam impetrabis ei apud deum, quod scilicet per poenitentiam resurgat, vitamque in melius mutet. Est et peccatum ad mortem, quod haud aliud esse dicimus quam perfidiam, aut incredulitatem, a Christo appellatum peccatum in spiritum sanctum. Pro quo ut roges

deum, frustraneum esse dicit apostolus, quod nihil precibus tuis apud deum pro perfido et impio effusis, efficies.

Scimus quod omnis qui ex deo natus est, non peccat.) De quo hic loquatur peccato expositione subiecta exponit Apostolus. Nempe de peccato ad mortem, hoc est, de perfidia et incredulitate. Peccamus enim omnes, et in multis offendimus omnes, sed piorum delicta non solum purgantur fide, sed fide etiam sese custodiunt, ne malus ille daemon eos attingat, hoc est, vincat, et supprimat. Miosis enim est in verbo Tangere. Et hic refricat quae supra cap. 3. dixit.

Scimus quod ex deo sumus, et mundus totus in malo constitutus est.) Cur diabolus eos non tangat, hoc est, vincat et superet, causam reddere videtur: Quia ex deo, inquit, sumus. Daemonem non solum non admittimus, sed ne audimus quidem, sed divina et quae dei sunt spectamus. Contra mundus plane terrena, sathanam, et quae eius sunt, sectatur. Hortatur itaque, ut cuius sint filii, meminerint, nempe dei. Mundum igitur et principem eius non modo non sequantur, sed ne audiant etiam. Quod supra de mundo capite 2. dixit, hic repetit.

Scimus autem quod filius dei venit et dedit nobis mentem, ut cognoscamus etc.) Quod de Christi incarnatione ac fide eius non modo cap. 4. sed et tota epistola disputavit, hic summatim resumens dicit, Christum in carnem venisse, per quem vita aeterna mundo contingit, eisque sensum aperuisse, ita ut verum huius dei filium esse cognoscant, credant et confiteantur.

Filioli, cavete vobis a simulacris.) Appendix, et admonitio succincta et brevis est, sed efficax de simulacris vitandis. Per simulacra omne quod ad simulacrorum cultum facit, hic intelligit apostolus. Monet itaque in fide vera, deique cognitione unius edoctos, ut non modo pseudapostolos impostores, sed omne hoc caveant, quod a cognitione dei et Christi eius vera avocare et abstrahere potest.

APR 23 1975

JUN 1 1983

3 2044 052 816 469

ZWINGLI, Ulrich
Werke.

608.2
Z98.1
1828
v. 6
pt. 2
cop. 1